The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

THEOLOGIA MORALIS

THEORICO - PRACTICA

WITHDRAWN

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII X PRAELATO DOMESTICO

CANONICO PRAEPOSITO CATHEDRALIS FAVENTINAE

ET S. THEOLOGIAE DOCTORE

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Vol. IV.

Continens tractatus

De Praeceptis Ecclesiae,
de statibus particularibus, de Sacramentis in genere,
de Baptismo, de Confirmatione, et de Eucharistia.

240
B483t
v.4

EX LIBRIS PROV.
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

FAVENTIAE
TYP. NOVELLI & CASTELLANI
MCMV

Faventiae die XXII Decembris MCMIII

Publicetur

✠ IOACHIMUS CANTAGALLI Episcopus Faventinus

Iura quae a lege sunt Auctor sibi vindicat

13413

TRACTATUS I.

De mandatis Ecclesiae

Loquor fere solum de illis Ecclesiae mandatis, quae in catechismis ad populi usum indicantur; excepto mandato de auditione Missae, quum de illo iam egerim *Vol. II n. 593 et sqq.* Dixi *fere solum;* de nonnullis enim aliis Ecclesiae praeceptis in fine obiter verba faciam.

CAPUT I.

DE ABSTINENTIA A CARNIBUS DIEBUS VETITIS SINE OBLIGATIONE IEIUNII.

1. *Vetita carne, quid vetitum intelligitur?*

I. Quid veniat nomine carnis vetitae, iam notissimum est; omnes enim norunt quod quaedam animalia sunt carnes; quaedam alia sunt pisces, vel (quia habent sanguinem frigidum simulque vivunt etiam in aquis) tamquam pisces considerantur; demum quaedam alia, prouti testudines terrestres et limacae (quia habent sanguinem frigidum et solum in terra vivunt) nec carnes nec pisces sunt, et proinde diebus esurialibus comedi possunt.

II. Alicubi diebus vetitis comeduntur fulices (it. *folaghe*) vel quaedam anates, vel castores (seu fibri), vel lutrae (it. *lontre*), vel corvi aquatici. Equidem fulices et corvi aquatici sunt volatiles, castores autem et lutrae sunt mammiferi; atque adeo omnes sanguinem calidum habent et sunt verae carnes. Per se loquendo itaque interdicuntur; idque de fulicibus S. Poenitentiaria (apud Scavini *I n. 404* XXI *in not.*) pluries declaravit. Nihilominus (ut etiam hic auctor notat) in diversis locis vera et

iam legitima adest consuetudo fulices comedendi, atque de re ista adsunt etiam concessiones et gratiae expressae. Idem dic de aliis animalibus praedictis; et ratio est sive quia nedum in terra sed etiam in aqua vivant, sine quia de piscibus se nutriant etc. Vide Figuer; et novissime Brehm.

III. Carne interdicta, interdicuntur etiam illae animalis partes, quae minime carnes appellantur, nempe cutis, sanguis, medulla, atque (secluso indulto vel consuetudine) adeps et laridum. Item interdicitur iusculum (it. *brodo*) ex carnibus.

IV. Ordinarie tamen quoad adipem, atque etiam (ad modum condimenti) laridum, (ut iam omnes norunt) adest indultum.

2. *Circa istum adipis et laridi usum estne aliquid notandum?*

I. Quoad adipem, non ita pridem concessus intelligebatur solus adeps suinus (S. Poenit. apud Scavini *I n. 404* XIX); sed hodie ex responso S. C. S. O. *1° Maii 1889* (apud Génicot et Nouvelle Revue) concessus intelligitur adeps cuiuscumque animalis (v. g. caponis etc.).

II. Concesso adipe et larido, adhiberi etiam possent (in eodem condimento) illa minutissima frustula solida, quae in ipso larido trito et liquefacto immixta remanent, quandoquidem S. Poenitentiaria de hoc (*17 Nov. 1897*) respondit: Affirmative, dummodo pergant esse pars condimenti. (Cf. *Monitore X.* 1 *pag. 244*).

Quid de usu sagiminis in quo prius frixae fuissent carnes? Regula sumi potest ex responso S. Poenit. quae interrogata de usu olei in quo carnes frixae fuissent, (die dicta) respondit: Qui ita agunt non esse inquietandos, idque verum esse in diebus non solum simplicis abstinentiae, sed etiam (si ageretur de oleo) stricti ieiunii.

3. *Quibus diebus a carnibus absque ieiunio abstinendum est?* Die Veneris et Sabbati, ut iam notissimum est. Sed alicubi a longo tempore, et hodie (ex indulto pontificio) in multis locis ad solum diem Veneris haec obligatio restringitur, ea sublata pro die sabbati nisi sit ieiunandum. Alicubi insuper speciales apponuntur conditiones, v. g. ut familiae dispensationem a proprio parocho petant, atque ut dispensatio valeat solum pro familiaribus et hospi-

tibus ex mera benevolentia receptis, non vero (puta in cauponis) pro aliis. Huiusmodi autem dispensationes sunt mere territoriales, et valent tantummodo pro illis (sive incolis sive alienigenis) qui in territorio versentur. Obligatio denique cessare potest ob alias dispensationes (speciatim tempore pestis); sed de re ista sermo redibit infra.

4. ***Quid de gradu culpae*** *in violatione huius legis?* Culpa *per se* est mortalis. Attamen (secluso scandalo) evadere potest venialis ex parvitate materiae.

Loquendo de carne, Sporer (*De Ieiun. n. 11*) dicit: « Non damnarem « peccati mortalis eum qui absque ulla necessitate, etiam ex mera levitate, « curiositate vel gulositate, die ieiunii modicum frustillum carnis, v. g. « instar nucis communis, mediam aviculam, vel quid simile *(unica vice)* « devoraret ». Quoad offas autem non carne sed solo iusculo carnis aut sagimine (deficiente indulto) conditas, quantitas paullo maior ad materiam gravem constituendam exigitur. Gousset *(I 301)* sentit, unicam offam ordinariam (it. *una sola menestra*) semel in die sumptam materiam gravem (intellige, ut dixi, secluso scandalo) non constituere. Id tamen apud nos pro peccato mortali haberetur, nisi aliquid culpam imminueret. Advertendum est enim quod, stante etiam materia gravi, culpa evadere potest venialis propter aliquam aliam circumstantiam, quae non a toto sed a tanto excusaret, maxime si materia esset quidem gravis sed in infimo gradu. Exempla dabo paullo infra.

5. ***Ab hac lege quaenam causae excusant?*** Causae principales sunt sequentes.

I. *Carentia habitualis et continua usus rationis.*

II. *Consuetudo legitima.* Circa consuetudines notari debet quod regulam principalissimam efformant, et magna adesse potest diversitas inter locum et locum. Oportet autem ut consuetudo vere legitima sit, quatenus in loco, absque ullo scrupulo et scandalo, etiam a personis timoratae conscientiae, epulae per se vetitae sumantur.

Secus enim non de consuetudine, sed de corruptela ageretur, prout accidit in quibusdam locis, in quibus die vetito carnes comeduntur, et (in obsequium legis!!) piscis quoque manducatur.

III. *Grave incommodum.* Deficiente scilicet consuetudine, quae aliquam personarum classem generatim et indistincte a lege eximat, videndum an grave et extraordinarium incommodum in casu particulari adsit, a quo excusatio repeti possit. Incommodum, quod ordinarie ipsam abstinentiam comitatur, aut aliud incommodum leve quod superaddatur, utique non excusat.

Hinc, v. g. paullulum reumatismi, nonnihil insoliti laboris, expensarum compendium ex avaritia, respectus humanus (scilicet timor alicuius irrisionis vel quid simile levis momenti), periculum ne carnes marcescant (dum pauperibus dari possent), mala imaginaria, adventus hospitum vigiliam minus libenter servantium etc., haec profecto non excusant.

Bene vero excusat incommodum *grave* (ut dixi) *et extraordinarium;* attamen, ne illud quidem excusaret si motiva ordinis superioris (eo quod v. g. in odium religionis comestio praeciperetur) clamarent ut, non obstante illo incommodo, abstinentia servaretur.

Notari potest etiam quod difficilius admittendae essent excusationes iis in locis, ubi lex abstinentiae religiosissime adhuc ab omnibus observaretur, ne lex adeo salubriter vigens paullatim suo robore carere inciperet.

6. *Quinam itaque* ***(veniendo ad particularia)*** *diebus vetitis carnem manducare possunt?* Speciatim sequentes.

I. *Pueri* ante septennium completum; et quidem probabiliter, quamvis forte rationis usu pollerent. Attamen in tali casu dare illis carnes non expediret.

II. *Perpetuo amentes*, quamvis forte olim sanae mentis fuissent, ut ait D'Annibale (*I 191*). Idem dic de *semifatuis,* si habitualiter mortalis culpae incapaces sint.

Sed quid *de ebriis?* Quid *de insanientibus ad breve tempus* vel saepe lucida intervalla habentibus? Istis carnes dare (nisi ad medicinam) non licet; ea enim quae obiter transeunt, hominem adhuc legibus subiectum relinquunt. Per accidens excusaretur quidem ebrius si manducaret; sed qui carnem illi daret nullam excusationem haberet.

III. *Omnes infirmi ex morbo acuto (cum febri). Convalescentes ex morbo gravi. Infirmi ex morbis lentis quidem, sed iam graviter sanitatem labefactantibus;* prout sunt phthisis; cancer; struma (nempe glandularum inflammatio); clorosis (nempe menstruationis inordinatio, si in tali sit gradu ut ciborum appetentiam valde auferat); diabetes (nempe extraordinaria et habitualis urinae profusio); quidam herpes quem nos dicimus *pellagra;* chronicus stomachi catharrus; extraordinarius sive ex utero, sive ex haemorroidibus, sive ex naribus fluxus sanguinis; ampla et purulenta plaga etc.

Notandum tamen quod infirmitates lento gradu procedentes (excepto herpete praedicto) non solent excusare

in primis stadiis. Attamen tunc quoque excusant, si aeger ova et lac non toleret (hi enim cibi dolores ventris alvique profluvia in quibusdam individuis producunt).

IV. *Illo die vel tempore, quo quis medicinam momentosam sumit, semper excusatur;* tunc enim praeter morbum id etiam intervenit quod cibi esuriales sunt difficilioris digestionis et salutarem medicinae efficaciam turbant. Hinc excusantur qui balnea faciunt; qui aquas minerales bibunt; qui tempore verno, herbarum, seri, iodii, aut mercurii curationes faciunt; qui stomachum purgant etc. Idem dic de iis qui seria de causa (v. g. propter phthisim pulmonariam) cauteria habent.

V. *Stomachi debilitate laborantes* adeo ut cibum non appetant, vel cibos esuriales digerere nequeant.

Cavendum tamen ab hallucinatione; non raro enim corporali saluti simul et abstinentiae prospici potest, v. g. si oleum coctum aut quaedam piscium et condimentorum species evitentur, vel si lac et ova potius adhiberi queant, quae pene sicut carnes nutriunt; duo enim ova saltem tribus bonae carnis unciis aequivalent, ut ait Capellmann (*Medicina past. C. III*).

VI. *Interdum foeminae gravidae aut lactantes*, si nempe valde debiles sint cibosque esuriales non tolerent.

Istae aliquando excusantur quamvis perfecta sanitate fruantur: gravidae enim interdum vivissimae, persistenti et quasi invincibili carnis cupiditati subiiciuntur; et tunc abstinentia gravibus sanitatis perturbationibus aut etiam seriis morbis occasionem dare posset. Nutrices autem aliquando carnibus indigent propter puerum infirmum; lac enim ex carnibus multo melior est; ex cibis autem esurialibus (quamvis forte abundans esset) valde minus nutriret, ex eoque puer infirmus (optimo nutrimento indigens) non satis aleretur.

VII. *Pauperes mendicantes* (si ex vera indigentia mendicent et misere vivant) manducare possunt carnem si forte illam in eleemosynam accipiant. Ita rotunde Gury (*n. 487*) et bene. Idem dicerem de pauperibus misere viventibus, quamvis prae verecundia non mendicarent, si forte iusculum vel reliquiae carnis eis misericorditer traderentur.

Aliqui limitant: nisi aliud habeant. Sed, quamvis consuetis frustulis aut panis, alio miserrimo cibo non carerent, nunquid obligari deberent, ut illud boni nutrimenti pusillum (quo fere nunquam vesci possunt) marcescere sinant vel canibus proiiciant? Ecclesia misericordiam habet pauperum, eiusque leges adeo durae esse nequeunt. Imo etiam credo Ecclesiam non exigere ut investigetur an carnes in eleemosynam acceptae reservari possint ad alios dies (nisi forte ageretur de illis reservandis a vespere ad mane), aut an potius pueris non adhuc septennibus ex toto tradi queant. Enimvero cum pauperibus, qui famem patiuntur, et sorte prospera bonum cibum in manibus habent, non subtiliter, neque in toto rigore procedi debet. Cf. Salm. (*XXIII.* II *132*).

7. *Quid si agatur de hominibus non equidem mendicantibus neque aliquid in eleemosynam accipientibus, sed nihilominus vere pauperibus et misere viventibus?* R. Hi etiam, sed solum quibusdam concurrentibus circumstantiis, a peccato mortali et forte etiam veniali excusari possunt. Do exempla.

Sempronius pauper agricola multos conduxit operarios, et, oleum non habens, sagimen vetitum adhibet ut cibos illis coquat. Gury (*Cas. conse. I 490*).

Caius lanionis operarius, quum die Mercurii aut Iovis carnes deterioris qualitatis pro mercede ei tradantur, ut plurimum die Veneris illas comedit; secus enim in complexu (nempe toto anno considerato) magnum damnum subiret; huiusmodi enim carnes neque recusare, neque facile vendere, neque totaliter ante diem Veneris consumere, neque ad diem dominicum reservare posset.

Livius miserrimus operarius, quum insolito casu die Veneris carnes diei praecedentis ei remanserint, neque pueros septennio minores habeat, ne marcescant illas comedit.

Miser coriarius ex cutibus pelliculam interiorem abradit, iusque ex illa comparatum familiae suae (proportionata fame laboranti) tradit.

Alicubi pauperes operarii in sabbato ius extorum (*brodo di trippa*) ad coenam adhibent. Frassinetti (*Not. 91*).

Caeterum nec paupertas nec miseria sufficit (nisi praedictae aliaeve speciales circumstantiae superaddantur) ut excusatio habeatur. Pauperes nempe et miserrimi quique abstinentiae legem ordinarie observare debent sub gravi. Nec obstat quod laborent et solum panem, salem et allium habeant; ad hoc enim sunt assueti, et pro mortali culpa haberent si legem Ecclesiae non observarent.

Gousset (*308*) excusat a mortali pauperes, si panem furfurosum dumtaxat habentes, illum cum frustulo laridi comederent. Sed sapienter monet Scavini (*I 390*), habenas hoc in puncto non esse solvendas, nisi loci consuetudo (prout alicubi contingit v. g. propter periculum febrium) iam manifeste id permitteret. Tali itaque consuetudine seclusâ, sententia Goussettii admitti potest solum pro casu exceptionali; si nempe aliquis pauper operarius tali ac tantae inediae non esset assuetus, unde (nisi laridum superadderet) sufficienter se nutrire nequiret.

VIII. *Excusantur filii, uxores, cognatae, famuli etc., si paterfamilias solis cibis vetitis mensam communem parare velit.* Si ageretur de aliqua vice dumtaxat, forsan sat commode refectionem sufficientem ex cibis esurialibus sibi comparare possent, et ad hoc tenerentur. Sed, si agatur de consuetudine, nec cibos licitos (patremfamilias rogando) obtinere queant, carnem manducare poterunt; tunc enim practice in morali impotentia observandi praeceptum versarentur; maxime si paterfamilias severe et obstinate exigeret ut uxor et filii secum manducarent.

Equidem quoad famulos et ancillas notant theologi quod aliud servitium quaerere deberent: sed haec obligatio non facile subsistit; si enim in illa domo bene se habeant, valde grave esse solet mutationum periculis se exponere. Sententia itaque servitium mutandi praecipitari non debet, speciatim si agatur de ancilla iuveni, quae ubi famulatur propriam honestatem in tuto habeat, maxime vero si bono spirituali familiae utilis esset. Cf. Frassinetti (*not. 91*). Haec omnia confirmantur ex responso S. Poenitentiariae (apud Scavini *I 404 3° et 5°*) sequentis tenoris: « Posse per« sonis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima fa« cultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis; adiecta « conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de « unica comestione in die, iis qui ieiunare tenentur... Ratio permissionis, « de qua in quaesitu, (*N. B.*) non est indultum patrisfamilias; sed impo« tentia, in qua versantur filiifamilias observandi praeceptum ».

8. De famulis et *operariis inter haereticos* dixit Croix (*n. 1337*) posse eis permitti carnes, dummodo scandalum (quatenus interveniret) tollant, dicendo sibi hoc per Ecclesiam licere in tali circumstantia.

Certe tamen convictores (it. *dozzinanti*) aliam domum apud nos quaerere deberent.

IX. *Excusantur quidam operarii* addicti laboribus adeo duris, vel cibi appetentiam ita auferentibus, ut carnibus omnino indigeant, si iam ex consuetudine quoque pateat eos escusari.

Hinc scripsit Gury (*Cas. consc. 482. 483*): « Indul« gendum erit iis qui in officinis vitreis vel ferreis, aut « in fodinis metallicis, carbonariis et similibus vitam « degunt..... Item qui itinera *(pedestria)* longa et diffi« cillima, praesertim hyemali tempore, peragunt. Item « qui currus publicos diu noctuque plurimis continuis « diebus dirigunt, quibus vix tempus buccellam unam vel « alteram festinanter deglutiendi suppetit ».

9. Hinc (prout sentit etiam medicus catholicus et doctissimus a me consultus) excusabis eos quoque qui duobus circiter mensibus continuis quando aestatis calores magis ebulliunt et tanta virium reficiendarum necessitas adest, circa machinas triticum triturantes improba defatigatione laborant *(i macchinisti delle trebbiatrici)*, speciatim si nocte quoque laborent et somnum necessarium explere nequeant. Sicque decernendum est non solum propter huiusmodi incommoda gravissima et alicubi propter febrium periculum, quod magis instat nisi alimenta substantiosa adhibeantur; sed etiam quia apud agricolas ex solis cibis esurialibus male ut plurimum alerentur, prandia enim, quae ex cibis esurialibus sufficientem refectionem praebeant, agricolis nostris et speciatim miseris montanis ignota et saepe (propter piscis aut pecuniae defectum) impossibilia esse solent.

His itaque operariis (alioquin rusticorum more vesci non assuetis) rotunde dicerem: *Manducate quae apponuntur robis;* nec scrupulum ingererem, si carnes expresse peterent, aut si familiae rector tantae defatigationis intuitu (maxime si piscis recens deficeret) sponte sua carnes eis suppeditaret; aut demum si quis ex his operariis, propter robur extraordinarium vel minorem laborem, cibi substantiosi necessitatem non haberet, et nihilominus (ne familiis incommodum praeberet) mensae communi cum suis sociis assideret.

Notari etiam potest quod subinde ignoratur hora in qua refectiones locum habiturae sint, unde decurrente nocte ante diem Veneris, agricolae nescirent ex quibus cibis coena paranda sit. Praeterea ubinam pisces illa nocte?

Secus (hucusque apud nos, et seclusa dispensatione, quae facile expediret) dicendum est de agricolis circa machinam ad eos divertentem collaborantibus; quatenus familiae rector cibos vetitos eis suppeditare nequit; ipsi enim uno dumtaxat vel altero die (aut certe solum paucis diebus propter reciprocam operarum restitutionem) sic laborant; et aliunde consuetudo legitima eis adhuc (ut suppono) non favet.

Si tamen ex solis cibis vetitis mensa eis pararetur, manducare possent; idque maxime si hoc accideret (ut supra innuebam) ex credulitate quod machina intra diem Iovis adventura esset, dum reapse advenisset post mediam noctem, incepto iam die Veneris; eos enim tunc temporis gravissimis laboribus fractos bonaque refectione adeo indigentes cogere ut appositum cibum non tangant et solo aut fere solo pane vescantur, id duritiem (a qua benigna mater Ecclesia abhorret) saperet.

10. Loquendo autem generatim de quibuslibet operariis, excusandi essent si solae epulae vetitae eis suppeditarentur, atque vel passim talis casus eis accideret, vel tota die laborarent, epulasque licitas non facile (v. g. propter gravem timorem offendendi et amittendi dominum illis valde utilem), aut non sufficienter, obtinere possent.

11. *Quid de illis foeminis, quae aliqua servitia in hac vel illa domo praestant, si cibi vetiti eis suppeditentur?* R. Excusantur certe si frequenter in tali casu versentur, vel si (domi propriae), ratione paupertatis, aliis cibis se suamque familiam alere nequeant. Excusantur etiam si diem totam aut fere totam in his servitiis (ab una ad aliam domum continue transeundo) insumant; tunc enim dictis operariis aequiparari debent; et ordinarie cibos appositos manducare possunt, ne (difficultates in medium apponendo) servitia amittant.

Si vero paucis horis dumtaxat in alienis domibus morentur, tunc difficilius excusantur. Ut plurimum enim pane et vino famem (qua forte urgeantur) expellere poterunt, reliquosque cibos domum deferre pueris tradendos vel ad sequentes dies servandos. Si tamen in domo aliena prandere cogerentur, tunc si cibos vetitos comederent non facile essent inquietandae in duobus casibus; nempe 1° Si pro mercede prandium illis daretur; 2° si dicerent: Solum iusculum *(la sola menestra)* sumpsi. Haec quippe excusatio non est spernenda; si enim hoc sine causa factum quibusdam theologis leve visum fuit (ut dixi *n. 4*), cum causa (quamvis non adeo gravi) ad nihil reduci potest.

12. *Quid de agricolis triticum vel similia ad herum deferentibus, si forte ex solis cibis vetitis mensa eis pararetur?* R. Si ciborum recusatio tacitam superbi domini correctionem, non sine gravi eiusdem indignatione, importaret (vel de hoc periculum esset); tunc excusarentur. Seclusa hac hypothesi, iterum distinguendum est. Si casum non praevidissent, facile comedere possent; si nempe, v. g. fere ieiuni a domo discessissent, valde laborassent, longum iter peregissent etc.; idque speciatim tempore aestivo, quod vires debilitat et in quo miseri agricolae gravissimis laboribus subiiciuntur. Si vero casum praevidis-

sent domi suae comedere debuissent, unde tunc excusari nequirent; et idem dic si a propria domo parum distarent, ubi sufficientem refectionem facere possent.

X. *Potestne excusare frequentia casus? In locis scilicet ubi iam fere universalis est inobservantia abstinentiae a carnibus, pro illis qui qualibet de causa frequenter sunt in casu comedendi apud alios, potestne fieri regula generalis, et dici: Domi vestrae servate abstinentiam, sed apud alios (secluso contemptu et scandalo) manducate quae apponuntur vobis?* Videtur affirmandum. Ratio est quia (supposita talis casus frequentia) iam, recusando, nimio incommodo subiicerentur.

XI. *Milites*, excusantur certe, si cibis quos gubernium eis praestat, nutriantur.

Sed quid de aliis? Gury (*Cas. consc. I 484*) eos dumtaxat excusat qui ratione necessitatis (seu propter stipendii exiguitatem) coguntur mensam communem facere cum sociis qui abstinentiam observare nolint. Sed Gousset (*n. 313*) dicit, quoad milites consuetudinem esse ita attendendam, ut si forte ipsi atque officiales in loco communiter existiment, a lege abstinentiae (donec sub armis versantur) se esse exemptos, reprobandi non erunt et absolvi poterunt.

Miles tamen qui, acceptâ licentiâ, domi suae degeret, certe non excusaretur.

XII. *Viatores* aliquando excusari poterunt; si nempe propter itineris defatigationem cibo valde indigeant, et praeter cibos vetitos nihil aut fere nihil in cauponis reperiant, neque alibi divertere queant.

Dixi *aliquando;* qui enim bonam habet voluntatem legem Ecclesiae observandi, raro in necessitate illam infringendi versabitur. Viator, si cibos esuriales serio et instanter petat, maxime si frequenter ad eandem (et in hunc finem magis aptam) cauponam divertat, illos ordinarie obtinebit; caupones enim adventoribus satisfacere cupiunt. Praeterea, si viator non sit altioris conditionis (Cf. Croix *n. 1323*), nonne offa (it. *menestra*) ex ovis confecta, panis, vinum, caseus et fructus sufficere poterunt? Insuper pisces exsiccati nonne praesto sunt ubique? Ut plurimum igitur non cibus sed voluntas deest, et non de necessitate sed de gulositate, aut saltem de inani respectu humano, agitur; et sic, ut dixi, viatores solum aliquando excusari possunt. Cf. Gury (*Cas. consc. 481. 485*).

XIII. *Si agatur de simplici degustatione* ex causa rationabili. *Coqui* certe excusantur, si epulas (ut cognoscant an bene conditae aut coctae sint) degustent.

Sporer (*De Ieiun. n. 11*) eos quoque excusat, qui, ad excitandum infirmorum appetitum, cibum coram ipsis avide praegustant, et dicunt: Quam bonum est! Comede, comede!

XIV. *Invitati ad prandium.* Istos quoque excusarem si praeter expectationem prandium ex vetitis epulis paratum invenirent. (Intellige 1° nisi in odium religionis id factum fuisset; 2° nisi invitatus manducando grave scandalum ingereret, prout contingere posset speciatim in sacerdote; 3° nisi, propter confidentiam cum domino, aliae epulae peti possent). Ratio autem excusationis (exceptis dictis casibus) est quia discedere, aut toti prandio assistere, nihil aut solum panem comedendo, ex una parte virtutem pene heroicam exigeret, et ex alia notabilem turbationem, et forte etiam inimicitiam, provocatura esset.

XV. *Si bona fide condimenta vetita adhibita fuissent, et ante prandium error detegeretur.* Quando agitur de solis condimentis, causa minor excusat, et in facti specie causa sufficiens in praxi facile adesset.

13. *Sed quid si totum prandium ex cibis vetitis paratum fuisset, aut die Iovis coena ex carnibus instructa fuisset, et dum omnes mensae assident, detegeretur in primo casu esse vigiliam de praecepto, et in secundo mediam noctem iam elapsam fuisse?* R. Ex gradu incommodi et difficultatis casus resolvi debet. Vide an mensa parata fuerit pro uno vel altero, an vero pro multis; an de personis plebeis, an vero de nobilibus agatur; an media, modus et tempus epulas licitas parandi adsint vel non adsint etc. Supposita autem difficultate notabili (quae in tali casu vix locum non habebit), dispensatio praesumi poterit. Dicerem tamen, observandam esse legem meliori modo possibili, atque, attenta conditione personarum, contingere posse quod solum iusculum, it. *menestra* (praetermissa carne) licite praeberi valeat.

XVI. *Eximuntur denique qui ab Ecclesia dispensationem habent.* Notandum imprimis quod dispensatio potest esse *generalis* (v. g. pro tota Dioecesi) vel *particularis.*

14. *Quid de dispensatione* ***generali?*** Praeter supra dicta, haec concedi solet 1° tempore pestis; 2° occasione magni concursus pro festo etc.

De hac postrema, habemus decretum *Cum frequenter* S. C. S. O. (*5 Dec. 1894*), in quo concessa fuit Episcopis *facultas anticipandi die sibi benevisa, atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni principalis aut titularis vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consacratis; atque ut eadem anticipandi, seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possunt pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.* Facultas ista concessa fuit in perpetuum, facta tamen in singulis casibus mentione Apostolicae dispensationis.

Circa decretum istud plura suborta fuerunt dubia, quibus eadem S. C. (*18 mart. 1896*) sequenti modo respondit.

I. Utrum ad hoc ut Episcopus dispensare valeat ad tramitem dicti Decreti, necesse sit ut festum celebretur semper magno populorum concursu? *R. Affirmative.*

II. Utrum Episcopus dispensare possit quando agitur tantum de festis duplicis praecepti; an etiam quando agitur de alio festo vel de alia catholica solemnitate, e. g. de centenariis, de peregrinationibus et similibus? *R. Negative ad primam partem: affirmative ad secundam modo adsit magnus populorum concursus.*

III. Quomodo sit intelligendus *magnus populorum concursus,* an populorum extraneorum, vel etiam eiusdem civitatis aut loci? *R. Intelligi potest etiam de concursu civitatis aut loci.*

IV. Utrum inter causas gravissimas ob quas Episcopus non solum anticipare, sed etiam dispensare potest, assignari valeat grave periculum quod abstinentia anticipanda non observetur? *R. Affirmative, modo periculum sit generale.*

V. Utrum in diebus exceptis ieiunio consecratis, vetitum sit Episcopis tantum dispensare super abstinentia; vel etiam illam anticipare? *R. Affirmative; scilicet utrumque vetitum est Episcopis.*

VI. Utrum ex rationabili causa possit Episcopus committere parochis ut ipsi assignent diem in quo anticipari debeat abstinentia? *R. Affirmative.*

15. *Quid de dispensatione particulari?*

I. Haec (secluso privilegio quod habeant Regulares pro suis subditis, et seclusis etiam casibus sive dubiis sive levioribus v. g. pro una vel altera vice, in quibus dispensare poterunt etiam Episcopi) ad S. Sedem spectat; sed nullatenus (excepta consuetudine quae alicubi adesset) ad parochos.

II. Qui propter aliquam ex causis supra recensitis ab abstinentia excusatur, dispensatione non indiget; quae ideo tunc peteretur sive ad maiorem conscientiae tranquillitatem, sive si causa ipsa esset aliquantulum minor; causa enim, quae ad excusandum non sufficeret, ad dispensationem impetrandam sufficere potest. Pontifex sine causa posset quidem dispensare valide, sed non licite; unde semper illam exigit; et ordinarie in sanitate male firma, et speciatim in habituali stomachi debilitate consistit.

III. Supplex libellus ad Congregationem S. Officii dirigi debet. Ordinarie exigitur Episcopi testimonium circa facultates postulantis. Expensae 20 aut 25 francos excedere non solent; sed haec taxa diminutioni vel augmento subiici potest, si forte orator sit pauper aut ditissimus.

IV. Rescriptum, ut plurimum, sic prostat: « Remittimus preces prudenti arbitrio et conscientiae Domini « Ordinarii, qui dispensare valeat Oratorem, ut carnibus « vesci possit diebus ad Ecclesia vetitis ob male affectam « valetudinem, eaque durante, exhibita prius fide iurata « medici, de consilio confessarii, remoto scandalo, et salva « ieiunii lege ». Si itaque causa motiva (secus de impulsiva) sit falsa, dispensatio non valet; eaque cessante, dispensatio cessat.

In dubio utrum causa cessaverit, dispensatio perdurat: dispensatus enim liber est suaque libertate frui potest donec de ligaminis reviviscentia non constet. Dicit insuper S. Lig. (*I 196*) dispensationem perdurare, quamvis causa valde diminuta fuisset. Caeterum non facile credi deberet, causam cessasse, etsi habitualis infirmitas evanuisse vide-

retur; si enim bonum nutrimentum subtraheretur, forte recrudesceret; unde iudicio medici standum erit.

Theologi quaestionem (pene inutilem) agitant circa casum, in quo Pontifex non posuisset clausulam: *eaque durante;* et petunt an tunc, cessante causa, dispensatio cesset? Plurimi affirmant; aliqui vero negant. Vide Salman. (*De Leg. V. 91*), Diana (*III.* II *74*) aliosque apud Croix (*III.* II *1309*). Sed in hoc non refert immorari.

V. Dispensatio extenditur etiam ad carnes non salubres, nisi expresse excipiantur, quae exceptio hodie poni non solet. Scavini (*I 391*).

VI. Dispensatio ad carnes, non implicat dispensationem a ieiunio; ut patet ex Bulla *In suprema* Bened. XIV et ex rescriptis. Dispensati itaque diebus ieiunii carnibus quidem uti possunt, sed in prandio solum; quandoquidem de caetero ieiunantibus se conformare debent. Excipe 1° nisi certa et periculosa infirmioris valetudinis ratio intercedat, quae aliter fieri necessario exigat, ut in eadem Bulla legitur. Excipe 2° nisi indulgentia ad alias quoque infra diem comestiones (prout contingere posset tempore pestis) expresse extenderetur.

VII. Promiscuitas carnium et piscium iis, quibus esus carnium indulgetur diebus vetitis infra annum, quando scilicet non sunt dies ieiunii, permittitur, ut constat ex responso S. Poenitentiariae apud Acta (*I. pag. 409*). Si vero ageretur de diebus ieiunii, tunc qui vi indulti carnes comederent, ab huiusmodi promiscuitate abstinere deberent; sed res ista melius declarabitur mox infra.

VIII. Dispensati, comedendo carnes, a scandalo cavere debent; ut ex iure naturae et ex rescriptis patet.

IX. Divitibus vix unquam conceditur ut dispensationem obtentam extendere possint ad totam familiam, maxime vero ad famulos. Haec facultas obtineri potest (sed non faciliter) ab iis quibus exiguum suppetit patrimonium; dummodo speciales Episcopi litterae id testentur.

Qui itaque solum pro se dispensationem petiit et obtinuit; non ideo propter avaritiam aut expensarum compendium, unicam mensam facere potest et cibos vetitos familiae quoque praebere, ut diserte respondit S. Poenitentiaria apud Scavini (*I 404. 2*). Qui sic faceret, peccatum mortale non effugeret, nisi stricta necessitate excusaretur.

Familia tamen, si nihil aliud ei daretur, ratione necessitatis (non vero dispensationis) excusaretur, ut dixi.

16. ***Quid de familiaribus, famulis, et cauponibus, qui cibos vetitos aliis (neque excusatis neque dispensatis) parant et praebent?***

Uxores et filiae, si maritus aut pater iubeat ut cibos vetitos parent, debent prius (si fructum sperent) procurare ut a malo proposito desistat; idque maxime si ageretur de matre erga filium. At vero, si hoc obtinere nequirent gravemque discordiam reluctando pertimescerent, obtemperare possent.

Famuli autem facilius excusantur: si enim reluctarent aut difficultates in medium adducerent, ordinarie nihil proficerent et expulsionem sibi procurarent.

Quoad caupones (*osti, locandieri*), magna distinctio fieri debet inter locum et locum; idque sic explico.

Ubi communissime leges Ecclesiae observantur (et speciatim si illuc oenopolium unicum adesset) vix unquam cauponibus licebit suppeditare cibos vetitos iis, qui evidenter nullam excusationem habent; imo erga illos etiam qui certe aut probabiliter licite carnibus vescuntur, caute procedere tenentur, ne scandalum sequatur; unde (si fieri possit) taliter comedentibus mensam in cubiculo separato parare debent. A fortiori haec omnia servanda essent si de hospitio religioso (v. g. pro peregrinantibus ad Sanctuarium vel confluentibus ad aliquod festum) ageretur. Neque profecto blasphemiis aliquorum cibos vetitos inique exigentium attendendum foret.

Ubi autem ecclesiasticae abstinentiae violatio iam obvia evasisset (multo magis ubi catholici cum haereticis permixti degunt), et speciatim si insuper plura oenopolia in loco adessent: omnino excusarentur caupones si carnes quibuslibet illas petentibus suppeditarent; denegando enim nihil proficerent et adventores amitterent. Imo probati auctores docent, illuc mensam communem (*tavola rotonda*) cibis tum licitis tum vetitis instrui posse, ut unusquisque quod vult sumat.

Certe tamen illuc quoque peccarent 1° Si refectionem petentibus nec ciborum qualitatem designantibus, illico

solos cibos illicitos apponerent. 2° Si praeviderent fore ut cibi esuriales petantur, illosque tempestive non emerent. 3° Si erga illos, qui huiusmodi cibos esuriales expostulant, benevolos non se ostenderent; et, quamvis possent cibos ipsos sat facile et sufficienter comparare, nihilominus abnuerent, ut ex cibis vetitis, quos in caupona habeant, mensam instruant. Cf. Gousset (*I 305*), Scavini (*I 271*), Gury (*Cas. consc. I 486*).

CAPUT II.

DE IEIUNIO ECCLESIASTICO.

17. *Ieiunium ecclesiasticum* ***in quo consistit?*** Consistit substantialiter *in unica refectione,* quatenus scilicet in ieiunio unica permittitur comestio plena, unde ieiunantes in illa (nempe in prandio) circa *quantitatem* alimentorum sunt liberi et manducare possunt quantum volunt. Permittuntur autem illis aliae duae refectiones sed parvae, quae dicuntur *collatiuncula serotina* (vel caenula), et (mane) *crustulum theologicum.*

Dixi ieiunium in unica refectione consistere substantialiter, quatenus circa qualitatem alimentorum indulta vel dispensationes possent intervenire et nihilominus ieiunii substantia permanere; sed lex ieiunii praeter unicam refectionem alia quoque, et quidem sub gravi, praecipere potest et solet. Imprimis enim, secluso indulto, abstinentiam praecipit nedum a carnibus, sed (ad differentiam aliorum dierum esurialium sine ieiunio) etiam (nisi consuetudo aliud determinet) ab ovis et lacticiniis. Praecipit etiam ut circa horam prandii debita regula servetur.

18. *Quid de differentia inter obligatos et non obligatos ad ieiunandum?* Notissimum est quod in diebus legi ieiunii subiectis non omnes ieiunare tenentur. Qui tamen a ieiunio eximuntur, circa quidem alimentorum *quantitatem* tota die liberi sunt prorsus; sed circa eo-

rundem *qualitatem* (seclusa causa et necessitate salutis) nullatenus liberi sunt, et ieiunantibus, exceptis quibusdam parvis differentiis, se conformare debent.

Sed haec omnia sunt explicanda, et, perspicuitatis gratia, agam prius de ieiunantibus, et postea de non ieiunantibus.

ARTICULUS. I.

De ieiunantibus.

Acturus in articulo sequenti de non ieiunantibus propter causas a ieiunio excusantes, hic agam de ieiunantibus ; 1° circa quantitatem alimentorum in prandio, in caenula et in crustulo theologico ; 2° circa horam refectionis ; 3° circa qualitatem alimentorum ; 4° circa gradum culpae in violatione ieiunii ; 5° circa numerum peccatorum in violatione eadem.

PUNCTUM I.

De quantitate alimentorum.

19. *Quid de quantitate alimentorum* ***in prandio?*** Quoad prandium, ciborum quantitati lex ecclesiastica mensuram non assignat, ut dixi; sed secus (uti patet) dicendum de lege naturali ob virtutem temperantiae.

20. *Quid itaque de* ***prandii duratione?*** Ecclesia optat quidem ut solum quantum satis est ad famem satiandam prandium duret ; sed sub praecepto id non ponit. Nisi itaque prandium praecise ad legem eludendam praeter morem protrahatur, scrupuli non sunt iniiciendi. Theologi benignissime loquuntur, et permittunt duas horas, et etiam plus, iuxta locorum consuetudines aliasque circumstantias. Cf. S. Lig. (*I 1200*), et Gousset (*I 295*).

21. *Quid de* ***prandii interruptione?*** Consuetae confabulationes inter epulam et epulam prandium non interrumpunt.

Idem dic si quis surrexerit a mensa, animo non amplius comedendi, et statim (v. g. novo ferculo adveniente), mutata intentione, ad comedendum redeat.

Idem dic etiam si quis *paullisper* a mensa discedat, cito rediturus ; brevis enim interruptio moralem comestionis unitatem non destruit. Si autem interruptio esset adeo notabilis, ut prandium *in duabus vicibus* peractum dici deberet ; tunc refectio non esset unica, sed duplex ; et haec ab Ecclesia interdiceretur. Attamen si quis, iusta de causa (prout potest contingere parocho, medico, mercatori etc.) prandium sic interrumperet, illud postea (quamvis forte duae, tres, aut etiam plures horae praeteriissent) complere posset, si prius sufficienter non se refecisset. Cf. Croix (*III.* II *1279*), S. Lig. (*III 1020*), Gury (*n. 706*) etc. Qui autem sine iusta causa, nempe propter motivum nimis leve, prandium eodem modo

interrumperet, cum intentione illud postea continuandi, utique peccaret. Attamen tunc quoque peccatum mortale non adesse crederem, si prima refectio famem non expulisset, et secunda prandium non iam sumptuosum sed ordinarium compleret, ita ut in his duabus vicibus non plus cibi sumeretur quam in prandio ordinario et sufficienti ad famem depellendam sumptum fuisset : idque maxime si intervallum unam horam non excessisset, ut ait Gury (*l. c.*). Qui enim ex una parte non plus nutrimenti sumit, quam sumpsisset si regulariter ieiunasset, et ex alia ieiunii pondus a mane usque ad meridiem sustinuit, non videtur quod graviter contra ieiunii legem delinquere possit.

22. *Quid de quantitate alimentorum* ***quoad coenam?*** Quoad *coenam,* ciborum quantitati mensura ponitur. Non itaque coena sed coenula permittitur ; eaque ab illis etiam, qui sat commode ab ipsa abstinerent, peragi potest ; hodie enim haec permissio non ex incommodo (quod secus sustinendum esset), sed ex consuetudine oritur.

Circa ciborum quantitatem, quae in coenula permittitur, suprema regula a praxi timoratorum sumi debet ; quae, iuxta diversa loca, varia esse potest. Ex sententiis etiam theologorum regulae satis tutae sumi poterunt. Hi sequentes tres regulas suppeditant.

23. **Regula I.** *Octo unciae cibi sumi possunt ab omnibus.* S. Lig. (*III 1025*) rotunde dicit : « Quantitas « octo unciarum ita hodie usu recepta est, ut indistincte « permittatur, etiam illis qui cum illa ad satietatem refi- « ciuntur » ; hasque octo uncias theologi passim permittunt; quamvis diversarum regionum staterae plus vel minus discrepent ; unusquisque enim iuxta proprii loci stateram loquebatur. Caeterum octo unciae ordinarie (sicut apud nos) 240 gr. circiter aequivalent. Haec mensura aliquantulum augeretur pro frigidis regionibus septentrionalibus. Dicit Gury (*Cas. consc. 463*) : « Decem uncias permitti « posse Germanis » (1) ; idque quia ex una parte frigus maiorem famem excitat, et ex alia vinum et cibi illuc minorem substantiam habent minusque nutriunt ; unde scripsit Sporer (*App. ad 3 praec. III 26 :* « Mittant

(1) Intellige uncias italicas, non germanicas. Theologi enim Germanici (ut Sporer *n. 27*) octo dumtaxat uncias connationalibus suis concedunt ; sed octo unciae germanicae (iuxta stateram illuc, saltem non ita pridem, communem) nostris decem quasi aequivalent, quum ad 280 gr. ascendant,

« (theologi Italici) Germanis suum calidum coelum, cibum « et vina pinguia, et ieiunabimus cum ipsis ».

Notat Tamburini (*VI 13*) non esse necessarium stateram adhibere, ut hae unciae praecise et scrupulose serventur; sed sufficere si verisimiliter existimetur, cibum huic ponderi circiter aequivalere.

Ego autem censeo quod ista octo unciarum regula valeat quidem quoad panem, pisces, et fructus exsiccatos; non vero quoad poma, cucumeres, pepones, uvam recentem herbam (*insalata*), oryzam cum aqua ebullitam, aliosque cibos qui multum aquei humoris continent, quique proinde valde minorem substantiam habent, et quamvis pro momento satient, postea magnam debilitatem relinquunt. Quoad huiusmodi cibos, octo unciarum pondus non illos sic et simpliciter, sed quod in ipsis est substantiae alimentum dandi capacis, respicere debet; secus enim offam ex unica uncia panis cum libra aquae ebulliti sumere non liceret; quod (ut notat Gury *n. 501*) omnino repugnat.

24. *Quid igitur dicendum de pane sic cum aqua ebullito* (it. *pancotto*)? Theologi communiter dicunt quod, quamvis octo unciae ex pane, oleo et sale, absque ebullitione cum aqua, sumi possint; ebullitione secuta, eas amplius sumere non licet; sed solum quinque panis uncias, aqua, oleo et sale non computatis; quia ebullitio efficit ut offa maius nutrimentum praebeat. Cf. Viva (*Prop. 31* Alex. VII *12*) et Escobar etc. Sed Capellmann (*Med. past. C. II in fin.*) hanc rationem recise impugnat inquiens: « Panem ex decoctione cum aqua immutationem chymicam « inire plane non negatur. Haec vero immutatio conside- « randa est quasi initium digestionis, quia non differt ab « ea immutatione, quae initio digestionis efficitur. Inde « vero materia alimentaris nullo prorsus modo augescit ». Addit, satietatis quidem sensum (cito evanescentem) esse paullo maiorem, sed nutrimentum esse prorsus aequale, sive panis cum aqua coquatur, sive panis et aqua seorsim sumantur. Sic quoque senserunt plures theologi antiqui (v. g. Bossius, Leander, Pasqualigus), qui proinde panem quidem, oleum et salem; non vero aquam (quamvis ebul-

litam) ponderari debere existimarunt. Vide etiam Sporer (*l. c. 31*) et Potestas (*a. 2889*).

25. **Regula II.** *Coenula quartae parti ciborum quos ieiunans in iusto prandio sumpsit, aequivalere potest.* Equidem non facile est quod prandium 32 cibi uncias (etiam diebus ieiunii) excedat; sed, si quis, v. g. propter status sumptuositatem vel extraordinarium appetitum, 40 cibi uncias in prandio sumere solitus esset, utique 10 uncias in coenula sumere posset. De hac antiquissima regula, vide Ballerini (*Not. 6 ad n. 497 edit. IV*).

26. **Regula III.** *Non unciis sed necessitati est attendendum; unde aliquod parvum augmentum, necessitate excusatum, ieiunium non destruit.* Profecto hic maiori, ille minori nutrimento indiget. Ratione temperamenti, aetatis, sexus, assuefactionis, laboris et occupationis sive materialis sive mentalis, magnae differentiae inter individuum et individuum, casum et casum, intercedere possunt; et certe unicuique licebit tantam cibi quantitatem sumere, quanta exigitur ut proprii status officia adimplere possit.

Differentia quoque fieri potest inter Quadragesimam et vigilias infra annum; ieiunium enim quadragesimale (utpote longum et continuum) difficilius sustinetur, et ex hoc ipso coenula paullo abundantior aliquibus permitti valet.

Ita Gousset (*I 297*), cum quo S. Lig. (*n. 1025*) quasi omnino cohaeret. Laymann (*IV.* VIII. I *9*) scripsit quod « causa augendi coenulam esse potest corporis teneritudo « vel assuefactio (qua ratione interdum personis nobiliori- « bus plus permitti potest); vel occupatio diuturna (qua « ratione assiduis litterarum studiosis plus conceditur) ».

Haec verissima sunt. Qui tamen necessitate compulsus quantitatem in primis duabus regulis indicatam *valde* excederet; non equidem peccaret, sed (N. B.) non ieiunaret. Mortificatio quidem, sed non ieiunium (in sensu Ecclesiae) tunc locum habere posset.

27. Denique circa coenulam notandum, valde diffusam esse consuetudinem, notabiliter illam augendi in vigilia Nativitatis Domini. Alicubi nonnihil augmenti usuvenit in Coena Domini, et in vigiliis Paschatis et Pentecostes. Vide S. Lig. (*n. 1024, 1025*).

28. *Quid de* ***crustulo theologico?*** Circa *crustulum theologicum,* quod mane sumi solet, Gury (*n. 492*) dicit: « Totalis cibi illius quantitas duarum unciarum « pondus excedere non deberet ». Sed apud nos praxis timoratorum est, ut solum panis uncia cum dimidio (si caphaeo intingatur) sumi possit. Et, si de potione chocolati ageretur, tunc chocolatum (non adhuc aquae infusum) simul cum pane ponderari deberet; ita ut uncia cum dimidio non superetur. Haec doctrina traditur a S. Lig. (*n. 1023*) et confirmatur, quia, proposito dubio: An permitti possit, ut mane diebus ieiunii in parva quantitate sumatur cafaeum aut chocolatum cum frustulo panis, ut fit in regione Canadensi? S. Poenitentiaria (*21 Nov. 1843*) respondit: eos qui talem usum sequuntur non esse inquietandos.

Gury (*Cas. consc. n. 465*) dicit, non licere hunc usum introducere ubi non est. Optime. Si tamen multi sine huius crustuli praesidio ieiunium tolerare nequirent, illud sumere nedum possent sed deberent, etiam ubi consuetudo non adesset; et confessarii tunc male mererentur de ieiunio si crustulum istud interdicerent, ut rectissime notat Ballerini (*n. 493 not. 6*).

29. *Ultra has comestiones earumve limites,* ***potestne aliquid aliud sumi?*** R. Nihil aliud (nisi iusta causa excuset) sumi potest, quod aliquam substantiam nutritivam habeat, exceptis tantummodo illis potionibus, quae non sunt contra famem, sed contra sitim (ut aqua et vinum); vel ad digestionem adiuvandam (ut *caffè*), aut refrigerationem procurandam (ut aqua ex cedro, it. *limonata*) de se principaliter deserviunt. Gousset (*n. 303*).

Neque obstaret si forte vinum non ad sitim sed ad famem sedandam sumeretur: id enim esset quidem contra ieiunii meritum et finem legis, sed non contra legem.

S. Lig. (*n. 1022*) aquam ex cedro concedit etiam congelatam, it. *sorbetto di limone.*

Potiones autem, quae contra famem, seu ad nutriendum, communiter adhibentur, ut potio chocolati (maxime vero lactis) interdicuntur; et cum hac limitatione intelligi debet effatum: *liquida non frangunt.*

PUNCTUM II.

De hora refectionis.

30. *Hora refectionis caditne sub praecepto?* Affirmative. Olim prandere non licebat nisi post solis occasum. Deinde statutum fuit tempus medium inter meridiem et occasum. Hodie conceditur, ut circa meridiem refectio peragatur. Imo S. Lig. (*n. 1016*) dicit: « Omnibus licitum « est anticipare infra horam (*ante meridiem*), etiam sine « causa ». Plus autem horâ anticipare certe non licet, nisi propter aliquam necessitatem (v. g. propter hospites, negotium, iter suscipiendum etc.). Patet ex Benedicto XIV (Const. *Si fraternitas*). Quaelibet tamen anticipatio (etsi sine causâ) probabiliter culpam venialem non excederet; prout dicunt theologi multi apud S. Lig. (*l. c.*).

Prandium autem ultra meridiem differre (tunc enim onus ieiunii magis sentiretur) nihil mali esset. Scavini (*I 274*).

31. *Sed quid si quis prandium quidem differret, sed coenulam, v. g. circa meridiem, perficeret?* R. Sine causa id non licet (etsi solum sub levi interdicatur); iusta autem subsistente causa, prorsus licet. Qui itaque ratione officii, negotiorum aut assuefactionis, sub vespere prandere solent, non sunt inquietandi si prius (v. g. circa meridiem) refectiunculam, loco coenulae, faciant. Gury (*n. 505*), Gousset (*n. 350*) etc. Idque iam decisum fuit a S. Poenit. (*19 Ian. 1834*) apud Acta (*I pag. 424*).

PUNCTUM III.

De qualitate alimentorum.

Imprimis distinguendum est inter ieiunium *strictum* et *mitigatum*.

32. *Quando* ***stricti*** *ieiunii obligatio adest, quid tunc de qualitate alimentorum?* Tunc nullum adest indultum, et proinde neque carnes, neque sagimen, neque laridum,

neque lac, neque caseus, neque butyrum, neque ova eorumve albumen, neque margarina (in qua adest etiam aliquid adipis), neque alii cibi qui ex his conficiuntur, ullatenus (et proinde neque in coena neque in prandio) adhiberi possunt. In Decreto (*Can. VI Dist IV*) dicitur: « Par est ut qui« bus diebus (*ieiunii quadragesimalis*) a carne abstinemus, « ab omnibus quae sementinam carnis trahunt originem « ieiunemus; a lacte videlicet, caseo et ovis ».

Adde quod manente ieiunio stricto in quadragesima, diebus quoque dominicis, etsi non ieiunandum, tamen cibis stricte esurialibus tantummodo utendum esset. Cf. Benedicti XIV Bullam *Prodiit iamdudum.*

Ieiunium strictum in pluribus locis hodie restringitur ad novem dies quadragesimae, nempe ad diem cinerum, feriam quartam, sextam et sabbatum maioris hebdomadae; quatuor tempora; et vigilias S. Iosephi et SS. Annuntiatae.

33. *Quid de ieiunio* ***mitigato?*** Propter indultum (vel consuetudinem) potest esse mitigatum diversis modis; et praecipue 1° Si permittantur ova, lacticinia et condimenta ex larido, adipe et butyro. 2° Si carnes quoque permittantur.

34. *Quid notandum de indulto* ***quoad ova, lacticinia*** (1) ***et condimenta ex larido, adipe et butyro?*** Indulta ista non semper loquuntur eodem modo: et proinde notanda sunt sequentia.

I. Aliquando haec conceduntur pro solo prandio, ita ut in coenula ne adipis quidem usus liceat.

Apud nos id contingit in vigiliis SS.mi Natalis, Pentecosten, S. Petri Ap., Omnium Sanctorum et Assumptionis B. V.

II. Aliquando ita conceduntur in prandio, ut etiam in coenula adhiberi possint condimenta ex larido, adipe et butyro; sed ova, lac et caseus adhiberi nequeant.

Apud nos id contingit in quatuor temporibus extra quadragesimam, in diebus veneris et sabbati Adventus et Quadragesimae, et in vigilia S. Ioannis Baptistae.

Et eadem condimenta adhiberi possunt in coenula, quando in Quadragesima pro prandio carnes conceduntur.

III. Notari potest denique quod, si indultum loqueretur solum de condimentis ex adipe, hodie, pro gratia pontificia concessa generaliter

(1) Si generatim concedantur lacticinia, hoc nomine intelliguntur non solum lac, caseus et butyrum, sed etiam ova, ut ait Gury (*n. 504*).

(*16 Maii 1896*), intelligerentur etiam condimenta ex butyro (1); et per decretum S. Officii (*1 Maii 1889*) intelligeretur adeps nedum suinus sed cuiuslibet animalis (ut iam alias innui); denique, per responsum S. Poenitentiariae (*16 Ian. 1834*), indultum valeret etiam pro coenula (loco olei) nisi restrictiones apponerentur.

35. *Quid de consuetudine* ***quoad lacticinia ?***

Alicubi (speciatim in locis montuosis) ex consuetudine permittitur caseus; sed lac et ova interdicta remanent.

Alicubi (speciatim in quibusdam Germaniae locis) lac et ova permittuntur etiam in coenula; imo licet quoque mane parum lactis caphaeo miscere.

Alicubi demum conceditur quidem omnibus, sive ab Episcopo sive a parocho, lacticiniis utendi licentia; sed ita ut praesumpta non sufficiat, sed expressa esse debeat. Attamen petitionis defectus culpam gravem non constitueret. Cf. Scavini (*I 272 not. 3 et 266*), Gury (*n. 499 not. b*), Capellmann (*Medic. Pastor. De praec. ieiun.*).

Dicunt theologi quod lacticinia ex lege generali vetantur in Quadragesima, non vero in vigiliis aliisque ieiunii diebus infra annum. Sit; sed consuetudines locales efficiunt ut in multis locis valde strictius in quibusdam vigiliis, quam in Quadragesima ieiunari debeat.

36. *Quid notandum de indultis generalibus et de dispensationibus particularibus* ***quoad carnes*** *diebus ieiunii ?*

I. Pro carnibus, praeter notissimas dispensationes particulares (de quibus supra *n. 15*), dari solent indulta generalia.

II. Haec indulta et hae dispensationes conceduntur cum duabus conditionibus. Prima est ut valeant solum (quoad ieiunantes) *pro unica comestione*, nisi forte tempore pestis concederentur etiam pro coena, (quo casu ieiunium quoque evanesceret. S. C. S. O. *30 Ian. 1890*). Secunda est, *ut evitari debeat promiscuitas carnis et piscis* semper (nisi forte adesset consuetudo in contrarium. Gousset *307*), atque adeo etiam tempore pestis. S. C. S. O. (*6 Feb. 1890*).

Patet ex lege Benedicti XIV in Bullis *Non ambigimus*, *In suprema*, et *Si fraternitas*. In hac ultima en verba Pontificis: « Concedentes (au- « ctoritate S. Sedis) facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub « gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adie- « ctis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non comi-

---

(1) Concesso butyro, non ideo lac concessus intelligeretur. *Monit. Vol. XIV pag. 138.*

Alicubi butyrum nedum ad modum condimenti; sed etiam ad modum cibi (sicut caseus) conceditur, quamvis usus carnis, imo etiam adipis, vetaretur. Tunc autem margarinam quoque, quamvis sit butyrum quoddam mixtum cum adipe, comedere liceret. Decretum S. O. apud *Monit. XI 290.*

« scendarum epularum. Eos vero qui huiusmodi facultatibus utuntur, *sub* « *gravi* ad binas istas conditiones implendas obligari... Epulas licitas pro « iis quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas inter- « dictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse.... An « praeceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque do- « minicos quadragesimales complectatur? Affirmatur complecti. Utrum « memorata duo praecepta urgeant (etiam) extra quadragesimam? Respon- « detur, urgere extra quadragesimam utrumque praeceptum ».

Quod autem lex ista, quoad utrumque caput (unicae comestionis et vetitae epularum permixtionis) casum nedum indulti generalis, sed etiam *dispensationum particularium*, respiciat, ex Bulla *In suprema* apertissime patet.

37. Attamen haec ipsa lex, quae epularum permixtionem vetat, respicit tantummodo casum in quo *vi indulti* aut dispensationis carnes comedantur (de hoc enim solo casu Pontifex loquitur); et proinde nullatenus respicit casum, in quo quis tali laboraret infirmitate, ut sine ulla dispensatione carnibus etiam pluries in die comedere posset. Hoc patet etiam ex novissimo responso S. Poenitentiariae *9 Ian. 1899* (apud *Monitore vol. XIV p. 6*) sequentis tenoris.

Tizio ammalato ha bisogno in giorno di digiuno non solo di mangiar più volte, ma anche delle carni: potrebbe *simul* mangiar pesci? Ritengo di sì. Il S. Officio (*24 Genn. 1875*) obbliga *ad non permiscendas epulas* anche coloro che *carnes sumunt vi indulti*, non solamente *eos qui ieiunant*. Richiama il decreto *24 Marzo 1841*, che anche gli scusati *ab unica comestione propter impotentiam vel laborem* mangiano carne *vi indulti*, e quindi sono tenuti *ad non permiscendas epulas*. Non parla di coloro che mangiano carne per malattia; quindi fa supporre o lascia credere, che mangiando carni non in forza dell' indulto, non siano tenuti *ad non permiscendas epulas*, Questa è l' opinione espressa del Ballerini - Palmieri (*Vol. II tr.* VII *n. 20*); del Gènicot (*Vol. I n. 444*); del D' Annibale (*Vol. III n. 138*); del Bucceroni (*Vol. I n. 1607*).

Sacra Poenitentiaria, consideratis expositis, respondet: *Oratorem sententiam Auctorum, quos citat, tuta conscientia sequi posse.*

De hac autem promiscuitate permissa quando carnes conceduntur extra dies ieiunii, egi supra *n. 15* VII; et de eadem vetita diebus ieiunii etiam non ieiunantibus et comedentibus carnes vi indulti, agam infra.

38. *An nomine piscis, cuius commixtio cum carne vetatur, veniant solum illa animalia, quae in libris historiae naturalis in classe piscium ponuntur?* Negative, sed sumenda est regula a sensu et usu communi, habente pro piscibus etiam plura animalia, quae a naturalistis inter pisces minime enumerantur. Huiusmodi sunt ranae atque testacea marina, nempe quae italice dicuntur *cappe, canocchie, gambari, schilli* etc. Hinc ad quaesitum: « Utrum tem-

« pore ieiunii, cui licitus est usus carnium, liceat miscere « testacea marina, quae improprie fructus maris dicuntur. « sed vulgo pisces censentur (idest *ostriche*, *selline*, *pa-* « *telle*, *canolicchi*, *cappe*, *granchi* etc.? » S. Poenitentiaria (*16 Ian. 1834*) respondit: « *Testacea marina*, *quae* « *improprie fructus maris dicuntur*, *sed vulgo pisces* « *censentur*, *vetari miscere cum carnibus*, *quoties carnis* « *et piscium mixtio vetita est.*

39. *Quid de illis animalibus*, *quae nec carnes nec pisces sunt*, *prout testudines terrestres et limacae?* Sicut licet illas comedere diebus esurialibus quia non sunt carnes (Aertnys *L. IV n. 6*), ita easdem cum carnibus commiscere licebit quia non sunt pisces.

Equidem Scavini (*I n. 404 XIV in not.*) dicit quod testudines et limacae, imo etiam castores, et lutrae sunt veri pisces; sed haec prorsus incredibilia sunt. Aertnys (*l. c.*).

40. *An*, *interdicta mixtione piscium*, *intelligantur etiam pisciculi sale siccati*, *atque etiam illa piscium ova*, *quae dicuntur it. caviale?* Affirmative. Ad quaesitum enim: « Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus, com- « prehendantur pisces sale siccati (vulgo *salumi*, idest « *acciughe*, *mosciame* (*tonno*), *caviale*, *aringa*, *tarantelle* « aliaque his similia); an potius misceri possint ad instar « condimenti alterius ferculi? » S. Poenitentiaria (*16 Ian. 1834*) respondit: *Pisces sale siccatos... vetari miscere cum carnibus quoties carnium et piscium mixtio vetita sit.*

Attamen merae salsurae (it. *salse*), quae ex piscibus confectae fuissent non vetarentur. Sic enim respondit S. Poenitentiaria ad Episcopum Aquae Statiellae *14 Iun. 1880* (apud Scavini *vol. I. n. 404* XIII. *in nota*).

41. *An praedicta promiscuitas prohibeatur solum*, *si fieret ex luxu vel gulositate?* Luxus fuit quidem occasio huius legis; sed lex est generalis et Pontifex in Bulla *In suprema* dicit: *omnibus omnino*, *nemine excepto.* Vide Ballerini-Palmieri *vol. II. Tr.* VIII. *n. 28.*

42. Utrum dispensati quoad carnes, possint diebus ieiunii valetudinis causa vesci solo iusculo carnium, (*brodo di carne*) et de caetero cibos esuriales edere ad legem

abstinentiae quoad fieri potest servandam? S. Poenitentiaria (*8 Febr. 1828*) respondit: Affirmative.

43. *Quid de visitatione Ecclesiae iniuncta pro carnium indulto?* Pro indulto isto Ecclesiae visitatio singulis hebdomadis iniungi solet. Quum agatur de re quae levis videtur; quum insuper culpa mortalis communi Cristifidelium sensu in hoc non deprehendatur, dicendum est (contra aliquos) id sub gravi non praecipi. De vero tamen praecepto non est ambigendum; quandoquidem Congregatio S. Officii indultum concedens de piis quidem operibus consilium, sed de Ecclesiae visitatione praeceptum imponit. Cf. Scavini (*I 397*) et Gury (*Cas. consc. I 492*).

PUNCTUM IV.

De gradu culpae in violatione ieiunii.

44. Recolendum quod ieiunium violari potest dupliciter; nempe 1° sumendo cibum ultra comestiones permissas earumque terminos; 2° utendo cibis vetitis in comestionibus permissis.

45. *Quid de gradu culpae comedendo extra vel ultra comestiones permissas?* Ex hoc capite ad peccatum mortale constituendum ordinarie quatuor unciae (quae notabile nutrimentum suppeditant) exiguntur et sufficiunt, quamvis cibi stricte esuriales sumerentur. Gury (*n. 494*). Minus sufficeret si de ovis et lacticiniis; et minus adhuc si de carne ageretur; haec enim magis nutriunt.

Exiguissimae refectiones levem culpam in se constituunt; sed, si saepius in die repeterentur, in materiam gravem coalescere et peccatum mortale constituere possent; ut patet etiam ex *Prop. 29* ab Alex. VII damnata, quae dicebat: « In die ieiunii qui saepius modicum quid comede-« dit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non « frangit ieiunium ». Tunc tamen quantitas aliquantulum maior exigeretur, si inter comestiunculam et comestiunculam notabilis adesset distantia, ut puta, si quis frustulum mane et aliud vespertinis horis sumeret. Viva (*Prop. cit. VIII*).

46. *Quid de gradu culpae si adhibeantur cibi vetiti in comestionibus permissis?* Sub mortali lex obligat ad servandam non solum quantitatem, sed etiam qualitatem alimentorum; et quidem ita ut, si carnes et lacticinia vetentur, peccatum mortale non solum in comestione carnis (supposita semper materiae gravitate iuxta dicta *n. 4*), sed etiam in usu lacticiniorum, reponi debeat. Gury (*n. 502*).

Commixtio etiam carnium cum piscibus (quando carnes permittuntur) sub gravi vetatur. Bened. XIV. Const. *si fraternitas.*

PUNCTUM V.

De numero peccatorum in violatione ieiunii.

47. Videndum est an solum circa quantitatem, an vero etiam circa qualitatem alimentorum, ieiunium violetur. Loquendo de violatione ieiunii circa solam quantitatem, qui post unam plenam refectionem, aliam similem faceret, ieiunium prorsus destrueret; unde iam lege ieiunium servandi amplius obstringi nequiret; et sic, si iterum manducaret, minime peccaret. Culpa itaque ieiunium ita infringentis unica esset.

48. Loquendo autem de violatione ieiunii etiam circa qualitatem, theologi dicunt, peccata esse plura si carnes aut lacticinia vetita pluries in die sumantur: qui enim carnem prima vice manducavit, adhuc remanet adstrictus lege carnem non manducandi iterum; unde si iterum manducet, iterum peccat. Id certe verum est si initio diei non fuerit concepta intentio utendi carne in singuli refectionibus; at vero, si quis mane statuisset frangere illius diei ieiunium, carnes quoque manducando, bis quidem peccasset quoad speciem (aliud enim est frangere ieiunium, et aliud carnes quoque manducare); sed putarem, peccatum esse unicum numero, quia per modum unius id apprehenditur; unde si poenitens in confessione diceret v. g. *Talem vigiliam non observavi, et carnem manducavi*, (it. *feci da grasso*), crederem sufficienter se accusasse. Ratio

autem quod post primam comestionem abstinere debeat a secunda et tertia, per se non sufficit ut peccatum fiat multiplex; singulae enim comestiones unitate finis unirentur, et proinde peccatum moraliter unicum constituerent, quod per partes compleretur et aggravaretur. Adde quod plures huiusmodi comestiones intercessisse iam subintelligeretur.

ARTICULUS II.

De non ieiunantibus.

49. Non ieiunantes hic intelliguntur qui ad unicam refectionem non tenentur, et proinde nedum in prandio sed etiam aliis vicibus infra diem manducare possunt; ita tamen ut dum liberi sunt circa ciborum quantitatem, ut plurimum circa eorundem qualitatem liberi minime sint, ut mox infra declarabitur.

Quamvis pauci ab abstinentia a carnibus diebus vetitis excusentur, e contra plurimi sive absolute sive aliqualiter a ieiunio excusantur.

Hic itaque agam 1° De excusatis semper. 2° De facile excusatis sed non semper. 3° De excusatis a ieiunando perfecte. 4° De dubitantibus circa ieiunii vel abstinentiae a carnibus aut lacticiniis obligatione. 5° De dispensatione a ieiunio. 6° De casibus practice occurrentibus, eo quod iciunium in uno loco vigeret et non in alio. 7° Ad quid diebus ieiunii non ieiunantes teneantur?

PUNCTUM I.

De personis quae a ieiunio excusantur semper.

50. Magna dictinctio fieri debet inter casus, in quibus Christifideles a ieiunio eximuntur vel excusantur semper, ita ut scilicet ne alicuius quidem vigiliae occurrentis infra annum ieiunium servare obligentur; et casus in quibus solum a sustinendo pondere diuturniorum ieiuniorum excusentur, unde in quadragesima quibusdam tantummodo diebus ieiunare teneantur.

51. *Quaenam itaque personae a ieiunio eximuntur vel excusantur semper?*

I. *Iuvenes antequam vigesimum primum annum compleverint.* Theologi rationem adducunt, quia iuvenes non solum ut se conservent, sed etiam ut crescant, maiori in-

digent alimento. Sed haec ratio (quae caeteroquin est fundamentalis) quoad solas vigilias infra annum universaliter non satis concluderet; neque militaret pro iis qui ante XXI annum augmentum perfectum assequuntur, quod in foeminis omnibus accidit. Plena ratio itaque desumitur ex consuetudine, quae universaliter et firmissime (seclusa obligatione speciali ex voto vel professione religiosa) omnes utriusque sexus Christifideles ante annum XXI completum a ieiunii lege eximit.

II. *Senes sexagenarii.* Utique ieiunium speciale incommodum senibus afferre debet. Isti (quamvis bonis dentibus non carerent) in prandio cibum abundanter sumere nequeunt; illum enim propter virium calorisque defectum digerere non possent, unde aliis refectionibus indigent; multo magis quia, si mane non ientarent, stomachi debilitas augeretur, et sic in prandio cibi appetentiam magis magisque amitterent. Adde quod senum robur adeo tantillum atque illusorium est, ut quid minimum sufficiat ut senex deiiciatur, atque irreparabili virium amissioni morbisque facile lethalibus exponatur. Sed hae quoque rationes pro solis vigiliis infra annum non satis efficaces essent, nisi subintraret consuetudo, quae sexagenarios absolute et totaliter a iciunio excusat. Quod autem haec consuetudo vere subsistat, fatentur theologi. Vide Roncaglia (*De III praec. q. II.* II *4*), S. Lig. (*n. 1036*), Gury (*Cas. consc. I 469*), Scavini (*I 278*) etc. Idque videtur iuxta sensum Ecclesiae, quandoquidem Pius V interrogatus an senes sexagenarii, etsi robusti forent, a ieiunio excusentur, respondit excusari, ut dicunt Salmant. (*XXIII.* II *130*). Certe haec sententia est tutissima in praxi; passim enim ab auctoribus probatur; et plures censent sufficere quod annus sexagesimus sit incoeptus, ut videre est apud Dianam (*IV.* VI *R. 5 et 8*), Tamburini (*D. 4° Ecc. praec. X 5*), Ballerini, Scavini etc., dicentes quod in favorabilibus annus incceptus habetur pro completo.

52. Notandum quod Religiosi et quilibet ieiunia perpetua voverint, iuxta plures, excusantur et ipsi anno sexagesimo (nisi in voto explicite aliud intenderint); in

iuvenibus enim pietas, in senibus vero infirmitas praevalet. Potestas (*n. 2892*), et S. Lig. (*III 1038*).

III. *Infirmi* supra recensiti (*n. 6* III-v).

IV. *Mulieres gravidae.* Consuetudo est ut a quovis ieiunio excusentur.

Sed quid si ieiunarent? R. Si sint debiles, vel faciles ad abortiendum, iamque quintum praegnationis mensem attigerint, graviter peccarent, si Quadragesimam integram ieiunare vellent. Si tamen unam vel alteram vigiliam ieiunarent, non essent culpandae; imo ad ieiunium tenentur si adhuc incertae sint utrum conceperint; in tali enim dubio consuetudine non excusantur; et aliunde, si foemina sana ieiunet, nullum neque pro se neque pro foetu periculum subit, si in praegnationis initio adhuc sit. Id tamen intellige, nisi ex propria experientia abortus periculum subesse cognovisset.

V. *Mulieres lactantes.* Istae quoque omnino excusantur: pro duobus enim (nempe pro se et puero) comedere debent; unde et ipsae 1° peccarent si Quadragesimam integram ieiunarent; 2° peccarent etiam si lactis inopia laborarent, aut si puer esset infirmus, et nihilominus vigilias infra annum occurrentes ieiunare vellent.

VI. *Milites.* Laboriosis enim exercitiis quotidie subiici solent, atque insuper consuetudine excusantur.

VII. *Qui artes graviter laboriosas exercent.* Eugenius IV declaravit quod « artifices laboriosas artes exer- » citantes et rustici... non tenentur ieiunare » (apud S. Lig. *n. 1042*). Idque valet etiam si forte aliquis artifex extraordinario robore praeditus, sat commode ieiunare posset; consuetudo enim hanc exemptionem huiusmodi laborantibus generalem reddidit; unde scripsit Gury (*Cas. consc. I 470*): « Consuetudo eximit generatim a ieiunio « eos omnes qui huiusmodi artes exercent ». Ex hoc capite excusantur fossores (*i vangatori*); ligna scindentes (*spaccazocchi*), laborantes in fodinis et fusoriis; item fabri ferrarii, murarii, lignarii, carpentarii, aerarii, cuprarii; agricolae, operarii apud agricolas, hortulani, sulphur molentes, silicibus vias sternentes, typographi praelum versantes, in fornacibus aut furnis laborantes, laterarii, lapicidae (*scarpellini*), baiuli (*facchini*), remigantes, figuli, tinctores (si per se ipsos laborent), cannabem purgantes (*canapini*), lanam carminantes, tornatores (*tornitori*), cultros acuentes (*arrotini*), muros dealbantes, templa ornan-

tes (*addobbatori*), coriarii, pistores, laniones (si per se ipsos laborent); cribratores, stabularii, inservientes infirmis in magnis hospitalibus; longum iter, v. g. 20 chilom. pedibus conficientes, quamvis robusti assuetique itineribus essent et via bona foret (secus enim brevius iter sufficeret), venatores, pastores gregem ducentes, piscatores, aurigae, epistolas in magnis civitatibus ex publico diribitorio huc illuc deferentes, testarum connectatores, muliones, coqui (si valde laborent), calceos consuentes, pannorum purgatrices (*lavandaie*), fila serica trahentes (*lavoranti nelle filande*), scamna paleâ operculantes, textrices etc.

53. Hi omnes a ieiunio quidem excusantur, sed oportet ut non iam una vel altera hora dumtaxat, bene vero tota aut fere tota die laborare soleant. Attamen non essent scrupuli iniiciendi si aliquo raro die minus laborarent vel etiam prorsus otiosi remanerent; quandoquidem, propter laborem antecedentium et subsequentium dierum, necessitas vires reficiendi et conservandi eos satis excusaret. Si tamen diu otiosi remanerent, tunc ieiunare deberent, nisi ex alio capite excusarentur.

54. Quae dicta sunt de exercentibus artes valde laboriosas, ad alios qui parum defatigantur (v. g. barbitonsores) non sunt extendenda, ut patet ex prop. *XXX. XXXI* damnatis ab Alex. VII quae dicebant: « Omnes « Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati obliga- « tione ieiunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum « ieiunio ». — « Excusantur a praecepto ieiunii omnes illi qui iter agunt « *equitando*, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et « etiamsi iter unius diei conficiant ». Sed de his infra (*n. 60*).

55. *Quid de eo qui causam ieiuniam impedientem sine necessitate apponant?* Theologi recentiores rigidissimi sunt, adeo ut aliqui nequidem concedant ut pia peregrinatio suscipi possit, si propter illam ieiunium servari nequeat. Sed ego distinguendum esse censeo. Si causa consisteret in omissione medii, quod suapte natura ad ieiunium servandum adhiberi deberet (ut puta, si vir nobilis piscem aliosve cibos esuriales tempestive ad prandium parandum non emeret), utique tunc contra ieiunii legem peccatum interveniret. Si vero causa consisteret in re, quae cum ieiunio accidentalem dumtaxat relationem haberet, (ut puta, si quis die ieiunii, solo etiam recreationis fine, iter susciperet, ad venandum proficisceretur, aut folle luderet); tunc cum Metina aliisque (apud Sanchez *Dec. I.* xv et Croix *III.* II *1334*) dicerem contra ieiunii legem peccatum non adesse (saltem si raro id fieret, ut dicit Viva *Prop. XXXI* Alex. VII), nisi in ipsius legis fraudem labor assumeretur. Imo si quis opus pium magnaeque mortificationis ad declinandum ieiunium assumeret, adhuc damnandus non esset. Et sane (ait cl. Ballerini *I 110*) quis damnabit eum, qui, ne ieiunet, infirmorum peste laborantium servitio per Quadragesimam se dedicaret?

PUNCTUM II.

De personis quae facile a diuturnis, non vero ab alicuius tantummodo diei ieiuniis, excusantur.

56. Personae huiusmodi sunt sequentes.

I. *Senes ante annum sexagesimum.* Aliquos citius senescere, patet evidenter. Foeminae ordinarie sicut citius adolescunt, ita citius senescunt. Hinc multi censent, foeminas quinquagenarias generatim excusari posse ratione senectutis; imo non deesse sive foeminas sive viros, qui anno quadragesimo vel etiam prius, hac de causa excusari queunt. Lessius (*IV.* II *41*), Sanchez (*Consil. V.* I *4*), Ballerini (*not. ad n. 509*).

Quoad foeminas aliqui obiiciunt quod minori cibo indigent, unde commodissime et quin famem patiantur ieiunare possunt. Sed respondendum, id non esse verum generaliter; et in praxi foeminas, quae a ieiunio eximi optant, esse illas quae ieiunando famem patiuntur; quaeque proinde indigent abundantiori aut saltem frequentiori alimento, quod ratione senectutis illis negari non debet.

Quum tamen exemptionis a ieiunio ante annum sexagesimum generalis consuetudo non adsit; hinc a solo gravi incommodo exemptionis ratio peti debet; unde nec foeminas quinquagenarias, nec alios ante annum sexagesimum iam senes, excusarem totaliter; non raro enim in vigiliis infra annum occurrentibus, aut etiam in aliquibus interpolatis quadragesimae diebus (saltem grossiori modo) sat commode ieiunare possunt. Reapse Sanchez, qui theologorum foeminas quinquagenarias excusantium dux est, evidenter non de aliquibus diebus sed de integro Quadragesimae ieiunio loquebatur inquiens (*De Matr. VII.* XXXII *17*: « Nec ulla illis *longa* inedia est « iniungenda ». Dixi *grossiori modo;* idque declarabitur infra (*Punct. IV*)

II. *Pauperes.* Si famem pati soleant (sive mendicent sive prae verecundia a mendicando abstineant) certe a quovis ieiunio excusantur. Idem dic de iis qui, quamvis famem non patiantur et vulgariter pauperes non dicantur, tamen solo pane (forsan furfuroso) et allio aliisve miserrimis cibis absque offa (*menestra*) vescuntur. Hos ad ieiunium (etsi solum unius diei) cogere duritiem saperet; unde totaliter excusari debent. At vero si praeter dictos cibos, etiam offam et vinum haberent, tunc (nisi alia incommoda superadderentur) ad vigilias infra annum atque aliquos

interpolatos quadragesimae dies, sed non ad totum quadragesimale ieiunium, adstringerentur. Salm. (*n. 133*), Croix (*n. 1321*), Gury (*n. 507*).

III. *Qui, ientando abundanter vesci sunt assueti.* Servare ieiunium usque ad meridiem specialem et vere extraordinariam difficultatem personis huiusmodi afferre solet. Utique sola gulositas aut aliqua molestia non excusat; sed, si stomachus naturaliter vel propter diuturnam assuefactionem (quamvis initio forte fuisset vitiosa) abundanti ientaculo indigeret; tunc excusatio legitima, saltem quoad longum quadragesimae ieiunium, adesset; quoad alias vero vigilias decidendum foret ex circumstantiis. Ita Tamburini (*X 29*), Croix (*n. 1324*) et Bonacina, qui (*P. ult. n. 15*) scripsit: « Medina ait, magnam difficultatem, « quae ieiunando sentitur, non excusare a ieiunio, nisi « etiam ieiunium sanitati noceat. Sed hoc mihi non pro- « batur, dum magna difficultas aequivalet magno incom- « modo ».

IV. *Qui cum sola coenula esuriali noctu somnum capere nequeant;* nec isti ordinem invertere (nempe prandium cum caena commutare) tenentur. Croix (*n. 1325*), Tamburini etc.

V. *Qui in artibus vel officiis non valde quidem (ordinarie) defatigantibus occupantur, sed ita ut ieiunii pondus non semper sat facile sustineant.* Tales sunt, v. g. aurifices; horologiarii; inaurantes; statuarii; vitrarii; pictores; vernice pingentes; pileos conficientes; sartores; barbitonsores; telegraphistae; ex ebano opera conficientes; villici *(fattori)*; mercatores; proxenetae; caupones; viridarii vel horrei aut cellae vinariae custodes; bibliopolae; dulciariorum pistores *(pasticcieri; dolcieri; caffettieri);* venditores; pharmacopolae; medici; famuli; inservientes alicui infirmo; scribae et secretarii; ministri; missionarii; concionatores; confessarii; parochi; cantores; advocati; iudices; professores; magistri; scholarii etc.

Quoad istos sumendum est consilium ex circumstantiis. Vide, v. g. an sint robusti, an vero debiles. Vide an die ieiunii ita laborent ut valde defatigentur, prout interdum contingit villicis, mercatoribus, proxenetis, cau-

ponibus, viridiarii vel horrei vel cellae vinariae custodibus, famulis, missionariis etc. Vide an nocte quoque (et maxime pluribus noctibus consecutivis) laborent: prout potest contingere sartoribus, telegraphistis, cauponibus, venditoribus, *caffettieri*, pharmacopolis, medicis, obstetricibus, famulis, missionariis, parochis etc. Vide an prandium ad unam vel alteram horam post meridiem protrahatur (prout contingere solet alicubi quoad omnes artifices et officiales), maxime si de longis diebus aestivis agatur et mane valde diluculo surgant; neque dicas collationem serotinam tunc mane peragi posse; hi enim artifices coenare assueti et post vespertinum laborem cibo indigentes, absque coena somnum male capere poterunt. Vide an, deficiente labore corporis, adsit magnus et diuturnus labor mentis, qui nobiliores cerebri spiritus consumit, cibique restaurationem exposcit; prout contingere potest speciatim professoribus, scholariis etc. (1). Vide an occupatio sit continua per multas horas, et stomachum defatigans; prout potest contingere scribis, secretariis, confessariis, magistris etc. Vide an, inspecto solo labore aliquorum dierum sat facile quidem ieiunium tolerari possit; sed virium extenuatio ex hoc ieiunio proveniens periculum ingeneret quod labores sequentium dierum sustineri nequeant; prout speciatim missionariis, monialium confessariis, praedicatoribus in Quadragesima (maxime si in fine exercitia spiritualia populo dare debeant) contingere potest.

Caeterum, loquendo etiam de eadem arte vel officio, magnae differentiae adesse possunt inter casum et casum. Sic. v. g. concio quadragesimalis, etiam quotidiana, fere nihil erit consideranda si concionator praeparatione non indigeat et in dicendo parum agitetur, aut valde sit ro-

(1) Marc (*n. 1239*) dicit: « Scholastici excusantur si per quinque « saltem horas studiis necessariis seu a magistris iniunctis vacent ». Magna distinctio fieri debet inter studium serium (mente ad cogitandum valde se applicando) et studium superficiale. Primum valde facilius excusat; quandoquidem (ut doctus medicus dicebat) unica hora studii serii exhaurit vires tantum quantum octo horae laboris corporalis (v. g. fabri vel fossoris). Applicatio mentis atque etiam vita sedentaria morbos nervosos, infirmitates stomachi et vescicae, aliaque incommoda producere solet. Vide Descuret (*Medicina delle pass. C. XVI Maniera di studiare*).

bustus. Idem dic de illis professoribus, qui lectionem iam centies repetitam recitant. Secus, si magno studio indigeant, aut valde agitentur debilesque sint etc.

57. Bona regula erit etiam sequens: Qui, ientando, magnam cibi quantitatem sumere solent (ut supra dixi), a quovis ieiunio, si labor notabilis adiiciatur, facile excusantur. Quoad illos vero, qui simplici et ordinario capheo uti solent, distingui debet. A vigiliis infra annum occurrentibus difficile excusabuntur; facile vero (intellige semper si notabiliter et diu quotidie defatigentur) a ieiunio quadragesimali: quatenus illud (saltem partialiter) omittere, aut grossiori quodam modo (de consilio confessarii) servare poterunt.

58. Aliam regulam optimam tradit Tamburini (*De 4° Eccl. praec. X 15*) inquiens, ieiunare non debere illum, cui ieiunium « operationes eius ordinarias impedit, ita ut, « consueto suo modo operandi, eas continuare commode « cum ieiunio nequeat. Hinc si scholasticus ex ieiunio « capite dolere soleat, vel quomodocumque cum difficultate « studeat; si mulier ex debilitate ieiunii servitia domus « incommode operetur; si vir quilibet suum officium ar- « temque ieiunando difficulter exerceat, etc.; ex hoc ca- « pite a ieiunando legitime excusabuntur ».

VI. *Complexione et stomacho debiles, quique lentis morbis laborant in gradu remissiori.* Hi de facili a ieiunio quadragesimali (saltem partialiter) excusantur, sed non aeque ab aliis vigiliis, maxime si ovis et lacte vesci queant; nisi tamen eo die hemoraggiis aut stomachi perturbationibus subiiciantur. Idem dic de iis qui cibis esurialibus nimis cito satiantur, et post breve tempus stomachum vacuum non sine magna molestia et fame sentiunt. Isti enim ad minus aliquid inter refectionem et coenulam sumere poterunt.

VII. *Maritus, qui propter ieiunium uxori suae (expresse aut interpretative petenti) maxime si illa in periculo incontinentiae versaretur, debitum reddere nequiret.* Porro id contingere quidem potest propter ieiunium quadragesimale, sed non facile propter simplicem vigiliam.

Dantur casus rari, in quibus etiam *uxores* propter ieiunium minus aptae evadere et maritis displicere aut etiam in illis suspiciones atque zelothypiam ingerere possunt; sed frequentius accidit quod aliis de causis ad pacem cum viris servandam a ieiunio plus vel minus abstinere coguntur. Sola tamen mariti prohibitio (nisi aliae malae consequentiae superaddantur) non sufficeret; quia magis Deo quam hominibus parendum est.

VIII. *Puellae et viduae maritum quaerentes, si propter ieiunium venustatem ita amissurae essent, ut res huiusmodi matrimonio obstare serio posset.* De isto casu post Sanchez (*De Matr. IX.* III *12*) recte sic scribunt Salm. (*XXIII* II *127*): « Hoc, licet ab aliquibus ieiuniis « continuatis excuset, non tamen ab omnibus; quia semel « aut iterum in hebdomada ieiunare, notabilem deformi- « tatem causare nequit ».

IX. *Illi, quibus ieiunium spiritualiter, potius quam prosit, obsit; quatenus ieiunando vivissimis carnis tentationibus exponantur.* Casus huiusmodi utique in personis sanis rarissimus erit. Illo autem contingente, theologi censent, causam istam non esse sufficientem ut quis a ieiunio excusetur, quia (dicunt) ageretur de conatu diabolico ut Christifideles a ieiunio avertantur, et non desunt media quibus carnis tentationes superentur. Sed haec ratio non satis convincit. Ieiunium continuatum fibras ita relaxare potest, ut non iam conatus diabolicus, sed verissimum phaenomenon physicum vehementissimos carnis motus causet; idque magnam individui debilitatem indigitat, quae in foeminis histericis frequens est, atque (praescindendo etiam a tentationibus) sufficit ut diuturni ieiunii obligatio adesse nequeat. Caeterum, si vere ageretur de persona sana et robusta, utique alia media adhiberi deberent ut tentationes superentur: sed, si haec non sufficerent et lapsus (praeter consuetum) locum haberent; tunc etiam causa sufficiens ieiunium intermittendi non deesset: si enim pericula corporalia, aut spiritualia aliena (ut dixi mox supra *n. VII*) a ieiunio excusant, cur magnum periculum spirituale proprium excusare non poterit?

59. *Quid de locis ubi pisces comparare valde difficile vel prorsus impossibile esset?* Hic casus contingere potest speciatim in montanis locis, quando propter nivem accessus ad civitates diu impeditur. Illuc qui bonis prandiis sunt assueti, et propter talem impossibilitatem fere solis herbis et leguminibus uti cogerentur, ad multos dies sic transigendos adstringi nequirent; unde tunc in Quadragesima identidem usus lacticiniorum, aut etiam carnium vetitarum (deficiente indulto) iisdem permitti posset. Scavini (*n. 391*).

PUNCTUM III.

De non valentibus ieiunare modo perfecto.

60. Haec perfecte ieiunandi impotentia contingere potest quoad ciborum 1° quantitatem; 2° qualitatem.

61. Quoad *ciborum quantitatem:* si leve augmentum sufficeret (v. g. coenula paullo abundantior, aut bucella panis ante meridiem eo quod prandium nimis retardaret) tunc ieiunium substantialiter non vitiaretur, unde idem augmentum sumi et ieiunium servari deberet. Hinc scripsit Sanchez (*Consil. V.* I. IV *3-4*): « Confessarius neces-« sitati provideat cum minima legis iactura: ut si fuerit « satis ut horam praeveniat, vel nocturnam refectiunculam « indulgentius faciat, debeat hoc concedere, et non ex « toto ieiunium relaxare ».

Si vero leve augmentum non sufficeret, tunc ieiunium substantialiter destrueretur; et sic non esset cur taliter indigenti quidquam obligationis quoad ciborum quantitatem remaneret; unde quantum et quando vellet comedere posset.

Idem dic si quis sive culpabiliter sive inadvertenter duas copiosas refectiones iam fecisset; aut mane abundanter ientavisset, neque a prandio et coena abstinere posset.

62. Quoad *ciborum qualitatem:* pariter videndum an carnium vel lacticiniorum indigentia talis ac tanta sit, ut iam substantia ieiunii destruatur. Sic, v. g. qui mane

indigeret lacte atque in prandio carnibus, et in coena cum solis cibis esurialibus stare nequiret, ille profecto tanto nutrimento indigeret ut ieiunium pro ipso prorsus evanesceret. Idem dic de eo cui propter seriam infirmitatem, occurrente vigilia, carnes necessariae essent; non enim scrupulose nimis inquirendum foret an carnes vel iusculum carnis pro solo prandio concedi et de caetero ei vetari deberent.

Si vero circumstantiae ita essent dispositae ut ciborum vetitorum usus ieiunium substantialiter non vitiaret; tunc, iis adhibitis, adhuc ieiunandum esset. Exempla. Titius ieiunii pondus tolerare potest dummodo vetitis lacticiniis in prandio utatur. S. Lig. (*III 1037 in fin.*). Caius ieiunium quadragesimale perficere potest dummodo in prandio carnes (supponitur hic quod indultum non adsit) adhibeat (Croix *III.* II *1325*); tunc enim ieiunii substantia, seu (ut aiunt) *forma*, adhuc servatur. Sempronius totam quadragesimam observare potest, dummodo mane in capheo tantillum lactis infundat. Livius propter malefirmam salutem est dispensatus ad carnes; sed, his adhibitis pro unica comestione, de caetero satis commode ieiunare potest. Cf. Bened. XIV (*De Syn. VII.* III) et Acta (*I 423 II*).

63. *Quid si tempore pestis aut alterius morbi concessus fuisset usus carnis non solum in prandio sed etiam in coena?* Practice in indultis clare exprimi solet quod Christisfideles nedum quoad carnes sed etiam quoad ieiunium dispensantur. Caeterum qui sive ex dispensatione sive ex necessitate posset uti carnibus etiam in coena; iam ex hoc ipso (ut alibi notavi) a ieiunio (quod nimis substantialiter vitiatum esset) exemptus esset.

De dubitantibus circa ieiunii vel abstinentiae a carnibus seu lacticiniis obligatione.

64. *Quid de dubitantibus utrum hodie sit vigilia de praecepto, vel utrum mediae noctis punctum (a quo vigilia incipit) advenerit, vel utrum annus vigesimus primus completus fuerit?*

Inquisitiones discretas (si possint) prius facere debent; sed postea, si forte dubium directe solvere nequeant, propter principium quod in dubio possidet libertas, illud indirecte solvere, et sic absque ieiunio comedere possent.

Ad iudicandum autem an sufficienter inquisitum fuerit, circumstantiae considerandae sunt; maiores enim inquisitiones necessariae essent, v. g. si dubium Quadragesimam respiceret; et minores sufficerent si dubitaretur an hodie sit vigilia, quo casu sufficere videtur si apud familiares aut vicinos aliqua inquisitio fiat. In genere loquendo, quo maior est rei gravitas, gradus dubii, facilitas et commoditas inquirendi, eo strictius et diligentius inquirendum est.

In quovis casu tamen iudicium probabile quod satis inquisieris, sufficiet. Cf. Sanchez (*Dec. .I.* IX *25 X 5*).

65. *Quid de dubitantibus utrum in hac vigilia adeps, butyrum, aut lacticinia adhiberi queant, et inquisitiones fieri nequirent, vel istae dubium non solverent?* Casus iste est diversus a praecedenti; et videtur standum esse praesumptioni. Adipe scilicet, butyro etc. uti poterunt, si casus in quibus haec vetantur sint rari et exceptionales; quando enim ex indulto vel consuetudine regula generalis sit ut haec liceant, iam possidet libertas, et exceptio probari debet. Si vero casus, in quibus haec interdicuntur, multi essent; tunc (si faciliter cibi stricte esuriales adhiberi possent) a parte tuta stare oporteret. Attamen qui sic in dubio huiusmodi cibis utitur, peccare videtur minus eo, qui de prohibitione certus sit; unde de casu simili scripsit S. Augustinus (*De fid. et opere XIX 35*): « Veniaeliter ibi quisque fallitur ». Et, tali dubio subsistente,

incommodum minus a quavis culpa excusare potest; aegre enim quis incommoda subit cum periculo illa subeundi frustra.

66. *Quid de serio dubitantibus quod ieiunium (et idem dic de usu ciborum esurialium) ipsorum sanitati graviter nocere possit?* Ieiunare non tenentur; non solum enim certitudo, sed etiam periculum sanitati propriae graviter praeiudicandi, a ieiunio excusat.

Cavendum tamen ab hallucinatione, et curandum ut dubium prudenter solvatur; maxime si agatur de ieiunio quadragesimali, aut si quis totaliter ab omnibus ieiuniis se eximere vellet.

Optima dubii solutio habetur ab experimento; nemo tamen adeo experiri tenetur, ut experimentum ipsum periculosum sit, et qui iam in antecessum experientiâ novit ieiunium sibi graviter nocere, denuo experiri non tenetur, nisi conditiones esse mutatas evidenter dignoscat.

Per se loquendo regula est ut medici consilium exquiratur. Oporteret tamen ut medicus vir probus et catholicus esset; si enim foret de illis qui omnes (et maxime istas de abstinentia et ieiunio) Ecclesiae leges odio habent; tunc solius confessarii consilium exquirere melius esset. Verum est quod Benedictus XIV in Bulla *Non ambigimus* exigit utriusque medici consilium; sed hoc statutum fuit tamquam regula servanda in dispensationibus a Superiore concedendis, non vero tamquam necessarium ut hic vel ille a ieiunio naturaliter excusatus iudicari possit; ad huiusmodi enim excusationem quaelibet probabilis ratio sufficit; unde scripsit S. Lig. (*n. 1033*): » Si quis sibi « persuadeat..... ex probabili ratione ieiunium graviter « nociturum, ieiunare non tenetur ». Hinc ne confessarii quidem consilium exigitur absolute: et vir prudens, qui ex ieiunio grave nocumentum timeret, non esset inquietandus si, etiam confessario non interrogato, ieiunium omitteret. Id autem multo facilius concedi debet quoad vigilias infra annum occurrentes; non enim tenentur christifideles sacerdotem quaerere toties quoties, occurrente vigilia, ieiunium eo die tolerare non posse sibi videntur. Cf. Frassinetti (*not. 91*).

Dices: Si non solum certitudo, sed etiam dubium ne ex ieiunio nocumentum suboriatur, sufficit ut quis excusetur; tunc ad quid dispensationes? R. Dispensationes (praeterquam quod maiorem conscientiae tranquillitatem suppeditant) deserviunt pro casibus, in quibus, sive quia nocumentum non sit adeo magnum, sive quia dubium non sit adeo grave, seclusa dispensatione, excusatio, saltem totalis, non haberetur. Diana (*IV.* VI. LXXIII *2*).

67. Qui totius quadragesimae ieiunium sustinere nequit, atque insuper certus esset quod nequidem per maiorem quadragesimae partem ieiunare valet; dubitaret autem circa partem possibilem determinandam, et in re ista conscientiae angustias pateretur, stare deberet consilio confessarii, qui forte interdum etiam a toto illum dispensare posset. Cf. Viva (*Prop. LIX. Innoc. XI 16*).

68. *Quid de dubitantibus utrum iam ad sexagesimum annum pervenerint?* Iuxta plures, adhuc ieiunare tenentur; quia possidet lex. At vero cum mica salis id intelligi debet; huiusmodi quippe senes non raro aequiparandi sunt iis qui dubitant utrum ieiunium ipsorum sanitati grave nocumentum allaturum sit; unde a ieiunio (saltem quadragesimae integrae) ut plurimum excusari poterunt.

69. *Quid de dubitantibus utrum ratione laboris excusentur?* Responsio est ut supra; si enim, attentis communiter contingentibus aut particularibus circumstantiis, serio et graviter timeri debeat ne ieiunium tali labori coniunctum magnum aliquod praeiudicium allaturum sit: id satis est: quandoquidem Ecclesia neminem magnis periculis exponere intendit.

PUNCTUM V.

Quid de dispensatione a ieiunio?

70. De dispensatione pro usu carnis egi supra (*n. 15*): et hic dicendum est aliquid de dispensatione a ieiunio.

71. Parochi non solum declarare hunc vel illum a ieiunio excusari; sed vere (in casibus particularibus) dispensare possunt; idque quamvis facilis ad Episcopum

aditus pateret. Sic dicunt passim cum S. Lig. (*n. 1032*), qui subdit, capellanos quoque (scilicet parochorum vicarios) dispensare posse, nisi parochi expresse repugnent.

72. Possunt quoque dispensare cum suis subditis (et adhuc cum semetipsis) praelati Regularium, etiam non supremi, eorumque vicarii. S. Lig. (*l. c.*).

73. Superior qui dubitat an causa adducta ad dispensandum sufficiat, aliquod pium opus ad modum commutationis iniungat; sed de caetero subditum tranquillum relinquat, et non dicat: conscientiae tuae rem hanc remitto.

74. Confessarii neque dispensandi neque commutandi ullam habent facultatem; ad illos enim pertinet solum iudicare an poenitens ad ieiunium teneatur, an vero a ieiunando excusetur. Attamen, si poenitens bona fide existimet sufficere si grossiori modo aut partialiter tantummodo ieiunet; tunc confessarius prudentiam adhibeat, et de facili illum in sua bona fide relinquat, ne forte admonitus omnia ieiunia culpabiliter omittat. Ita theologi unanimiter cum S. Lig. (*n. 1049 in fin.*).

PUNCTUM VI.

De casibus practice occurrentibus eo quod ieiunii obligatio in uno loco vigeat et non in alio.

75. In hoc casu, dubia exurgere possunt quoad peregrinos, scilicet illos qui a patria discedunt, quin extra patriam domicilium constituant. Modi possunt esse diversi; discessus enim contingere potest in fraudem legis (scilicet ex unico motivo evitandi incommodum ieiunii), vel sine malitia ista. Item ieiunium potest esse in patria et non extra patriam; vel e converso non in patria sed solum extra patriam; vel denique tam intra quam extra patriam.

76. *Quid si, absque fraude legis, a patria, ubi ieiunatur, quis migret alibi ubi non ieiunatur?*

Si in patria ieiunaretur ex lege generali, et extra patriam ieiunium non servaretur propter religionis diversitatem (eo quod civitas, v. g. ab Ethnicis vel Haereticis

habitaretur): id certe nullam excusationem constitueret, nisi Catholici quoque illuc a ieiunio exempti censerentur.

Supponendo itaque vel quod ieiunium in patria esset mere particulare, vel quod contra legem generalem extra patriam adesset legitimum privilegium aut legitima consuetudo non ieiunandi; tunc si discessus a patria ante diem ieiunii, simulque reditus tali die iam elapso accideret, peregrinus ad nihil teneretur; peregrini enim ex una parte ad leges patriae non tenentur, et ex alia privilegiis locorum gaudent.

Si autem sive discessus sive reditus intra eundem ieiunii diem accideret, tunc peregrinus, horis quibus extra patriam versabitur, certe neque ieiunare neque a carnibus abstinere obligabitur; horis vero quibus erit in patria, patriae ipsius lege tenebitur; attamen solum quatenus illius observatio possibilis et compatibilis remansisset. Hinc in patria debebit quidem semper abstinere a carnibus vetitis; non vero semper debebit ieiunare; si enim extra patriam ieiunium substantialiter iam fregisset vel fracturus esset, iam quomodo illa die ieiunare posset?

77. *Quid si quis a patria, ubi non ieiunatur, migret alibi ubi ieiunatur?* Si ex lege locali extra patriam ieiunetur, tunc peregrinus ieiunare non tenebitur, peregrini enim ad leges particulares locorum ubi transeunt, non obligantur. Tenebitur e contra si ex lege generali illuc ieiunium servetur, quia peregrini extra patriam privilegiis patriae frui non possunt.

78. *Quid si quis migraret extra patriam, sed tam in patria quam extra patriam ieiunium servaretur?*

Hic (uti patet) non est sermo de ieiunio quod lege Pontificia eodem tempore tam in patria quam extra patriam vigeret (quod utique semper servandum esset); bene vero de ieiuniis vel mere dioecesanis, vel pontificiis quidem sed ita ut diversis diebus in diversis locis vigeant.

Si agatur de ieiuniis mere dioecesanis, Gury (*I 95*) censet (contra S. Lig. *I 156 in fin.*) peregrinum ad nihil teneri; legibus enim territorialibus dioecesis suae non tenetur quia est extra dioecesim; legibus autem alterius episcopatus pariter non tenetur, quia non est subditus.

Si vero ageretur de ieiunio lege Pontificia diversis diebus in diversis locis observando; tunc peregrinus, qui iam ieiunasset in patria sua, alibi quoque ieiunare non teneretur. Hinc Italus, qui in patria ieiunavit in vigilia S. Petri, non tenetur iterum ieiunare in Gallia, ubi hoc ieiunium ad sabbatum sequens tranfertur (Gury *I 95*). Et idem dicerem de Gallo qui in Italia ieiunasset. Ratio est quia qui praecepto iam satisfecit, non tenetur iterum satisfacere.

13413

79. *Sed quid de discessu in fraudem legis?* Qui (prout contingere posset v. g. in diversarum dioecesium confiniis) ex unico fine evitandi incommodum ieiunii alibi se confert, hodie a theologis communiter excusatur, quia (dicunt) utitur iure suo; et sic docet etiam S. Lig. (*I 152 et III 1046*). Attamen, quoad alias leges, fatentur excipi debere casum reservationis et impedimenti clandestinitatis in matrimonio ex decretis Urbani VIII et Clementis V. Haec sententia probabilitate extrinseca (et quidem magna) certe non caret; sed sensui communi timoratorum Christifidelium cohaerere non videtur, et Benedictus XIV (*De Syn. XIII.* IV *10*) nedum tenuit sententiam contrariam, sed etiam dixit: « Neque hodie fas esse vide« tur ab hac sententia recedere », quia scilicet praedicta Decreta non iam de exceptionibus, sed de regulae generalis (quae dicit fraudem et dolum nemini patrocinari debere) applicatione ad illos casus particulares, intelligenda sunt. Vide etiam Lugo (*De Matr. I 8*).

PUNCTUM VII.

Excusati a ieiunio, ad quid (diebus ieiunii) obligantur?

80. Isti comedere possunt quantum et quoties volunt; sed imprimis circa ciborum qualitatem, nonnullis factis exceptionibus, debent ieiunantibus se conformare; unde quando ieiunantes carnibus aut lacticiniis uti nequirent, eiusmodi epulae non ieiunantibus quoque interdictae remanerent.

Dixi: *nonnullis factis exceptionibus,* et hae sunt sequentes:

I. Exempti, eo quod in die ieiunii localis, extra patriam versentur, carnibus illuc licitis vesci possunt.

II. Si adsit indultum pro lacticiniis vel pro carnibus, illi qui ratione aetatis vel laboris a ieiunio excusantur, iisdem vesci possunt toties quoties infra diem comedunt, quamvis ieiunantes solum in prandio iisdem uti possent.

An fideles qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, licite possint in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus et lacticiniis, per idem indultum permissis, quoties per diem edunt? S. Poenitentiaria die *24 febr. 1819* respondit: *Posse* (apud Acta *Vol. XIV pag. 568*). Haec tamen decisio non valeret pro iliis locis in quibus aliter statutum fuisset, ut puta, si, permissis carnibus pro prandio, in aliis refectionibus ova et lacticinia tantummodo non ieiunantibus permitterentur. Ita S. Poenit. (*27 maii 1863* apud Monitore *Vol. I pag. 381*).

III. Excusati a ieiunio propter morbum, possunt et ipsi vesci carnibus indulto permissis quoties per diem edunt, iuxta responsum S. Poenitent. die *16 martii 1882* (apud Acta *l. c.*); imo idipsum eisdem liceret, quamvis indulto non permitteretur, sed iudicio medici necessarium esset; ut patet ex ipsa S. Poenit. (*l. c.*) ubi dixit quod excusatis sola ratione aetatis vel laboris *non sunt aequiparandi;* idque declaravit etiam Card. Barnabò Praefectus Congr. de *Propaganda Fide* (die *8 martii 1864*) apud Monitore (*Vol. I pag. 403*).

81. *An vetitum non miscendi carnes cum piscibus extendatur etiam ad non ieiunantes diebus ieiunii?*

Affirmative si esus carnis eisdem permittatur sola vi indulti aut dispensationis. Patet ex decreto S. C. S. O. (*22 iunii 1875* apud Acta *XIV 144*) sequentis tenoris.

« Huic S. C. dubium fuit propositum ab Episcopo Baionensi. Utrum « obligatio de non miscendis piscibus cum carne diebus quadragesimae « attingat omnes, qui vi indulti vesci carnibus possunt, vel solummodo « eos qui ieiunant?.... E.mi ac R.mi Cardinales rescribi mandarunt: *affir-* « *mative quoad primam partem: negative quoad secundam:* et detur de- « cretum *21 martii 1841:* nempe ad dubium: an lex de non permiscendis « licitis et interdictis epulis eos etiam respiciat qui ad unicam comestio- « nem non tenentur, uti iuvenes antequam tertium compleverint septen- « nium, aliique rationabiliter ab eadem excusati ob impotentiam vel la- « borem? E.mi decreverunt: *Non licere* ».

CAPUT III.

DE ANNUA CONFESSIONE.

82. I. Praeceptum confessionis annuae obligat solum si de peccatis mortalibus sive certis sive dubiis agatur; Christus enim non venialium sed mortalium dumtaxat confessionem praecipit; Ecclesia autem non facit novum praeceptum, sed solum determinat tempus intra quod adimpleri debet, ne scilicet confessio ultra annum differatur.

II. Hoc praecepto tenentur etiam pueri non adhuc ad Communionem admissi, dummodo tali discretione polleant, ut peccatum mortale reapse committere potuerint.

III. Pro his pueris annus ita computari debet, ut saltem ultra annum a primo peccato mortali commisso confessio non procrastinetur; postea autem annus vel ab ultima confessione, vel a ianuario ad ianuarium, vel a paschate ad pascha computari potest; Ecclesia enim circa hoc nihil determinavit, sed dixit solum: « Omnis utriusque « sexus fidelis postquam ad annos discretionis devenerit, « omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem se- « mel in anno ». (*Concil. Later. IV. Can. 21*).

IV. Haec obligatio est gravis.

V. Qui facit confessionem sacrilegam aut invalidam, praecepto non satisfacit. Cf. S. Lig. (*VI 652*).

CAPUT IV.

DE COMMUNIONE PASCHALI.

83. *Undenam praeceptum communionis paschalis?* Ex dicto Concil. Later., quod post verba supra citata dixit: « suscipiens reverenter, ad minus in pascha, eucharistiae « sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis iudicio, ob « aliquam rationabilem causam, ab eiusmodi susceptione du- « xerit abstinendum ». Patet etiam ex Tridentino (*XIII* IX).

84. *Qui sacrilege communicat satisfacitne praecepto?* Negative. Patet ex *prop. LV* ab Innocentio XI damnata

quae dicebat: « Praecepto communionis annuae satisfit « per sacrilegam Domini manducationem ».

85. *Ad communionem paschalem* ***quinam tenentur?*** Illi omnes qui sive a proprio parocho sive legitime ab alio superiore ad sacram mensam admissi fuerint.

Si alicubi non sit mos ut parochi ad primam communionem pueros admittant, tunc pueri communicare debent quando pervenerint ad aetatem, in qua huius sacramenti cognitionem et gustum habeant (*Rit. Roman.*); qua de re iudicium ad parentes et confessarium spectabit, ut dicit Catechismus Rom. (*II.* IV *16*).

Benedictus XIV (*De Syn. VII.* XII) adhuc melius rem hanc declaravit inquiens: « Non omnis discretio, quae sufficiens habetur ad se « expiandum sacramentali confessione, satis est ad rite percipiendam « eucharistiam, cuius excellentia maiorem exigit in suscipiente iudicii « maturitatem ut debita religione ac reverentia ad eam accedat. Quo vero « aetatis anno eam maturitatem advenisse sit praesumendum, non potest « certa regula definiri, cum alii tardius alii citius perfectum rationis usum « rerumque spiritualium intelligentiam assequantur: id autem intra decimum tertium et decimum quartum aetatis annum communiter evenire, « notat Suarez ».

86. *Quid si, existente consuetudine ut parochus pueros ad primam communionem admittat, adsint in eius paroecia iuvenes, qui decimum quintum vel decimum sextum annum iam habeant et adhuc ad sacram mensam non fuerint admissi?*

R. Dari potest aliquis casus exceptionalis et rarissimus, in quo parochus alicui iuveni hanc admissionem ultra quartumdecimum annum differat iusta de causa, v. g. quia nuper ad eius paroeciam devenerit et adhuc convenienti instructione careat, bonusque parochus illum prius instruere velit, timendo ne, sicut accidere solet, postea catechismum derelicturus sit. Et, quatenus certe vel probabiliter res ita se haberent, talis iuvenis ad communionem adhuc non teneretur.

Si vero iam certe constaret, factum huiusmodi ex mera parochi incuria aut cerebrositate provenire, tunc iuvenis communicare deberet; haec enim parochi incuria aut cerebrositas communionis annuae legem, et ius quod habent fideles sacramentis participandi, destruere nequiret. Frassinetti (*I not. 93*). Si tamen parochus serio se oppositurus esset, ad Vicarium Foraneum vel ad Episcopum recurrendum esset.

87. *Quid de* ***semifatuis?*** Si panem a pane non distinguant, et maxime si reverenter non essent accessuri, tunc certe hac lege non tenerentur. Secus, si secus. S. Lig. (*VI 309*).

88. *Quid de iis qui ex morbo (etsi mortis non periculoso) ieiuni stare nequeant, atque (ut ita dicam)* ***quovis momento aliquid sumere indigeant*** *ad modum cibi vel potus?* Praeceptum communionis annuae (utpote divinum) praecepto ieiunii (utpote ecclesiastico) praevalere videtur. Hoc tamen intellige nisi satis commode

statim post mediam noctem communio fieri posset, et de licentia Episcopi. Caeterum de re ista sermo redibit infra, ubi de sacramento Eucharistiae.

89. *Quid de* ***surdis mutis*** *a nativitate, qui in scholis instructi non fuerint?* De his magna hodie quaestio agitatur, et D'Annibale (*III 133*) sentit, solum in morte absolutione sub conditione eos donari posse; quum iam fere certum sit, eos omnium rerum supernaturalium ignorantia laborare et fide actuali prorsus incapaces esse, prout Romae (*a. 1854*) senserunt quatuor Cardinales, viginti Episcopi, et plus quam viginti surdorum-mutorum institutores. Attamen ego dicerem (cum Lambert el eemosynario Imp. instituti surdorum-mutorum Parisiis), hos surdos-mutos ned um in morte sed etiam in paschate ad communionem accedere atque admitti posse, dummodo reverenter accedant. Rationes sunt sequentes. 1° Ipsi per baptismum fideles sunt et sacramentorum capaces. 2° Sacramentum eucharistiae ad sui validitatem nullum suscipientis actum exposcit; et antiquitus infantibus quoque administrabatur. 3° Surdi-muti absque ulla irreverentia, imo devote (panem a pane distinguentes), ad sacram mensam accedere solent. 4° Ecclesiae praxis semper fuit ut eucharistia iisdem concedatur; et hodie quoque haec praxis servatur. 5° Surdi-muti cognitionem (quamvis confusam) habent Dei (nempe magni et supremi domini); idque testati sunt plurimi ex ipsis, qui postea in litteris eruditi fuerunt. 6° Bonum a malo distinguunt, et familiari educatione cognoscunt quae fieri et quae evitari debeant; secus a Deo poenas luituri; unde legis quoque aliquam cognitionem habent. 7° Sicut cognoscunt die Veneris et Sabbati carnes comedi non posse, quia secus Deus offenderetur; ita nil vetat quominus cognoscant in paschate ad sacram mensam esse accedendum. Quae cum ita sint; cur huius sacramenti et praecepti capaces non erunt? Ita sentiunt S. Lig. (*VI 193*), Laymanu (*V.* IV. IV *5*), et novissime Roetti (*Dei sordo-muti*).

90. *Quid de* ***obsessis a daemone?*** A communicandi praecepto hi certe (seclusa irreverentia) non excipiuntur. S. Lig. (*l. c.*).

91. ***Intra quale tempus*** *communio annua praecipitur?* Intra quindenam paschalem: sed alicubi maior datur latitudo, ita ut nempe tempus paschale vel totam quadragesimam comprehendat, vel usque ad Pentecosten protrahatur.

Aegroti quoque communicare debent; quatenus parochus iisdem Eucharistiam intra quindenam deferre tenetur, ut dicit Rituale. Ex consuetudine tamen (saltem apud nos) praeceptum istud intelligitur dumtaxat de aegrotis ex morbo chronico vel insanabili; non vero de aliis qui post quindenam ad paroeciam se conferre poterunt.

92. *Quid si confessarius, ob bonum poenitentis, aut necessitatem reparandi prius aliquod scandalum, poenitenti ipsi intra quindenam accedenti absolutionem differret, vel utcumque praecriperet ut solum transacto tempore paschali communicaret?* Confessarius nedum si poenitens non esset satis dispositus, sed etiam sola ratione remedii, ita se gerere posset. Cautissime tamen apud nos (speciatim quoad viros, et maxime in

civitatibus) id fiat; gravissimum enim adesse solet periculum ne poenitens, transacta quindena, de paschate (utinam pro illo solo anno!) amplius non cogitet.

93. *Qui praevidet, fore ut intra quindenam communicare nequeat, teneturne praevenire?* Negative (attento solo praecepto ecclesiastico communicandi intra quindenam); tempus enim obligationis a prima die quindenae incipit; unde Communio anticipata non esset adimpletiva praecepti, bene vero esset quasi Missa, quae, pro die Dominico, sabbato praecedenti audita fuisset. S. Lig. *(VI 298)*. Qui itaque sic anticipasset, si postea intra quindenam communicare posset, ad hoc teneretur. Gury (*Cas. consc. I 455*).

94. *Qui, incaepta iam quindena, praevidet fore ut in fine quindenae communicare nequeat, antequam impedimentum superveniat teneturne praecepto satisfacere?* Affirmative; non secus ac qui praevideret se non posse die festo audire ultimam Missam, unam ex aliis audire teneretur.

95. *Differre sine ulla excusatione communionem ultra quindenam (quamvis de unico die ageretur) essetne culpa gravis?* Gury (*Cas. I 456*) id pro certo habet. Idem dic de illis, qui ultima die quindenae ad confessionem quidem accederent: sed ita ut ad absolutionem et consequenter ad communionem, prorsus atque scienter indispositi essent.

96. *Qui intra quindenam non communicavit, teneturne postea in paroecia communicare?* De hoc magna quaestio inter theologos agitatur. Sed, communi christifidelium sensui inhaerendo, dici debet quod praeceptum communionis paschalis, quindenî quoque transactâ obligare pergit; secus enim 1° Qui infirmitate aliove impedimento detenti intra quindenam non communicaverint, communicare non tenerentur. 2° Parochi morosos inepte sollicitarent ut praecepto satisfaciant. 3° Non perciperetur cur Romae reservatione et excommunicatione mulctarentur qui, elapsâ quindenâ, in contumacia perseverabant. Attamen obligationem istam non ultra aliquot menses extenderem; postquam enim multum temporis a paschate elapsum fuerit, satisfactio praecepti paschalis non amplius intelligitur; et qui v. g. sequenti mense decembris communicaturus accederet et diceret se pascha facere, ridiculus evaderet. Equidem multi opinantur quod praeceptum Ecclesiae sit duplex; nempe 1° de communione paschali; 2° de communione annua (*in paroecia*); sed haec interpretatio non est usu recepta et plures graves theologi illam reiiciunt, ut videre est apud S. Lig. (*VI 297*). Dicendum est potius quod communio annua ad praeceptum divinum pertinet, cui in quavis ecclesia satisfieri potest.

97. ***An sub gravi in propria paroecia*** *communio paschalis fieri debeat?* Affirmative (intellige si praeceptum istud in viridi observantia esset). Plures tamen censent non esse mortale si quis uno vel altero anno alibi communicaret (Lehmkuhl *n. 1206*). Finis huius praecepti est 1° ut pastores saltem semel in anno oves suas agnoscant et sciant quinam satisfaciant et quinam non; 2° ut mutua fidelium eiusdem paroeciae aedificatio foveatur; 3° ut unusquisque minus subiiciatur tentationi negligendi hoc sacramentum.

98. *Qui in ecclesia cathedrali communicat satisfacitne praecepto?* Negative; et quidem etsi manu Episcopi eucharistiam reciperet. S. Lig. (*VI 300*).

99. *Quid de sacerdotibus?* Si Missam celebrent, in propria paroecia communicare non tenentur.

100. *Quid de famulis monasteriorum?* Communicare possunt in ecclesia monasterii, dummodo 1° actu inserviant et sub religiosorum obedientia vivant; 2° intra monasterii septa (nempe *clausuram*) resideant. Ita Benedictus XIV (*Notif. LV 7*).

101. *Quid de illo qui intra quindenam ad modum viatici intra propriae paroeciae limites communionem sumpsisset?* Non teneretur postea (si convalesceret) in ecclesia communicare. Gury (*I 553*).

102. *Quid de illo, qui tempore paschali a sua paroecia abesset?* Ad illam redire teneretur ut praecepto satisfaceret, dummodo sat commode posset. Si vero non posset, tunc in alia ecclesia (quam ordinarie ad libitum eligere valeret) intra quindenam communicare teneretur; haec enim lex tria praecepta implicat: scilicet 1° Communionem annuam. 2° Communionem intra quindenam. 3° Communionem in propria paroecia. Hinc qui excusatur a tertio, non ideo a secundo; sicut qui a secundo, non ideo a primo excusatur. Communione autem facta, si praeter praevisionem (non adhuc finita quindena) domum rediret, iterum communicandi obligationem non haberet. S. Lig. (*n. 300*) et Cury (*Cas. 454*).

103. *Quid de vagis?* Vagi communicare possunt ubi volunt; nisi alicubi adesset consuetudo ut ipsi et advenae in cathedrali communicare deberent. *Rituale.*

104. *Qui in paschate sacrilege communicarit, teneturne iterum ad paroeciam se conferre ut rite communicet?* Praecepto quidem non satisfecisset (ut dixi) iterumque communicare deberet; sed non teneretur in paroecia praecise iterum communicare. Gury (*l. c. 450*).

105. *Quisnam a communione facienda in paroecia dispensare potest?* Non solum Pontifex et Episcopus, sed etiam parochus concedere potest ut aliquis extra paroeciam communicet. Et notandum quod licentia praesumpta (si facile peti nequeat expresse, vel si utcumque certe praesumi debeat) sufficit. S. Lig. (*l. c.*).

106. *Quid de illis qui tempore paschali, v. g. apud Religiosos, confessionem faciunt, et dicunt non esse possibile quod in propria paroecia communionem sumant?* Si exhortationibus induci nequeant ut humanum respectum vincant et propriam paroeciam adeant vel saltem licentiam a proprio parocho petant; eis permitti debet ut ubi volunt communicent. Licentia, sin minus parochi saltem Episcopi, pro casibus huiusmodi praesumi debet: illius enim denegatio non in aedificationem sed in destructionem esset; multas quippe animas in totalem perditionem absque ulla utilitate coniiceret; quandoquidem rigor, qui olim ad legem tuendam deserviebat, hodie legi ipsi iam pene collapsae (intellige apud nos in civitatibus, non vero ruri) nullum fulcrum praestaret. Ita sentiunt Gousset (*II 226*) et Frassinetti (*I not. 92*). Licentia autem multo facilius praesumi posset si quindena iam elapsa fuisset; et adhuc magis si quis bona fide intra quindenam iam alibi communicasset.

CAPUT V.

DE DECIMIS ET PRIMITIIS SOLVENDIS.

107. *Quid sunt* ***decimae et primitiae?*** *Et praeceptum illas Ecclesiae solvendi* ***vigetne ubique?***

I. *Decima* est fructuum pars decima, aut aliter proportionalis (v. g. duodecima, vigesima etc. iuxta locorum consuetudines).

II. *Primitia,* quatenus hodie alicubi usuvenit, non amplius consistit in primis fructibus, sed in quorundam fructuum (ordinarietritici) quota fixa (quae potest esse fundo non proportionata) Ecclesiae solvenda.

III. Decimas vel primitias solvendi obligatio hodie in multis locis non viget, unde plures theologi de illis prorsus silent. Quum tamen huc illuc (speciatim in Italia) solvendae sint, hoc etiam argumentum per summa capita tractandum est.

108. ***Quo iure*** *decimae solvendae sunt? an* ***sub gravi?***

Solvendae sunt iure ecclesiastico; sed ita ut fundamentum habeant in iure divino, si forte ad Dei ministros sustentandos atque ad providendum cultui divino necessariae forent.

Haec autem obligatio sine dubio urget sub gravi, dicente Tridentino (*Sess. XXV C. 12*) quod decimarum solutio est debita Deo, illasque solvere recusantes nequeunt absolvi, ad restitutionem tenentur, atque etiam excommunicari possunt.

109. *Decimae et primitiae quomodo* ***distinguuntur?***

I. Olim aderant decimae mere *personales,* quae sive ex fructibus artis vel professionis vel industriae, sive utcumque a personis solvi debebant; sed iamdudum in desuetudinem abierunt; et diebus nostris apud nos illarum vix umbra remanet ruri in pullo gallinaceo (qui dicitur etiam *carlino*) quotannis solvendo ab illis qui *casanti* dicuntur.

II. Decimae itaque et primitiae hodie sunt solum *fundiariae,* vel *mixtae.*

Fundiariae solvi debent ex fructibus sive praediorum (et tunc dicuntur *praediales*), sive hortorum, sive domuum, sive molendinorum, sive vallium, sive piscinarum etc. Ex fructibus, inquam, sive omnibus, sive aliquibus tantummodo (v. g. tritici, vel uvae, vel lini etc.).

Mixtae autem respiciunt fructus partim quidem ex fundis sed magis ex industria aliisque rebus derivantes; qui nempe proveniunt v. g. ex gregibus vel alvearibus, ut foetus ovium, lac, caseus, mel, cera etc.

III. Fundiariae subdividuntur inter *sacramentales* (seu spirituales, seu ecclesiasticae), quae scilicet proveniunt ex praecepto Ecclesiae; et *dominicales* (seu temporales, seu laicae), quae scilicet in origine vel impositae fuerunt a dominis temporalibus (v. g. principibus vel feudatariis), etsi postea datae fuerint Ecclesiae (v. g. pro dote episcopatus vel paroeciae etc.), vel pertinebant ad illos Episcopos qui simul erant Principes seu domini temporales et qua tales iure decimandi fruebantur; vel denique derivarunt a contractibus spectantibus ad iustitiam communem, dum, v. g. Ecclesia ipsa alienavit fundos reservando sibi ius ex iisdem decimas percipiendi.

N. B. Decimae quae Ecclesiae debentur, praesumuntur sacramentales, nisi contrarium probetur.

IV. Sacramentales possunt esse *solitae* (seu *antiquae consuetudinis*), et *novales*, secundum quod ex praediis antiquitus, vel nunc primum culturae suppositis solvi debeant.

N. B. Apud Canonistas quaedam confusio invenitur, quatenus dominicales vel sacramentales appellabantur secundum quod a dominis aut colonis fundorum quamvis non essent parochiani, vel solum a parochianis intuitu sacramentorum solvebantur. Vide Pallottini (v. *Decimae n. 56*). Confusio autem in hoc residet quod decimae quoque fundiariae dicuntur sacramentales quamvis domini fundorum parochiani minime sint, dummodo originem laicam habeant.

110. *Quid si fructus decimationi subiecti (v. g. triticum vel ara) aliquo anno recollecti non fuerint?* Pro illo anno decima non esset solvenda. (Vecchiotti *II* § *3*).

111. *Quid si,* ***propter mutationem culturae*** *in praediis, aut desiccationem in vallibus vel piscinis, non amplius fructus decimationi subiecti, sed alii colligerentur?* Per se loquendo obligatio cessaret. Sed videndum 1° An adsit necessitas decimas solvendi ex novis fructibus, si nempe sustentationi ministrorum et cultui divino aliter provideri nequiret. 2° An, per novam Ecclesiae legem sive expressam sive consuetudinariam, novi fructus decimationi subiecti fuerint. Cf. Ferraris (v. *Decimae* addit. ad *Art. III n. 3-7*) et Pallottini (*l. c. n. 29 et 103*).

112. *Decimae fundiariae debentne solvi a dominis fundorum tantummodo, an vero etiam* ***a colonis,*** *maxime vero a fundorum conductoribus (it.* ***affittuarii),*** ***emphyteutis,*** *et* ***usufructuariis?*** Hic, re melius considerata, retracto quod alibi scripsi, et dico quod decimae, utpote quae afficiunt fructus, ab usufructuariis, emphyteutis et conductoribus solvi debent. Et idem dicendum de colonis, sed solum partialiter et pro rata fructuum quos percipiunt. Vide Pallottini (*l. c. n. 71-81*). Sed quid si dominus fundi decimas solvere nollet, et colono suo in in pactis easdem solvendi onus non imposuisset? Colonus nihilominus illas solvere deberet; in conscientia enim decimae sunt sub dominio Ecclesiae, et Tridentinum (*Sess. XXV C.* XII) dicit: « Qui eas non solvunt, res alienas invadunt »; et proinde pacta quae in contrarium facta fuissent, invalida essent. Si tamen impius dominus eo usque processisset ut illarum solutionem vetasset, pacta aggravasset, vel minas adiecisset etc.; tunc grave incommodum (quod utique in legibus Ecclesiae excusat) constitui posset.

113. *Si primitia solvenda esset duobus (v. g. tum parocho tum Cathedrali) et dominus fundi nihil solvere vellet, tenereturne colonus partem suam dividere; an vero posset illam totam uni (v. g. parocho) tribuere?* Illam utique dividere deberet. Secus iniustitia et restitutionis obligatio sine dubio interveniret.

114. *Si decima v. g. in tritico, debeatur, potestne parochus exigere optimum, aut potestne debitor dare pessimum?* Nec parochus optimum exigere, nec debitor pessimum dare potest. Patet ex principiis iustitiae naturalis. Vide etiam Cod. It. *A. 1248.*

115. *Quo tempore decimae solvi debent?* Ordinarie quando fructus colliguntur, et Ecclesia collectores mittit. Dilatio autem ad damnorum reparationem obligare potest. Dixi *ordinarie;* decima enim personalis in fine anni solvenda esset.

116. *An decimae quae solvendae sunt in natura, solvi possint in pecunia?* Sine Ecclesiae consensu, negative.

117. *An a decimis solvendis excuset* ***paupertas?*** Affirmative, Ecclesia enim non obligat cum gravi incommodo. Sed, ne praetextu paupertatis lex ad nihil quoad plurimos redigatur, hoc verum esse potest solum in casibus valde extraordinariis, ut puta, si praedium grandine devastatum fuisset.

118. *Quid statutum fuit* ***a lege civili*** *in Italia quoad* ***decimas?*** Lex *14 Iulii 1887* (simul cum alia

(*14 Ian. 1864*) decimas *dominicales commutationi* vel *affrancationi sacramentales autem abolitioni* subiecit, sequenti modo.

I. Decimae *dominicales* (vide supra *n. 109* III) necessario commutari debuerunt (intra tempus praefixum) in canonem annuum pecuniarium, cum iure a parte creditoris (seu, in casu, a parte Ecclesiae) ad hypothecam, vel (si debitori magis placeat) ad affrancationem.

II. Decimae *sacramentales* civiliter tamquam abolitae habentur; sed ita ut, si forte episcopatui vel paroeciae, propter amissionem decimarum, non amplius remaneat congrua a Gubernio statuta vel statuenda, tunc Episcopus vel parochus ad supplementum ius habeat.

119. *Episcopi et parochi qui decimis sacramentalibus privati fuerunt, possuntne dictum congruae supplementum a Gubernio petere?* Affirmative.

S. Poenitentiaria enim (in Instructione *2 Septembris 1887*) dixit: « Noverint Ordinarii tolerari ut vel ipsi vel parochi aliique quorum interest, a Gubernio petant compensationem pro damno sibi illato: ita « tamen ut in huiusmodi petitione nihil contineatur, quod ad ius de decimis disponendi in laica potestate probandum trahi possit, et expresse « significetur compensationem peti titulo tantum legitimae indemnitatis ».

Supplementum congruae peti posse etiam independenter ab hoc casu decimarum, declaravit S. Poenitentiaria etiam die *14 Dec. 1899* dicente: « Attentis temporis circumstantiis tolerari posse, remoto scandalo, et habita intentione standi mandatis Ecclesiae » (apud *Monit. Vol. XI p. 491*).

120. *Christifideles, qui decimarum sacramentalium oneri subiiciuntur, tenenturne illas solvere etiam post praedictam abolitionem a lege civili inductam; et possuntne illas redimere aut pro illis cum Ecclesia compositionem facere, aut imminutionem obtinere, aut etiam aliquando nihil solvere?*

Tenentur certe illas solvere, ut patet etiam ex dicta S. Poenitentiariae instructione: « Imprimis (ait) Ordinarii, quibus id modis opportunum « duxerint, fideles edoceant, ius percipiendi decimas Ecclesiae a potestate « civili auferri minime potuisse, ideoque fideles ad eas solvendas non secus « atque antea omnino teneri, nec quemquam ab onere et obligatione huiusmodi liberari, nisi per solam ecclesiasticam auctoritatem posse ». Et in hac sententia S. Poenitentiaria semper perseveravit, ut videre est in eiusdem responso *8 Martii 1898* apud Acta *XXXVI 63*.

Sola itaque exceptio est si auctoritas ecclesiastica ab hac obligatione liberet; idque accidit in sequentibus casibus,

121. **Casus I.** Si decimarum debitor illas affrancasset, solvendo Ecclesiae correspondentem sortem integram, aut pro illis compositionem fecisset cum Ecclesia ipsa, quae de recipiendo capitali minori contenta fuisset (1).

De re ista S. Poenitentiariae instructio dixit : « Quo facilior pateat « fidelibus via suae consulendi conscientiae, seseque ab onere decimarum « solvendarum *in perpetuum* liberandi, iidem Ordinarii eos excitabunt, ut « ad iustam decimarum redemptionem, *vel etiam, ubi casus ferat, ad* « *aequam super illis compositionem* admitti petant. Quem in finem S. Poe- « nitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate necessarias et « opportunas facultates omnibus in Italia Ordinariis tribuit ad quin- « quennium ».

122. **Casus II.** Si, absque compositione in perpetuum valitura, obtenta fuisset diminutio temporanea, quae utique interdum peti et obtineri potest.

Ad quaesitum Episcopi Calliensis : « Parochus potestne rogatus de- « marum imminutioni consentire, dummodo ius decimandi agnoscatur a suis « parochianis? » S. Poenit. (*8 Martii 1898*) respondit : « Affirmative, « dummodo renuntiatio sit personalis, neque praeiudicium inferat iuribus « successorum ».

Insuper ad eundem Episcopum (*20 Nov. 1902*) respondit: « Queunt « parochi, facultate a proprio Episcopo accepta, in casibus particularibus « ac ob speciales rationes, reducere temporanee fidelibus quantitatem deci- « marum quas deberent solvere, eas diminuendo usque ad dimidium ac « etiam magis, attentis circumstantiis ». Apud Acta (*XXXVI 63. 64*).

123. **Casus III.** Si parochus titulo praecise decimarum civiliter suppressarum compensationem plenam a Gubernio obtinuisset, et parochianus hac de causa illas solvere recusaret. Patet ex sequentibus duobus S. Poenitentiariae responsis.

Ad quaesitum Episcopi Nocerae Umbrae : « An, a quo et quomodo « dispensandi fideles ab obligatione solvendi decimas, *ne Ecclesia et Sa-* « *cerdotes avaritia accusentur*, quando parochus habuerit a Gubernio aut « compensationem pro decimis aut supplementum congruae?... An, dispen- « satione non data, individuus, qui non solvit de quibus supra, absolvi « possit? ». S. Poenitentiaria die *4 Maii 1897* apud *Monit. Vol. XIV 212*) respondit : « Affirmative, dummodo paratus sit stare mandatis Ecclesiae, « et compensatio, seu supplementum quod percipit parochus, aequivaleat... « Si habuerit parochus aequam compensationem aut supplementum pro « decimis, non esse fideles inquietandos, dummodo parati sint stare man- « datis Ecclesiae ».

---

(1) Quum ex una parte praesens debitor ad redemptionem exequendam (utique solvendo magnam summam correspondentem) non teneatur, et ex alia ingens adsit periculum ne futuri debitores decimas solvere recusaturi sint ; utique potest Ecclesia de summa minori pro compositione esse contenta. Vide responsum S. Poenit. *8 Martii 1898* apud Acta (*XXXVI 63*).

Secundum est quaesitum Episcopi Montisalti, qui exposuit quod in « sua Dioecesi nonnulli parochi expostularunt a civili Gubernio et obti- « nuerunt supplementum reditus, in quo computata fuit compensatio pro « damno emergente ex abolitione decimarum. Unde parochiani arbitrati « sunt se non amplius teneri ad solvendas decimas, ea potissimum ratione, « quod, quum parochi a Gubernio iam recipiant aequivalentem compensa- « tionem, si ipsi tenerentur illas solvere, praedicti easdem bis perciperent, « scilicet una vice ex parte Gubernii in numerata pecunia, et altera vice « ex parte parochianorum, in natura. Hinc Episcopus orator duo sequentia « proposuit dubia :

« 1° Utrum parochi teneantur ad inducendos parochianos ut decimas « solvant ?

« 2° Utrum confessarii debeant negare absolutionem iis qui denegant « solutionem (decimarum) in casu ?

« S. Poenitentiaria ad utrumque dubium respondet : Fideles in casu « non esse inquietandos neque a parochis, neque a confessariis, dummodo « hae duae verificentur conditiones : 1° quod supplementum aliunde a « parochis acceptum sit in compensationem decimarum et illas adaequet ; « 2° quod ipsi fideles parati sint stare mandatis Ecclesiae.

Die *7 Martii 1899*.

124. Quaeritur I. *Quomodo se gerere debet confessarius (vel parochus) qui directe a fidelibus interrogatur de obligatione sôlvendi decimas ?*

Quaeritur II. *Quomodo se gerere debet confessarius cum poenitentibus patribus-familias, quos certo scit vel dubitat nolle (etsi possint) decimas Ecclesiae persolvere, si ipsi hac de re in confessione sileant omnino ?*

His duobus quaesitis S. Poenitentiaria sequenti modo (apud Acta *V. XXXVI 62-64*) respondit.

Ad I.um (*20 Nov. 1902*) : « Parochus aut confessa- « rius respondere debet, obligationem adhuc existere, non « obstante abolitione a lege civili decreta, cum haec mi- « nime competens sit in decernendis iis quae ad Eccle- « siam spectant ».

« Pro casibus vero quibus fideles, praedicta obligatione « non obstante, non forent inquietandi, sequantur responsa « data ab hac S. Poenitentiaria D. V. Ill.mae et Rev.mae « die *8 Martii 1898*, nec non Episcopo Montisalti die « *7 Martii 1899* ». (Casus isti sunt illi ipsi qui, cum iisdem responsis S. Poenitentiariae, mox supra *n. 122. 123* indicati fuerunt).

Ad II.um (*8 Mart. 1898*) : « Confessarius se dirigat « iuxta regulas a probatis auctoribus traditas : praesertim « vero a S. Alphonso *Theol. mor. Lib. VI n. 610* ».

125. *Quaenam sunt regulae istae?* Sunt regulae generales, quae in tractatu *De Sacramento Poenitentiae* exponuntur. Hic breviter sic dico. Ut confessarius dissimulare posset, oporteret imprimis ut eius silentium, et consequens poenitentis ad sacramenta accessus scandalum publicum non inferret, neque induceret persuasionem quod decimarum solutio reapse non obliget. Scandalum istud accideret speciatim si poenitens ad sacramenta accederet frequenter, maxime vero si de sacerdote ageretur, et recusatió decimas solvendi esset constans et notoria. In circumstantiis istis admonitio et denegatio absolutionis omnino fieri deberet, quamvis fructus non speraretur et poenitenti damnosa foret. Sed, praescindendo etiam ab hoc casu, facienda esset admonitio, si iudicari deberet quod poenitens esset in mala fide, vel non diu in bona fide perdurare posset. At vero id iam ordinarie contingeret. Confessarius dissimulare posset solum in casu vix unquam practico in quo sequentia simul concurrerent, nempe 1° quod poenitens credi deberet in bona fide. 2° Quod ex admonitione non speraretur fructus. 3° Quod ex dissimulatione confessarii, scandalum non subsequeretur.

126. *Si parochi, habentes supplementum congruae a Gubernio non equidem inquietarent illos qui (ut supra) non sunt inquietandi, sed nihilominus decimas reciperent, possentne semper illas sibi applicare et retinere ex toto?* R. Ex toto non semper. Et hoc in puncto sequentes duae adsunt eiusdem S. Poenitentiariae instructiones.

I. Ad quaesitum « Episcopus Urbaniae et Tiferni exponit quod in « suis dioecesibus quidam parochi petierunt atque obtinuerunt a Gubernio « supplementum congruae, in quo aestimatae sunt compensationes pro « damnis ex decimarum abolitione progenitis. Cum Christifideles non pauci « solvere decimas pergant, ad E. V. R.mam recurrit quaerens, num dicti « parochi queant libere frui decimis quae a fidelibus persolvuntur, et « compensatione seu supplemento quod pro decimis abolitis a Gubernio « percipiunt? ». S. Poenitentiaria (*26 Nov. 1902*) respondit: « Quatenus « parochi supplementum recipiant a Gubernio in compensationem decima- « rum, et illud decimas quas antea percipiebant, adaequet; reliquum quod « a fidelibus praestatur, erogandum esse in pias causas iudicio Ordinarii ».

II. Ad quaesitum: « Parochi qui decenter vivere nequirent solis « libellis 900, illique magis qui ante decimarum sacramentalium abolitio- « nem reditum habebant excedentem lib. 900, obliganturne hodie... Episcopi « dispositioni committere omnem decimarum proventum, quin ius habeant « pro se retinendi vel illam partem quae necessaria esset ad antiquum

« proventum adaequandum? ». S. Poenitentiaria (*20 Nov. 1902*) respondit: « Parochi retinere possunt ex decimis, quas ipsis solvantur, eam partem « quae necessaria est ad exequendum integrum reditum paroeciae, quo « fruebantur ante abolitionem, etiamsi hic libellas 900 excederet. Illi vero « parochi qui nequirent decenter vitam transigere cum congrua lib. 900, « notam facere debent Episcopo propriam conditionem, qui, si id necessa- « rium iudicabit, poterit ipsis facultatem tribuere retinendi aut ex toto « aut ex parte decimas, etiamsi nunc earum summa excederet reditum quem « antea habebant ». Apud Acta *Vol. XXXVI pag. 61-64.*

127. *Quid si ex regulis non inquietandi poenitentes qui recusant solvere decimas et deferendi ad Episcopum decimas recollectas in casibus supra indicatis, iure timendum esset ne fideles magis magisque cessent illas solvere?* Periculum istud ad nihil reducitur si iuxta instructiones S. Sedis earumque verum sensum omnia procedant, simulque debita prudentia adhibeatur; si nempe 1° congrua petatur solum quando revera non habeatur, nec quidquam falsi exponatur. 2° Non petatur compensatio quam Ecclesia petere permittit pro damno decimarum amissarum, si reapse damnum istud non subsistat, et decimae recolligantur fere eodem modo sicut antea. Sic enim casus in quo poenitentes non sit inquietandi eo quod parochus congruam receperit, illamque in compensationem decimarum habuerit, rarus erit et adhuc magis rarus evaderet periculum ne fideles sumant occasionem non solvendi decimas, si obligatio recurrendi ad Episcopum restringatur ad solos casus in quibus S. Sedes id exigit, simulque prudentia ab omnibus (prout fieri debet) adhibeatur, ut dixi.

CAPUT VI.

DE NUPTIIS A PRIMA DOMINICA ADVENTUS USQUE AD EPIPHANIAM ET A PRIMA DIE QUADRAGESIMAE USQUE AD OCTAVAM PASCHATIS INTERDICTIS

128. *Quo sensu intelligendum est mandatum istud?* Distingui debet inter solemnitates nuptiarum, quae consistunt in benedictione nuptiali cum Missa *pro sponso et sponsa*, et simplicem matrimonii celebrationem cum solis caeremoniis et precibus quae in Rituali reperiuntur. Dictae solemnitates ita interdicuntur, ut Episcopus dispensare nequeat; simplex autem matrimonii celebratio permittitur;

attamen solum iustis de causis ab Episcopo approbandis. Ita S. R. C. (*Decr. 3079, 14 Aug. 1858*).

129. *Quaenam essent hae iustae causae?* 1° Urgente necessitate matrimonium celebrandi in periculo mortis. 2° Ad obtruncandum concubinatum vel meretricium, propitiâ hic et nunc se offerente occasione, et maxime si concubinarii in loco legitimi coniuges reputarentur. 3° Si, differendo matrimonium, periculum adesset ne iniuste impediretur. 4° Si sponsa advertisset se esse ex sponso gravidam, ut scilicet infamia et scandalum evitaretur. 5° Denique generatim si ex dilatione matrimonii aliquod grave detrimentum sive spirituale sive temporale oriturum esset. Baruffaldi (*Tit. XLI n. 198*).

CAPUT VII.

QUAEDAM ALIA ECCLESIAE PRAECEPTA INDICANTUR.

ARTICULUS I.

Praecepta de iure communi quoad omnes.

130. I. Prohibitio librorum et diariorium impiorum aut obscenorum. Cf. *De Recidivis et Occasionariis* (*Edit. V. Vol. II n. 217-235*). Quid Ecclesia exigat ut libri imprimi et vendi possint, egi supra *Vol. II n. 277 et seqq.* Hic addo solum quod libri precum et devotionis editi quidem sine *Imprimatur*, sed ante Const. *Officiorum* (scil. *an. 1897*) non sunt prohibiti, quia Bulla de libris publicandis, non vero tunc iam publicatis, loquitur. Cf. *Monit. Vol. XIV 282*).

II. Obligatio denuntiandi confessarium sollicitantem. Cf. *De Sollicitatione* (*Ed. II*).

III. Obligatio denuntiandi haereticos et occultos sectarum corypheos. Vide infra ubi de statibus particularibus et praecise de actore, accusatore et denuntiatore.

IV. Prohibitio contrahendi matrimonium cum impedimentis sive dirimentibus sive impedientibus, et obligatio denuntiandi impedimenta. Vide infra *Vol. V De Matrimonio.*

V. Ieiunium naturale et confessio sacramentalis communioni praemittenda. Vide infra *De Eucharistia.*

VI. Vetantur spectacula in quadragesima. Vide *De Recidivis et Occasionariis* (*Vol. II. n. 202*).

VII. Vetatur collectio intentionum Missarum pro vendendis libris, et statuitur obligatio tradendi Ordinario intentiones, quibus in fine anni adhuc satisfactum non fuisset. Vide infra (ubi *de Missae stipendio*).

ARTICULUS II.

Praecepta de iure communi quoad Clericos et Regulares.

131. I. Quoad Clericos, de coelibatu, de horis canonicis, de rubricis, de stipendio Missarum, de residentia, de negotiatione etc., vide infra *De officiis Clericorum*, et *Theologiam Pastoralem* (*Ed. III*), in qua egi de officio parochorum aliorumque curam animarum plus vel minus habentium.

II. Quoad Regulares, et speciatim circa clausuram, vide infra, ubi de statu religioso.

ARTICULUS III.

Praecepta de iure particulari quoad Clericos.

132. I. Hoc in puncto inspiciendae sunt constitutiones, sive regionales, sive provinciales, sive dioecesanae in loco vigentes.

II. Apud nos excribo solum quaedam saluberrima statuta Ill.morum et Rev.morum Episcoporum Regionis nostrae Aemilianae. In Epistola pastorali (die *7 martii 1898*) sequentia statuerunt.

« Prohibemus clericis ne mulieres in litteris, in scientia « vel arte instituant, nisi de explicita Episcopi venia.

« In aedibus parochialibus interdicimus omnino ne « cum parochis cohabitent consanguinei, vel affines matri- « monio coniuncti, exceptis ipsius parochi genitoribus..... « In posterum praesens dispositio Nostra sub poena *su-* « *spensionis a divinis* stricte observetur.

« Clericis, etiam nondum Sacris Ordinibus initiatis, « inhibemus litterarium commercium ne ineant, extra pro- « priam dioecesim, cum diariis vel ephemeridibus perio- « dicis, neve eisdem adlaborent ut socii, sive ordinarii, « sive extraordinarii, absque Episcopi licentia.

« Omnibus item, qui nondum sunt insigniti Ordine « Sacro, prohibemus, ne typis mandent scripta, absque « illorum permissu quibus immediate subiiciuntur; salva « semper obligatione, qua omnes tenentur, subiiciendi opus « vulgandum praeviae revisioni proprii Ordinarii, et si « opus vulgandum committendum sit typographo alterius « dioeceseos, approbatio quoque Ordinarii illius loci obti- « neatur.

« Quod attinet ad diaria, quae catholicae Ecclesiae « iuribus sunt inimica, illaque impugnant, vel etiam, data « occasione, clericos insectantur, omnibus in memoriam « revocamus: lectionem horum diariorum et ephemeridum « periodicarum illicitam esse: ideoque omnibus e clero « interdicimus, ne eisdem dato nomine vel pecunia se con- « socient. Quoties vero rerum adiuncta omnino postulent, « ut ea quae in ipsis continentur, parochos et sacerdotes « non lateant, ii quorum interest, pro illa vice tantum, « indirecta via, praecluso scandalo, sibi comparare stu- « deant ».

Anno autem 1902 sequens ediderunt decretum : « Quo- « niam novum illud vehiculi genus, quod vulgo *bicicletta* « appellatur, si a sacerdotibus adhibeatur, in dedecus ver- « tere constat ecclesiastici Ordinis, reprehensionibus po- « puli occasionem praebet, fierique facile potest ut eo « quis male utatur, Episcopi Aemilianae Regionis, una- « nimi consensu statuerunt, usum huiusmodi vehiculi, ad « clericos et sacerdotes quod pertinet, a Dioecesibus in « quas forte irrepserit *omnino removendum*, in caeteris « *nulla ratione esse permittendum* ». Et iure merito, prae- ter enim supradicta, de magna in Clero dissipationis atque vagationis occasione (cum consequentiis, uti patet, perni- ciosissimis) ageretur.

TRACTATUS II.

De statibus particularibus

Status particulares alii familiam, alii societatem civilem, alii forum judiciale, alii officia diversa speciatim saecularium, alii denique officia ecclesiasticorum propria respiciunt.

De his multa dicta fuerunt huc illuc in praecedentibus voluminibus. Hic itaque solum ea quae desunt adiiciam, et quoad caetera indicationes ponam.

Sectio I.

DE STATIBUS PARTICULARIBUS QUOAD FAMILIAM.

Huc spectant obligationes 1° parentum erga filios; 2° filiorum erga parentes; 3° conjugum; 4° famulorum erga heros, et vicissim.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS.

133. *Quaenam sunt obligationes istae?* 1° Amor specialis. 2° Cura corporalis. 3° Cura spiritualis.

ARTICULUS I.

De amore speciali parentum erga filios.

134. *Quid generatim de* **amore** *isto?*

I. Lex naturalis exigit ut parentes diligant filios non solum ex virtute communis charitatis, sed modo intensiori et prorsus particulari, scilicet ex speciali virtute **pieta-**

tis. Natura autem hunc specialissimum amorem inserit; et exigit ut, non obstantibus plurimis magnisque incommodis et sacrificiis, curam illorum habeant eisque provideant.

II. Lex ista obligat parentes, interdum *positive* (ut scilicet multa pro iis faciant), et interdum *negative* (ut scilicet non solum ab **odio** et **imprecationibus** contra illos, sed etiam a multis aliis rebus, quae iisdem praeiudicare possent, abstineant); et, si deficerent, speciali (contra *pietatem* ut dixi) reatu se inquinarent: atque, supposita gravitate materiae, utique graviter et aliquando gravissime delinquerent, unde in confessione hanc circumstantiam speciem mutantem significare deberent.

III. Attamen cum odio confundi non debet *iusta indignatio* (de qua vide dicta *Vol. II n. 123*) et *desiderium alicuius mali ad finem maioris boni* (*l. c. n. 120*). Speciatim autem quoad imprecationes recolenda sunt dicta (*l. c. n. 125*); et notandum 1° quod a genitoribus contra filios ordinarie ex corde non proferuntur; 2° quod nihilominus possent esse mortales si ex una parte filii essent adulti atque respectu digni, et ex alia in genitore imprecationes habituales (et veluti mere materiales) minime essent.

IV. Peccatum contra amorem filiorum interveniret etiam si parentes absque necessitate eorum delicta occulta extraneis (non vero sibi invicem) manifestarent. Idem dic si sine iusta causa illos e domo expellerent, vel proprio aspectu privarent, vel contumeliis afficerent. Contumeliae tamen, apud rudes, facilius contra extraneos quam contra filios graves esse censentur.

135. ***Cessatne aliquando obligatio,*** *qua parentes speciali amore et cura filios prosequi tenentur?* Quoad amorem, negative. Quoad curam, (ut infra melius declarabitur) affirmative; cessante scilicet necessitate: quae tamen, si revivisceret, novam curae obligationem induceret.

136. *Quid de* ***dotibus praecipuis amoris*** *parentum erga filios?*

Debet esse I. *Verus,* ita scilicet ut parentes quaerant verum bonum filiorum, nedum pro tempore praesenti sed etiam pro futuro, et nedum quoad corpus, sed etiam (imo praecipue) quoad animam.

Falsus itaque esset amor, si parentes, ut hic et nunc filios non turbarent, a correctionibus abstinerent; unde scriptum est: « Qui parcit virgae, odit filium suum ».

II. *Non excessivus,* cuiusmodi esset si pro amore filiorum parentes ad inordinationes et peccata (v. g. furta) transcurrerent.

III. *Impartialis;* curando scilicet ut aequali modo filii omnes diligantur, eisque sine differentia amoris signa praebeantur.

Hoc tamen cum mica salis intelligi debet; aliquae enim differentiae fieri possunt, non iam irrationabiliter (v. g. quia unus est pulcher et alter deformis), sed iusta de causa; ita scilicet ut 1° plus amari possit qui propter virtutem est magis amore dignus; 2° maiores curae et maiora adiumenta praebeantur ei qui propter necessitatem maiorem sive corporalem sive spiritualem (v. g. propter defectus corporis, tentationes, peccata) iisdem magis indigeat. Semper tamen respectus haberi debebit, ne futurum sit ut differentiae istae aliorum filiorum invidiam (atque adeo discordias) suscitent.

IV. *Operosus;* amor quippe non in corde solummodo sistere, sed ad curam externam procedere debet; quae cura duplex est 1° corporalis; 2° spiritualis.

ARTICULUS II.

De cura corporali.

137. *Quid de* ***cura corporali*** *filiorum?* Imprimis mater districte tenetur habere curam filii *etiam ante nativitatem* cavendo a periculis *abortus*, cuius mariti quoque interdum (v. g. uxores terrefaciendo, percutiendo etc.) causa esse possunt. Vide dicta (*Vol. II n. 667. 885 et 945*). Mater cavere debet insuper ne (secluso etiam periculo abortus) foetus in utero detrimentum patiatur; qua de re confer quae dixi *Vol. II.* (*n. 946*).

Dein distinguendum est, an filius iam natus sit legitimus vel illegitimus.

138. *Quid post nativitatem,* ***si filius sit legitimus?*** Parentes providere tenentur paecipue 1° circa alimenta tam in infantia quam postea; 2° circa medium sustentationis quo filii per se ipsos sibi suo tempore consulere valeant; 3° circa collocationem; 4° circa haereditatem.

139. *Quid* ***de alimentis*** *aliisque curis pro filiis* ***in infantia?*** Matres suorum infantium magnam curam habere tenentur, et certe peccant si longe a domo nimis morentur, dum interim infans (cum periculo herniam aut aliud malum contrahendi) plorat et lacte vel alia materna cura indiget; item si retineant puerum, lactantem secum in lecto sine repagulo et proinde cum periculo somnum capiendi illumque soffocandi vel utcumque occidendi. Ex causa tamen excusari posset mater facilius si infans fasciis in manibus constrictus minime esset; tunc enim periculum minus foret. Lehmkuhl (*I 784*).

Aliqua obligatio in matribus alendi pueros *proprio lacte* (iuxta communem sententiam : Cf. Bened. XIV *De Syn. XI.* VII) omnino admitti debet. Rationes sunt sequentes. 1° Secus agendo, vis naturae infertur. 2° Lac maternum pluribus de causis est aptior puero. 3° Si puer intelligeret, non iam nutricem sed matrem suam vellet. 4° Matres, quae lactare recusant, puerperio diuturniori magisque laborioso subiiciuntur. 5° Matres magis diligere solent filios proprio lacte nutritos, quam alios nutricibus traditos, et differentias (non sine invidia etc.) ordinarie faciunt. Vide etiam Scavini (*I 692 et IV 34*), Gury (*n. 372*) etc. Nihilominus causae iustae excusare valent, inter quas nobilium consuetudo a nonnullis recensetur (sed non video cur consuetudo aut nobilitas contra legem naturalem valere possint).

Interdum tamen genitores nedum possunt sed vere tenentur tradere pueros nutricibus ; idque accideret si mater iterum gravida evasisset (iamque esset in quarto mense) et puerulus adhuc lacte indigeret ; et idem die si mater lactis penuria laboraret, vel lactatio eius sanitati graviter noceret.

Si autem puer nutrici tradatur, videndum cui tradatur (et speciatim ne nutrix sit lue infecta vel gravida); imo et postea vigilandum; si enim puer infirmaretur aut macilentior reperiretur, perpendendum esset ne forte ex nutricis incuria vel lactis defectu id accideret.

Notandum denique quod infantes saltem usque ad decimum vel duodecimum mensem bono lacte muliebri indigere solent. Dixi *muliebri :* si enim lacte belluino aliisve cibis alerentur, facile infirmiores et debiles evasuri essent.

Caveant itaque matres ne nimis cito infantem proprium ablactent, ut alieni pueri nutrices se constituant. Vide dicta *Vol. II n. 946.*

140. *Quid de alimentis, quae filiis,* ***infantia iam transacta,*** *praestari debent?* Genitores (scilicet non solum pater, sed etiam mater) alimenta filiis suppeditare tenentur ; quo nomine veniunt victus, vestitus, habitatio, expensae educationis, et (si infirmarentur) medicinae, denique funera (Cf. Cod. adnot. *A. 138*).

Omnia (ut cavetur etiam lege civili *Art. 143*) iuxta substantias, necessitatem et conditionem taxari debent.

Propter filii perversitatem ab alimentorum subministratione genitores non dispensantur. Obligatio alimentorum cessat si filii illis non indigeant, aut modo proprio statui convenienti ea sibi procurare possint, si velint.

Si filius sua culpa ad indigentiam redactus fuisset, vel suam portionem iam habuisset illamque dissipasset, genitorum obligatio quoad congruam illius sustentationem valde diminueretur; sed, si essent divites et filius sibi providere nequiret, adhuc ad aliquid erga illum tenerentur.

141. *Alimenta debentne praestari non solum filio, sed etiam* ***illius uxori et familiae?*** Iuxta facultates et quatenus indigeant nec sibi consulere possint, affirmative (Cod. it. *A. 138*).

Si filius uxorem indotatam et contra patris voluntatem duxisset, non idcirco pater dives ut ipsi fame pereant, aut nimis miseram vitam ducant, sinere posset. Sanchez (*De Matr. IX.* xxvi *21*) et S. Lig. (*III 336*). Si filia nobilis contra patris voluntatem plebeio nupsisset, posset quidem pater ad tempus suam indignationem ostendere; sed tandem ei veniam concedere et aliquam subventionem (ut nimis diuturna egestate non langueat) assignare deberet.

142. *Tenerenturne genitores alimenta filio praestare si a coniuge aut filiis illa habere posset?* Negative. Ordo enim graduatorius hac in re est sequens. Ad alimenta praestanda tenentur 1° coniux; 2° descendentes; 3° ascendentes; 4° gener et nurus; 5° socer et socrus; 6° fratres et sorores. Cod. civ. (*A. 142*).

143. *Quid circa curam ut filii* ***provideantur medio sustentationis,*** *quo suo tempore per se ipsos sibi consulere valeant?* Genitores curare tenentur ut filii *artem aut professionem* addiscant, qua victum sibi comparent; vel (si essent divites) otium declinent, et societati se utiles reddant.

Observetur ad quamnam artem vel professionem ipsi magis inclinent. Velle autem ut filii, loco artis, ad litteras incumbant, quamvis nec ideneitatem nec propensionem erga easdem habeant, magnus error et magna filiorum ipsorum ruina est.

Foeminae quoque laboribus domesticis aut artibus quae ipsis conveniunt, quibusque sibi panem comparare valeant (si sint pauperes), attendere debent; neque permittendum ut plus aequo litteris, musicae, aliisque ineptiis se applicent.

144. *Quid circa filiorum* ***collocationem?*** Si filius matrimonium contrahere velit, parentes se opponere nequeunt, sed ad summum congruas reflexiones facere possent, si forte uxorem prolemque alendi media non adessent.

Maiorem oppositionem facere liceret quoad personam, si esset indigna aut malus exitus timeretur.

Caeterum cogere filium vel filiam ad ducendam personam invisam aut aetatem longe maiorem habentem, quia divitiis abundat, pessima res est.

Denique parentes quam maxime vigilare debent, ne filiae se implicent cum iis qui sine ulla bona voluntate et forsan cum perversa intentione, ad illas divertunt.

145. *Quid de* ***dote?*** Quamvis ex Codice italico (*A. 147*) filiis et filiabus nulla detur actio apud iudicem ad habendam dotem aliamve assignationem occasione matrimonii aut professionis religiosae etc. tamen in conscientia male se gererent parentes, qui dotem convenientem iuxta patriae morem filiae absque ulla rationabili causa denegarent; idque non solum si filia esset in periculo incontinentiae, ut dicit D'Annibale (*II 624*), sed etiam tali periculo secluso. Si enim ex receptis moribus filiae nubere nequeunt absque dote, quomodo genitores poterunt in conscientia easdem, dotem denegando, a nuptiis impedire?

Idem dic si filia titulo professionis religiosae dotem exposceret.

Dixi *sine rationabili causa;* si enim filia indigno nubere vellet, tunc pater dotem (non vero alimenta stricte necessaria, si iisdem indigeret) denegare posset. Sanchez (*IV.* XXVI *19*).

146. *Quid de obligatione relinquendi filiis* ***haereditatem?*** De hoc vide dicta (*Vol. III n. 1395*).

147. *Quid de obligatione parentum* ***erga filios illegitimos?*** Tenentur 1° providere ut alimentis stricte necessariis non careant; 2° illos recognoscere et legitimare, si fieri possit. Salmant. (*De IV praec. n. 36*), et Scavini (*I 541*).

148. *Possuntne vel debent illos mittere ad* ***brephotrophium?*** Si scandalum, vel infamia, vel paupertas, vel pax domestica etc. impellant ut filii illegitimi ad brephotrophium mittantur, illuc mitti poterunt (Cf. *Vol. III n. 380*). Si tamen pessimam tractationem (alicubi enim fere perinde esset ac illos occidere), vel impiam educationem habituri essent, haec maxime obstare possent. Vera quoque facile adesse posset obligatio filium illegitimum ad brephotrophium mittendi; si nempe ratio scandali aut

pacis domesticae esset tanti ponderis, ut iuri, quod matri inest lactandi atque apud se retinendi infantem, praevaleret. Vide *De Occasionariis* (*n. 155*).

149. *Quid de recognitione, legitimatione, atque hacreditate quoad filios illegitimos sive naturales, sive spurios?* De hoc recolenda sunt quae dixi *Vol. III* (*n. 1196 et 1402 et seqq.*).

ARTICULUS III.

De cura spirituali.

150. *Ex hoc capite ad quid tenentur genitores?* Tenentur curare 1° ut filii recipiant baptismum et suo tempore alia Sacramenta; 2° ut recipiant instructionem religiosam; 3° ut practice assueti evadant in declinando malo et faciendo bono; 4° ut scandalum non patiantur et periculis non exponantur; 5° ut corrigantur. Sed haec sunt explicanda.

151. *Quid de cura* ***circa baptismum?*** Iam notissimum est quod genitores debent curare ut neonati quamprimum (ad minus intra triduum) baptizentur.

Quid si pater nollet ut filius baptizaretur? Etsi patria potestas resideat in patre, tamen mater velle potest (et debet) ut filio baptismum (eo modo quo Episcopus tunc expedire iudicabit) conferatur. Cf. Bebed. XIV (Ep. *Postremo mense*), et d'Annibale (*I 50*).

Si propter periculum mortis adesset necessitas neonato conferendi baptismum domi, absque mora id fieri deberet.

Pro casibus autem abortus, oporteret ut matres circa modum baptizandi edoctae essent, qua de re vide meum opusculum, quod inscribitur *Examen obstetricum.*

152. *Quid de cura circa* ***alia sacramenta?*** Postquam filii ad septennium pervenerint, utique genitores curare debent ut Sacramenta confirmationis et poenitentiae (et suo tempore Eucharistiae) recipiant. Si puerulus non confirmatus in periculo mortis versaretur, aliqua adesset etiam obligatio admonendi Episcopum, si in hunc finem se praestare solitus esset et commode id obtineri posset.

153. *Quid de* ***instructione religiosa?*** Illam genitores debent filiis (statim ac lumen rationis habere

incipiunt) diligenter suppeditare, incipiendo a rebus magis necessariis circa fidem, legem Dei et Ecclesiae, nec non circa orationem aliaque media salutis. In hunc finem regulariter ad paroeciam pro catechismo eos mittere debent: neque facile instructioni a se ipsis vel ab aliis traditae (quae ut plurimum est longe inferioris auctoritatis, atque imperfecta, nisi etiam ad solas formulas reducatur) acquiescere possunt. Vae genitoribus qui toti sunt in instruendis filiis in artibus, litteris, urbanitate, solertia etc.; atque interim vix ultimas partes christianae instructioni relinquunt!

154. *Quid de cura ut filii practice* ***assueti evadant in declinando malo et faciendo bono?*** Ad quid deserviret instructio, si filii quae didicerunt non facerent, aut inciperent quidem, sed (bona consuetudine minime contracta) non perseverarent? Bonis itaque moribus atque actibus et observantiis christianis genitores illos adhuc puerulos assuefacere debent.

155. *Quid de cura ut filii* ***scandalum non patiantur et periculis non exponantur?*** Pro praxi notanda sunt praecipue sequentia.

I. Cavendum imprimis *ne genitores ipsi scandalum praebeant.*

Patres saepe saepius scandalo sunt filiis propter blasphemias et irreligiositatem; matres vero propter vanitatem, excandescentias, murmurationes etc Quid dicam de illis qui coram filiis vel loquuntur de rebus sive aperte obscoenis sive talibus ut illos in malitiam coniicere possent; vel despectui habent Religionem, et teterrimis coloribus Dei ministros repraesentant? Quid si filios aut filias ad peccandum positive inducerent? Quid si cogerent filios ad eligendum statum eorum vocationi contrarium et sic laqueum damnationis eis iniicerent?

II. Genitores non sunt damnandi de vero peccato (aliud est de consilio) si duos vel tres filios *eiusdem sexus* simul dormire sinant. Si tamen adverterent, illos de facto peccare, tunc separationem (si possibilis esset) procurare tenerentur.

III. *Sexuum separatio* quantum necessaria sit, unusquisque videt. Si tamen, propter extremam paupertatem, haec totaliter servari nequiret, tunc coniuges ad minus curare deberent, ut v. g. pueri nocturno quoque tempore aliqualiter vestiti dormiant, et puer ad caput, puella autem

ad pedes dormiat; atque ut saltem post septennium separatio quovis pacto fiat.

Concil. Mediol. IV (apud Benedictum XIV *De Syn. Lib. XI C. IV n. 8*) dicit: « Parochus... maximopere curet ne cum foemina quocumque « vel arctissimo propinquitatis gradu coniuncta, mas simul cubet, etiamsi « ambo in puerili aetate sint, ita tamen grandiusculi, ut aliqua inde suspicio, periculum, occasiove impuri flagitii committendi existere possit. « Nec vero paupertatis, angustaeve habitationis excusationi locus facile « relinquatur, quominus istiusmodi impuritatum occasio omnis praecidatur; « cum humi potius atque adeo sub dio iacere satius esset ». Equidem haec postrema verba rigidissima sunt; sed a rigore huiusmodi (negando etiam, si oporteret, absolutionem) recedendum non est, quia practice inveniri solet modus providendi, quin revera in nuda terra vel sub dio filii dormire cogantur.

IV. Coniuges tenere possunt filios *in proprio cubiculo si usum rationis adhuc non habeant; sed postea non*: nisi forte necessitas seu causa rationabilis excuset; quo casu non equidem a copula abstinere tenerentur (tunc enim ad unum evitandum periculum inciderent in aliud); sed cautelas adhibere deberent proportionatas periculo, attenta scilicet maiori vel minori probabilitate quod dormiant, nec non eorum aetate ac malitia (notandum quod masculi hoc in puncto foeminis malitiosiores esse solent).

V. Sed quid si coniuges non solum in proprio cubiculo sed *in proprio lecto filios retinerent?* S. Lig. (*Prax. 211*) id permittit usque ad sextum annum; sed in multis casibus miseria est talis ac tanta, ut etiam post talem aetatem filios secum retinere cogantur. Tunc omnem lapidem movere deberent ut ope eleemosynarum lectulos filiis procurare possent. Pro interim autem en cautelae: die potius quam nocte (aut saltem cautissime) matrimonio utantur; masculos ad latus patris et foeminas ad latus matris retineant; aut, si omnes essent eiusdem sexus, ad pedes.

Efficiant demum ut mane, ipsis e lecto assurgentibus atque ad sua negotia abeuntibus, filii etiam (si sint diversi sexus) assurgant et modeste vestiantur.

VI. In praxi dantur etiam casus, in quibus pater cum propria filia iam adulta dormit, et dicit miseriam esse talem ac tantam ut aliter fieri nequeat. Sed, nisi forte ab experientia satis diuturna constaret, nullum revera periculum adesse, separatio, ut supra, quovis pacto exigi deberet.

VII. Matres pauperculae infantes masculos, dummodo de eorum partibus genitalibus (prout aliquae stultissimae faciunt) sermonem non ingerant, *filiabus vestiendos vel lavandos tradere* possunt. Ex praxi constat 1° quod filiae sine malitia et cum indifferentia haec officia praestare solent; 2° quod vetitum fere nihil impediret; quum hos infantulos fere semper in ulnis habeant eorumque pudenda saepe saepius videant; 3° quod vetitum ipsum curiositatem et malitiam acueret illamque magis magisque augeret.

Si autem pueri iam grandiores evasissent; aut si agegetur de masculis quibus mater puellulas vestiendas aut lavandas traderet, tunc non ita facile id permitti posset.

VIII. *Pericula valde animadvertenda* sunt etiam impiae sectae; pravi socii; mali libri; impia diaria; scholae et officinae periculosae; repraesentationes theatricae sive impiae sive obscoenae; geniales conversationes; famulatus apud personas periculosas; otium; nimia libertas (speciatim nocturno tempore); famuli pulchri quoad filias, et famulae pulchrae quoad filios; conversatio filiae cum amasio, remotis arbitris aut matre dormiente. Si autem filii ex necessitate in aliquo periculo (propter scholam vel officinam etc.) versari cogerentur, tunc genitores eos praemunire deberent.

156. *Quid in particulari de obligatione genitorum quoad* ***scholas, collegia et universitates?*** Imprimis tria sunt genera scholarum, ad quas filios mittere **prorsus nefas** est.

Primum genus est *scholarum haereticorum in locis catholicis*, prout sunt scholae Protestantium Romae institutae, de quibus Leo XIII. (*Instr. ad Card. Vic. 12 Iul. 1878*) dixit: « Rei fiunt enormissimi peccati patres et ma« tres, qui vere crudeles in animas filiorum suorum eosdem « mittunt ad scholas Protestantium; et etiam deterius, si « illos ire cogant ». Idque verum esset quamvis magistri in iisdem scholis nihil contra Religionem catholicam dicerent. Magnum enim scandalum semper subsisteret.

Secundum genus est *scholarum haereticorum etiam in regionibus acatholicis, si ad faciendum proselitismum* atque ad pervertendos discipulos directae essent.

Tertium est, si ageretur non de schola frequentanda sed de collegio, in quo filii pluribus annis *sine ullo religionis exercitio* remansuri sint, etsi in illo contra religionem catholicam nihil audituri essent; quae collegia *neutra* dicuntur.

157. Sed quid 1° de scholis haereticorum in locis acatholicis *ad faciendum proselitismum minime directis?* Quid 2° de scholis et *collegiis mixtis*, in quibus scilicet iuvenes diversarum religionum acceptantur, atque in locis separatis instructio et exercitium religionis praestatur alumnis iuxta religionem propriam?

Resp. Si scholae vel collegia catholica adsint, quae relate ad scientias aeque vel fere aeque apta sint, tunc genitores (quia in dictis scholis et collegiis pericula non levia, saltem indifferentismi, semper aderunt) scholas et collegia catholica, etiam cum aliquo maiori expensarum vel itinerum sacrificio, eisdem praeferre tenentur. Si autem scholae catholicae non adessent, aut valde minus aptae forent, aut solum cum incommodo nimis gravi eligi possent; tunc genitores inquietari non deberent.

158. Quid de scholis *mixtis in alio sensu*, quatenus scilicet *masculi et foeminae simul acceptentur et simul lectiones audiant?* Tunc quoque genitores sponte et sine causa graviori (qualis non esset solutio alicuius levis multae) filios adolescere incipientes ad huiusmodi scholas mittere non possent, nisi forte in schola ipsa, atque in eundo et redeundo, pro sexuum separatione sapientes cautelae adhiberentur.

159. *Quid apud nos de scholis* (*etiam non mixtis*) *sive inferioribus, sive licealibus, sive universitariis?* Magna differentia fieri debet inter casum in quo scholae in propria civitate, et casum in quo filii ad aliam civitatem mittendi sint. In primo casu periculum est minus et unusquisque cognoscit quomodo se agere debeat. Pericula valde maiora solent esse in secundo casu; tunc enim (seclusis cautelis particularibus) filii longe a vigilantia paterna, quavis subiectione et salutaribus monitis destituti, inexperti, vivissimis passionibus iactati, atque innumeris et continuis seductionibus expositi, sibi ipsis derelicti rema-

nerent. Sub initio pravi socii illos circumveniunt, et, incipiendo a solatiis honestis, eosdem pedetentim ad inhonesta pertrahunt. Hinc miseri iuvenes prius moribus corrumpuntur, postea fidem amittunt, et denique in impiarum sectarum barathrum se coniiciunt.

Ad quid itaque tenentur genitores? Periculum adeo magnum reddit evidentem obligationem adhibendi cautelas; quae sunt sequentes. 1° Illos collocent apud familiam bonam et religiosam, in qua pericula non adsint; accuratas autem informationes capiant ut tuti evadant quod familia sit vere talis. 2° Exigant ut eiusdem familiae rector vices suas vere gerat, et speciatim non permittat ut filii tempore nocturno foris remaneant. 3° Non dent filiis pecuniam ultra quantitatem necessariam, et de hoc etiam bene se informent, nec facile filiis ipsis credant. 4° Procurent ut bonum socium habeant et societatibus catholicis vere undequaque tutis (si in illa civitate adsint) nomen dent. 5° Committant alicui secreto ut illos invigilet, sibique referat statim quidquid sinistri suboriri incipiat. 6° Identidem ad illos se conferant. 5° Monita salutaria eis praebeant, et speciatim ne fidem praestent impiis propositionibus quas forte ab ipsis Professoribus audituri sint; ne libros prohibitos vel romanticos legant; ne actus religiosos praetermittant; ne respectus humanos habeant etc. Cf. Bucceroni (*Enchir. de IV praec.*) Lehmkuhl (*I 786*), et P. V. *Casus conscientiae* (*Cas. IX.* II *et sqq.*).

160. *Quid denique de obligatione* ***vigilandi et corrigendi*** *filios?* Genitores certe tenentur corrigere filios, vigilando iam inde a tenera aetate circa illorum defectus pravasque inclinationes; eosque iugo obedientiae (velint, nolint) subiicere.

Eorundem vivacitatem iocosque innocentes (nisi sint excessivi) tolerent; sed mendacia, inobedientiam, filiarum vanitatem, immodestiam, procacitatem, et uno verbo peccata et vitia, tolerare non debent.

Quando bene agunt, laudentur etiam coram aliis; at vero, quando male se gerunt, corrigantur, sed (ordinarie) non coram extraneis.

Si admonitio non sufficiat, puniantur, et quidem seve-

rius si male factum mendaciter denegent; si vero peccatum fateantur veniamque petant, facile absque punitione pro ea vice dimittantur.

Poterit quidem correctio et punitio etiam cum iusta ira peragi, ut vividior sit maioremque impressionem faciat; sed cavendum ne ira mentis oculos ita excaecet, ut ad excessivas, scandalosas, inconsultas et forte etiam omnino iniustas correctiones et punitiones impellat.

161. Correctiones et punitiones debent esse 1° *iustae*, considerando prius an filii vere deliquerint; 2° *moderatae*, iuxta maiorem vel minorem gravitatem peccati, nec non iuxta filii aetatem, complexionem, indolem etc.; 3° *non scandalosae*, nempe sine blasphemiis, imprecationibus etc. 4° *prudentes*, nempe in circumstantiis opportunis, et cavendo ne maiora mala provocaturae sint; quid enim si filii masculi iam adulti verberari vellent? Imo, si non subsistat spes fructus et si secus maiora mala provocarentur, expedire potest ut parentes interdum taceant omnino.

162. Quid si misera mater cogeretur etiam suppeditare cibos vetitos filio impio diebus vetitis; aut aliis modis filiorum peccatis materialiter cooperari? Hac de re vide dicta *Vol. II* (*n. 125 v. Mater*).

163. Notandum denique quod obligatio vigilantiae et correctionis non semper (ut supra innui) est in eodem gradu; quatenus, quando filii iam aetatem habent qua sibi ipsis prospicere possunt, valde imminuitur; tunc enim ex una parte, si filii non recte se gerant, non est supponendum quod ex ignorantia vel inadvertentia id eveniat; et ex alia crescente aetate imminuitur docilitas, et parentes erga filios adultos verbera et alia media valde efficacia adhibere nequeunt. Nihilominus parentes, maxime erga filias dum adhuc nubiles sunt, facere debent quidquid possunt, quamvis iam superadultae sint, ut timorem Dei servent atque a periculis avertantur.

Appendix.

De obligationibus rectoris familiae.

Speciatim apud agricolas usuvenit ut adsit rector familiae, qui saepe non est pater; et, si forte pater sit, non pro suis filiis tantummodo, sed etiam pro fratribus eorumque filiis et (uno verbo) pro tota familia operam suam praestare debet.

164. *Quaenam sunt obligationes rectoris familiae?*

I. Imprimis sedulam curam adhibere tenetur ut timor Dei adsit in familia, atque ut ab ipsa inordinationes et pericula spiritualia (quantum fieri possit) exulent.

II. Quoad temporalia, se non tamquam dominum considerare debet. Si itaque in cauponis, ludo aliisve vitiis pecuniam familiarem insumeret; vel si (absque speciali consensu familiae) ad donationes notabiles procederet aut fideiussorem se constitueret; certo certius graviter delinqueret et iniustus esset.

III. Quum sit administrator et oeconomus, tenetur obligationibus omnibus huic officio inhaerentibus satisfacere, exigendo credita, bene faciendo contractus necessarios, praevidendo, providendo etc.

IV. Ut negotia bene procedant, atque subditi laborent et nihil surripiant nihilque plus aequo expendant vel consument, providam solertemque curam adhibere debet. Ipse quoque (si tempus suppetat) cum aliis laborare tenetur.

V. Expensas iuxta redditus mensurare debet; ita tamen ut (prouti poterit) familiae necessitatibus omnibus provideat; maxime vero ne quis privationibus ita subiiciatur, ut vel nimis pati vel ad furta domestica recurrere cogatur.

VI. Nihil pro se suisque filiis abscondere atque seorsum servare, nullamque partialitatem adhibere potest.

VII. Debet negotia momentosa (maxime quoad debita et credita) adnotare, aut saltem familiae communicare.

VIII. In rebus dubiis et momentosis consilium a fratribus, et aliquando etiam ab aliis personis, petere debebit.

165. Quae autem de rectoribus familiae dicta sunt, de gubernatricibus quoque (it. *reggitrici*) proportionaliter dici debent.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES.

166. Doctrina, quae obligationes istas respicit, satis evoluta fuit supra (*Vol. II n. 621 et sqq.*). De furtis domesticis filiorum vide *Vol. III* (*n. 260 et 451*).

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONIUGUM.

167. Obligationes coniugum sunt speciatim sequentes.

I. **Fidelitas** adeo integra, ut ne occasio quidem concipiendi rationabilem zelotypiam praebeatur.

II. **Redditio debiti** matrimonialis, de quo vide supra *Vol. II* (*n. 895 et sqq.*).

III. **Cohabitatio,** iuxta dicta (*l. c. 899*). Electio domicilii ad maritum spectat.

IV. **Alimentorum subministratio.** Maritus debet praebere uxori victum, vestitum etc. iuxta conditionem. Teneretur quoque uxor haec prestare marito, si egeret et ipsa posset.

V. **Reciprocus amor,** sed absque irrationabili zelotypia.

VI. **Concordia,** et sedula cura evitandi sive factis sive verbis quamlibet iniuriam et quidquid rationabiliter displicere possit.

168. *Sed quid si alteruter in his plus vel minus deficeret?* Si defectus proveniat ab uxore, maritus ordinarie potest et debet illam corrigere. Nunquid et verberare? In casu extremo, cum moderatione, et dummodo id deserviat in bonum, affirmandum est; sed agitur de re plena periculi, uti patet; et certe, si uxor esset nobilis, verberationes magna mala provocaturae essent, et adhiberi nequirent.

Si autem defectus proveniret a marito, tunc uxor potius preces et benevolas reflexiones, quam veras correctiones adhibere posset.

169. *Quid de maritis, qui non corrigunt uxores, quae cum aliis turpiter conversentur?* Graviter peccant. *Prov. V* legitur: « Habeto eas solus, nec sint alieni par- « ticipes tui ». Attamen quoad correctiones videndum ne res eo deductae essent ut iam nullus fructus speraretur, et maiora mala ex illis subsecutura essent.

170. *Quid de* ***divortio?*** De hoc supra (*Vol. II 901*) sufficienter egi.

171. *Quid de uxoribus marito occasionem dantibus blasphemandi?* Vide supra *Vol. II* (*nn. 187. 194. 620*).

172. *Quid de uxoribus coactis ad cooperandum peccatis mariti?* Vide supra quoad sodomiam, *Vol. II n. 842;* quoad onanismum, *l. c. nn. 307. 843;* quoad tactus illicitos, *l. c. n. 852 et seqq.;* quoad furta, *Vol. III n. 346 in fin.*; quoad parandos cibos vetitos, *Vol. II n. 284.*

173. *Quid de uxoribus, quae, inscio vel contradicente marito, de rebus domesticis aliquid accipiunt?* Vide supra *Vol. III* (*nn. 183. 261. 451*).

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS FAMULORUM ERGA DOMINOS.

174. *Ad quid tenentur famuli erga dominos ex iustitia?* Responsio patet ex dictis supra *Vol. III* (*n. 738 et seqq.*).

175. *Circa famulos aliosque ministros quidnam practice speciatim notandum?* Tenentur heros suos sincere diligere, eorum defectus patienter tolerare, et reverentiam eisdem exhibere. Hinc peccant famuli si illis mala imprecentur; si eos derideant, vel contumeliis afficiant; si res domesticas (quae occultari debeant) aliis manifestent; si de iisdem obmurmurent, vel eorum detractores libenter audiant; si correctiones despiciant et superbe respondeant; denique si domino non patefaciant ea quae forte noverint magnum detrimentum afferre posse, saltem si absque gravi incommodo illum certiorem utiliter facere valeant.

176. Nihil dico de ministris qui non dominorum suorum utilitatem sed propriam quaerunt; atque, ad magnas

recipiendas pecuniae summas, efficiunt v. g. ut dominus modo calumniis modo falsis informationibus decipiatur, et sic a fundis suis colonos honestos eiiciat; aliosque (iuxta iniquum consilium ministri) recipiat etc.

Nihil dico de villicis (it. *fattori*) qui, ad strenas recipiendas, sinunt ut coloni impune muneribus suis deficiant, furentur etc.

177. *Quid de furtis famulorum?* Vide supra *Vol. III* (*nn. 81. 262. 267. 451. 668*).

178. *Quid de cooperatione peccatis dominorum?* Vide supra *Vol. II* (*nn. 228. 284. 304. 309*) et *Vol. III* (*nn. 348. 349*).

179. *Quid de famulis, qui die festo laborare aut Missam non audire; vel diebus vetitis carnem manducare, coguntur?* Vide supra *n. 16,* et *Vol. II n. 580. 615.*

180. *Quid de obligatione servitium deserendi?* De hoc vide dicta *De Occasionariis n. 283. 285,* atque etiam *n. 63,* ubi notavi quod famula, quamvis non adhuc advenerit tempus in contractu statutum pro discessu, interdum discedere potest et debet. Vide etiam supra (*Vol. III 744*).

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ERGA FAMULOS.

181. *Ad quid tenentur domini erga famulos ex iustitia?* De hoc etiam iam egi supra *Vol. III* (*n. 81 et seq., et n. 741 et seq.*).

182. *Ad quid tenentur ex charitate aliisve virtutibus?* 1° Illos diligere eorumque tolerabiles defectus patienter ferre, et benevolam (maxime si aegrotarent) eorundem curam (donec domi retineantur) habere. 2° Curam quoque spiritualem ipsorum habere, et proinde non solum libertatem eis relinquere (prout etiam ex pacto implicito atque adeo ex iustitia tenentur) ut diebus festis muneribus religionis in Ecclesia satisfaciant, sed exigere quoque ut domi leges Dei et Ecclesiae servent. Debent insuper illos corrigere et circa ipsos vigilare (maxime si essent puellae, v. g. ne praetextu audiendi Missam, summo mane e domo

abeant ut cum procis conversentur, eosve, omnibus adhuc dormientibus, in domum introducant etc.); et in casu extremo (si nempe gravia scandala familiae praebeant) eos expellere.

183. *Quid de hero praebente occasionem furandi famulo ad eiusdem fidelitatis experimentum faciendum?* Quum ex una parte herus nihil, quod sit intrinsece malum, faciat; et ex alia mediam istud ad famuli ipsius correctionem (si opus sit) valde deservire possit, communi sensu id licitum esse censetur. Vide dicta supra *Vol. II* (*n. 182*).

MONITUM

De superioribus et subditis in genere, nempe in societate sive civili sive ecclesiastica.

184. *Quid in genere de obligationibus* ***superiorum?*** Tenentur congruis legibus et praeceptis subditos dirigere, et societatis sibi commissae bonum procurare. Peccant itaque superiores (et facile gravissime) si potius quam bonum subditorum quaerant bonum et commodum proprium, et propriis passionibus, v. g. ambitionis, superbiae, avaritiae, irae, pigritiae etc. indulgeant; maxime vero si personas, quae de societate bene merentur, veluti invisas haberent, et fere solum adulatoribus faverent.

185. *Quid in genere de obligationibus* ***subditorum?*** Tenentur praecipue legibus (nisi forte essent evidenter tyrannicae aut mere poenales) obedire; et superioribus debitam semper fidelitatem atque reverentiam praebere.

Sed haec omnia melius intelligentur, veniendo (prout statim facio) ad particularia.

Sectio II.

DE STATIBUS PARTICULARIBUS quoad societatem civilem.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS RECTORUM SOCIETATIS CIVILIS.

186. ***Quinam sunt*** *Rectores societatis, de quibus hic agimus?* Qui legum civilium condendarum auctoritate potiuntur, scilicet *Principes supremi*, et (in Statibus constitutionalibus) *Deputati* et *Senatores*.

187. *Ad quid tenentur?* Districte et sub gravissima culpa tenentur bonum regimen procurare. In hunc finem cavere debent imprimis ab errore, ne scilicet ob principia falsa, vel laudes adulatorum, vel deceptiones falsorum politicorum qui circumvenire solent Potentes, credant esse bonum regimen quod non est. Cognita autem veritate, neque propter ambitionem aliamve passionem, neque ad obsecundandum vel favendum aliquibus particularibus, neque propter timorem censurarum quae in impiis diariis ponantur, neque ad sequendum maiorem numerum contradicentium, neque demum ad se uniformandum illusoriae et confictae opinioni publicae etc., ab eadem veritate cognita deflectant; sed, bonum subditorum unice respiciendo, illam ad actum deducant. Si autem ex malo regimine, vel mala distributione onerum, subditis in propriis iuribus, sive vitae sive bonorum fortunae sive iustae libertatis etc., damna obvenirent; tunc Rectores ipsi contra iustitiam presse sumptam, scilicet commutativam, gravissime delinquerent (Cf. *Vol. III n. 17. 25*). Sed haec adhuc sunt nimis generalia; et proinde veniendum est magis ad particularia.

188. *In quo consistit* ***bonum regimen,*** *ad quod civilis societatis Rectores tenentur?* Sicut Ecclesia tenetur procurare populis felicitatem aeternam, arcendo ab iisdem

mala et pericula spiritualia; ita Gubernium civile tenetur procurare subditis felicitatem temporalem; mala et pericula temporalia (quantum moraliter fieri potest) ab iisdem avertendo.

189. *Quaenam sunt* ***mala et pericula temporalia,*** *quae a Rectoribus societatis (quantum fieri potest) impediri debent?* Sunt speciatim sequentia. 1° Bella cum exteris nationibus. 2° Bella civilia, rebelliones et seditiones; atque adeo anarchia, comunismus, socialismus, massonismus, aliaeque sectae principia subversiva profitentes. 3° Delicta contra vitam, proprietatem et in genere corruptio morum. 4° Nimium gravamen subditorum propter tributa et militare servitium, si haec excessiva essent et moderari possent. 5° Deficientia laboris pro operariis, eorumve oppressio. 6° Miseria, et (in divitibus) defectus charitatis.

190. *Quaenam sunt* ***media suprema,*** *a Rectoribus societatis adhibenda, ut mala ista (quantum fieri potest) impediantur aut minuantur?* Sunt sequentia.

I. Bona relatio cum Ecclesia; nedum ut iura ipsius et subditorum catholicorum non laedantur, sed etiam quia Ecclesiae influxus est medium potentissimum ad avertenda mala omnia praedicta; et quoad multa ita necessarium, ut nullis aliis mediis efficaciter et cum bono exitu suppleri possit.

II. Bona relatio cum Statibus exteris, maxime finitimis; non sine cura ut mala socialia (quatenus ad proprios subditos facile extendi possent) ab ipsis quoque (si fieri valeat) amoveantur.

III. Satagere ut subditi nedum quoad religionem, sed etiam quoad principia phisolophica, politica et moralia, sanam et non subversivam instructionem recipiant.

IV. Si Status constitutio gubernativa sit recta, satagere ut servetur; si vero ruinosa esset, eiusdem reformationem procurare: ita tamen ut haec ipsa procuratio (attentis circumstantiis modi, temporis etc.) utilis et opportuna (non vero inutilis et maiorum malorum provocativa) evasura sit. Si Status cameris legislativis regeretur, omnis lapis (quantum constitutio permittat) movendus

esset tempestive, ut Deputati et Senatores probi rectisque principiis imbuti semper eligantur.

V. Leges condere quae delicta, morum corruptionem, et principia subversiva coerceant (1).

VI. Specialissimo modo curare ut pro publicis officiis viri probi atque idonei eligantur.

VII. Publicas expensas quantum fieri potest moderari, solertemque adhibere curam ut de publicis sive Gubernii sive Municipiorum aerariis nihil dissipetur.

VIII. Sedulam adhibere curam ut agricultura, artes, industria, commercium etc. floreant.

191. De his omnibus summa sapientia egit Leo XIII, praecipue in Encycl. *Immortale Dei* et *Libertas*.

Speciatim de Deputatis et Senatoribus, vide nonnulla *Vol. III* (*n. 340 et seqq.*)

De clementia et iusta severitate, vide *Vol. II* (*n. 141*).

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS SUBDITORUM IN SOCIETATE CIVILI.

192. ***Ad quid tenentur*** *subditi in societate civili?* Tenentur 1° ad obedientiam; 2° fidelitatem; 3° reverentiam Principibus et Magistratibus praestandam. 4° Ad concurrendum etiam efformationi constitutionis, vel electioni

(1) Equidem plura sunt toleranda: sed aliud est tolerare, aliud vero approbare vel promovere. Praeterea, quum agatur de falso, de malo, de pernicie, de perditione, Principes (tamquam patres) non nisi valde aegro animo, et solum pro quanto ad evitanda mala maiora necessarium sit, haec tolerare poterunt. Videndum itaque an adsit vera necessitas tolerandi: an haec sit pro toto Statu, an vero solum pro aliqua parte; an malum, quod impediri nequit, saltem restringi valeat: an difficultates opponi, vel cautelae adhiberi possint. In quovis casu autem, si malum per leges et poenas impediri nequit, saltem in votis esse debebit ut alii modi suaviores adhibeantur. Quid igitur de Guberniis, in quibus nedum tolerantia sed libertas cultuum falsorum et atheismi, associationum iniquarum, loquendi, docendi atque etiam typis imprimendi quaelibet falsa, quaelibet impia, quaelibet ruinosa, ex toto corde populis conceditur, fovetur, promovetur? Quid si insuper quae vera, quae bona, et quae societati maxime utilia ac necessaria sunt, odio haberentur, et per fas et nefas impedirentur? Misera societas, simillima infirmo, cui medicus partes sanas resecet, et gangraenam toto nisu extendat.

deputatorum aut municipalium, teneri possunt. Obedientia autem respicere potest tum leges in genere, tum speciatim tributa et servitium militare. Sed haec omnia sunt explicanda.

ARTICULUS I.

De obligatione obediendi legibus, solvendi tributa et praestandi servitium militare.

193. *Quid de obligatione* ***obediendi legibus civilibus*** *in genere?* Haec obligatio potest certe in conscientia subsistere: unde (*Rom. III 5*) Apostolus dixit: « Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam ». Ut tamen obligatio conscientiae revera subsistat, sequentia exiguntur.

I. Oportet ut lex sit iusta: unde, si lex civilis esset contra leges divinas vel ecclesiasticas, aut evidenter nimis dura et non necessaria, tunc subditi in conscientia (intellige si, obedientiam recusando, maiora mala secutura essent) non adstringerentur. Stante tamen iustitia legis, nihil obstaret si Princeps intrusus et usurpator foret, dummodo in pacifica Status possessione (non vero in actuali aggressione) versaretur.

II. Oportet etiam ut lex sit de specie illarum quae sub culpa in conscientia obligant.

Hoc in puncto recolendum est, tres esse legum civilium species.

Prima est illarum quae sanctionem seu poenam vel mulctam ita infligunt, ut subditi non sub culpa sed solum sub poena ad illam observandam adigantur, unde *mere poenales* dicuntur. Quod leges huiusmodi dari possint, patet quia ad bonum regimen societatis multoties sufficit ut sola poena imponatur, quin oporteat ut subditi, praeter poenam civilem, poenam quoque post mortem sustinere debeant. Quod autem leges huiusce generis de facto dentur, patet ex sensu communi. Exemplum habes in legibus de solvendis tributis (ut infra indicabitur), de non caedendis lignis (quibusdam temporibus) in terris communitatis, de ibi non colligendis herbis, vel de non ducendis gregibus ad pascua, de non piscando, de non venando etc. (S. Lig. *De Leg. n. 145*). Item in legibus de non ducendis curribus in quibusdam viis; de non extrahendo frumento a territorio; de non introducendis mercibus exteris; de non equitando in publico viridario vel horto; de non arripienda fuga e carcere vel dum quis est captivus bellicus; de non deponendis immunditiis in quibusdam locis; de non ingrediendo musaeo cum baculo etc. etc. Ad distinguendum autem an lex

aliqua sit huiusce generis necne, non bona esset regula inspicere utrum formula legis sit praeceptiva, vel utrum poena sit gravis, vel utrum supponendum sit quod legislator de conscientia cogitaverit; sed sensui communi et consuetudini (quae est optima legum interpres) standum erit, ut bene observat Ballerini (*Op. theol. I 107*).

Secunda species est illarum, quae valent solum pro regula tribunalium, et vel conscientiam nullo modo liberant et latae fuerunt dumtaxat ut forum nimiis litibus non repleatur (cuiusmodi censentur esse leges de quibuscam brevibus praescriptionibus, Cf. *Vol. III n. 106*); vel solum post iudicis sententiam obligant in conscientia (cuiusmodi est lex de invaliditate testamenti informis; attamen solum in sensu explicato supra *Vol. III n. 1391 IV*).

Tertia species est illarum, quae in conscientia et ipso facto effectum habent et obligant; quod accidit quando, seclusa tali obligatione, inordinationes ita graves sequerentur, ut iam (posita lege civili) lex ipsa naturalis subintret et obligationem in conscientia exigere debeat. Huiusmodi essent, v. g. leges quae iudices, tabelliones etc. obligant ad tales vel tales normas in iudiciis vel instrumentis sub poena invaliditatis servandas; vel quae obligant milites ad vigilandum circa moenia civitatis, maxime appropinquante inimico etc. Ballerini (*l. c.*).

194. *Quid de obligatione solvendi tributa?* De hoc sufficiunt quae dixi supra *Vol. III* (*394 et seq*).

195. *Quid de obligationi praestandi servitium militare?* De hoc etiam sufficiunt dicta *Vol. III* (*n. 399*) et *Vol. II* (*n. 695*).

ARTICULUS II.

De obligatione fidelitatis et reverentiae quae a subditis Principi praestari debet.

196. *Quid de* ***iuramento fidelitatis?*** De hoc vide dicta *Vol. II* (*n. 270*).

197. *Possuntne subditi contra Principem, qui tyrannus evaserit, rebellionem facere, aut se defendere?*

I. **Rebellio** armata non licet; principium enim quod rebelliones aliquando licitae esse possint, periculosissimum et perniciosissimum esset.

Enimvero quomodo causa seu gradus tyrannidis determinabitur? Nunquid populus, nunquid factiosi erunt iudices? Quid dicam de bello civili quod inter tenentes partes Principis et rebelles suscitaretur, et quid proinde de stragibus, aliisque horribilibus consequentiis? Quid denique de periculo ne vesano populi arbitrio haec omnia iterum iterumque repeterentur? Hinc Ecclesia semper reprobavit rebelliones, et Pius IX in Syllabo hanc damnavit *prop. 63:* « Legitimis Principibus obedientiam de-« tractare, imo et rebellare licet ». Novissime autem Leo XIII (Encycl.

Luctuosum, 29 Octobr. 1866) dixit: « Nos quidem nunc denuo, ut alias, « rebellionem summopere damnamus et reprobamus ». Neque dicas, unico ictu, scilicet occisione Tyranni, omnia componi posse; Concilium enim Constantiense (*Scss. XV*) hanc propositionem: *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum subditum,* damnavit tamquam haereticam, scandalosam, et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria viam dantem. Cf. Scavini (*I 360-362*) et S. Lig. (*It. A. VIII 13*).

198. II. **Defensio** contra actualem tyranni aggressionem vel contra leges manifeste iniquas licere potest, sed caute et non semper.

Scripsit Lehmkuhl (*I 797*): « Aliud est rebellionem facere, aliud « iniquis legibus earumque executioni resistere. Quod si enim vis aperte « iniusta infertur, non iam auctoritati, sed iniustae vi resistitur. At num « et quanta vi vim repellere liceat aperte iniustam, si nomine seu sub « specie publicae auctoritatis infertur, pendet ab eo utrum successus spe- « rari possit, an non; vel num fortasse maiora mala publice timenda sint ».

199. *Quid de* ***reverentia*** *Principi debita? Et debeturne solum Principi?* Contra huiusmodi reverentiam peccari posset graviter, v. g. per grave vilipendium ipsi personae Principis aut eius imagini vel stemmati illatum; per contumeliam sive publice ore prolatam sive typis impressam; per omissionem consueti signi reverentiae si ex circumstantiis pro gravi contemptu id haberetur etc.

Reverentia autem non solum Principi sed etiam Magistratibus inferioribus debetur.

ARTICULUS III.

De concursu ad officia gubernativa, et speciatim ad electionem Deputatorum sive politicorum sive municipalium.

200. *An concursus iste (qui a Gubernüis constitutionalibus hodie populo conceditur)* ***licitus*** *sit, imo etiam* ***obligatorius*** *esse possit?* Seclusis specialibus et notissimis circumstantiis relate ad Italiam, (qua de re vide supra dicta *Vol. II n. 263, et Cas. consc. an. 1892 Cas. II*), utique licitus et obligatorius esse potest.

In Encyclica *Immortale Dei* Leo XIII dixit: « Nullam velle rerum « publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad commu- « nem utilitatem afferre studii, nihil operae; eo vel magis quod catholici

« homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre « et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas « accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam « afferrent. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis : « propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati ; « minimum qui bene. Quamobrem perspicuum est, Rempublicam adeundi « causam esse iustam Catholicis; non enim adeunt neque adire debent ob « eam causam ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum ra- « tionibus non honestum : sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in « bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo « habentes, sapientiam virtutemque catholicae Religionis, tamquam salu- « berrimum succum et sanguinem, in omnes Reipublicae venas infundere ». Vide alia *Vol. II n. 264*, necnon apud P. V. (*Casus Conscientiae I Cas. VI*), qui notat obligationem quidem adesse posse, sed non ita ut qui abstineat, iustitiam commutativam violet.

Ad determinandum autem quando pro catholicis (supposita liceitate) ad electiones, seu ad urnas sive politicas sive municipales, concurrendi vera obligatio subsistat, pendet ab utilitate et necessitate concursus ipsius; quatenus, illis concurrentibus, notabilis bonus exitus sperari posset, qui secus non obtineretur. An autem hic vel ille praecise teneatur, hoc pendet pariter a circumstantiis, et praecipue an sit persona valde influens, quae facile in suam sententiam alios multos adducere valeat. Videndum tamen ne forte quis gravi incommodo (v. g. magnis expensis, persecutionibus etc.) excusetur; quo secluso, culpa etiam mortalis utique intervenire posset. Culpa autem venialis (supposita spe boni effectus v. g. per organizationem, et seclusa quavis causa excusante) in personis quoque parvi influxus admitti debet. P. V. (*l. c.*). Vide etiam Lehmkuhl (*I 799*).

201. *Si nihil melius fieri valeret, possentne catholici dare suffragium pro viris improbis,* ***ut magis improbi non eligantur?*** Affirmative; et de hoc vide supra dicta *Vol. II* (*n. 264*), necnon Aertnys (*I 170*) et P. V. (*l. c. q. 5°*).

202. *Stante probabilitate quod candidatus Religioni propensus, sed sub respectibus ingenii, scientiae, administrationis etc. minus idoneus, electus evadat in concursu alterius Religioni infensi, sed sub iisdem respectibus magis idonei ; poteruntne catholici istum illi praeferre?* Decisionem hoc in puncto dat Leo XIII (Encycl. *Sapientiae christianae*) ubi dicit: « Favendum viris est

« spectatae probitatis, eisdemque de christiano nomine « merituris; neque causa esse ulla potest cur male erga « religiônem animatos liceat anteponere ».

203. ***Debentne parochi*** *sollicite procurare ut electiones bene procedant?* Supposito periculo (prout hodie in multis locis contingit) quod electiones male vel pessime processurae sint, certe parochi aliique de Clero (maxime vero Episcopi) non possunt esse indifferentes; agitur enim de re summi momenti, ex qua bonum vel pernicies nedum reipublicae sed etiam religionis quam maxime pendet.

Hinc parochi (ut rectissime dicit Aertnys *I 179 q. 3°*) debent certe, appropinquantibus electionibus, admonere atque edocere populum de munere suo in illis bene adimplendo. Sed facile est quod debeant etiam alia media apponere (ut scilicet catholici omnes tempestive in albo electorum se inscribant, atque tali vel tali modo, et non aliter votum dent). Excusari posset solum hic vel ille parochus si eiusdem opera (propter speciales circumstantias), inutilis, vel non necessaria esset, maxime vero si mala praeponderantia provocatura foret. Hoc tamen postremum (si vasta et tuta sit organizatio atque caute procedatur) non facile timeri debet. Cf. P. V. (*l. c. q. 7°*).

204. *Quid de colono qui cogitur vel pro improbo candidato suffragium ei consignatum dare, vel gravissimum damnum subire, scilicet amissionem fundi, quo se suamque familiam sustentat?* Debet se expedire dicendo in genere: *Dabo votum,* et reapse aliam schedulam in urnam deponere; quae equidem permutatio facilis esse solet. Ita P. V. (*Cas. VI in fin.*). Sed quid si colonus ita se gerere nequiret, et dominus fundi nedum ei schedulam consignaret, sed etiam illum secum ad urnas duceret? Cooperationem formalem, ad futuros iniqui candidati actus, hic intervenire minime crederem; secus enim interveniret etiam quando minus perversus ad excludendum magis perversum eligitur; quod tamen (iuxta mox dicta *n. 201*) licitum est. Adde quod concursus istius miseri hominis probabilissime influxum necessarium et decisivum ad electionem minime habebit. Supposita autem electione, neque ad acceptandum, neque ad male sese gerendum electus cogeretur.

CAPUT III.

DE OFFICIIS FORUM IUDICIALE RESPICIENTIBUS.

Agendum est 1° de actore, accusatore et denuntiatore; 2° de reo; 3° de teste; 4° de advocato; 5° de iudice, et iuratis; 6° de apparitore; 7° de secretariis et referentibus iudicialibus; 8° de iudice conciliatore; 9° de arbitris.

ARTICULUS I.

De actore, acccusatore et denuntiatore.

205. *Quisnam est actor, quisnam accusator, et quisnam denuntiator?*

Actor est qui in causa civili contra alterum (v. g. ut sibi solvatur debitum) apud iudicem instat.

Accusator qui in causa criminali alium de delicto accusat in scriptis, sumendo in se onus probationis, et punitionem petendo.

Denuntiator qui, non sumendo in se onus probationis, crimen defert Superiori. Denuntiatio autem *iudicialis* aut solum *evangelica* esse potest. Iudicialis (de qua hic agimus) est si crimen deferatur iudici in ordine ad poenam, ita ut denuntiator sit testis. Evangelica (de qua egi *Vol. II 172*) est si crimen deferatur Superiori ut patri, non ut reus puniatur, sed ut corrigatur.

Hodie accusatio stricte sumpta quoad privatos vix usuvenit, et solum denuntiationi, seu accusationi in sensu improprio sumptae, locus relinquitur. Dixi *quoad privatos;* qui enim vere accusat est *Procurator regius,* seu (ut aiunt) *Publicum Ministerium.* Cf. Scavini (*I 512*) et Lehmkuhl (*I 811 II*).

Dum itaque in articulo isto de accusatione verba facio, hoc verbo denuntiationem iudicialem intelligo.

206. *Quid notandum praecipue circa actorem et accusatorem?* Pars actoris vel accusatoris, scilicet citatio et accusatio, potest esse 1° illicita; 2° licita; 3° debita.

207. *Quandonam citatio vel accusatio est* ***illicita?*** Illicita esse potest iure positivo, et iure naturali.

Iure positivo, si quis apud laicum tribunal 1° citaret in causa civili (sine licentia Ordinarii proprii) vel accusaret in causa criminali personam ecclesiasticam, vigente privilegio fori. (Cf. Decretum S. Officii *23 Ian. 1886 apud Monitore Vol. XIV pag. 231*). 2° Recurreret pro causa spectante exclusive ad iurisdictionem ecclesiasticam (v. g. matrimonii, speciatim quoad vinculum). 3° Si Clericus accusaret malefactorem in causa sanguinis sine necessitate sufficienti vel sine protestatione (quin scilicet declaret quod ad punitionem concurrere nollet). S. Lig. *VII 468*.

Iure naturali propter calumniam (vide dicta *Vol. II n. 1007*) vel propter malevolentiam, vindictam, malignitatem etc.

208. *Quandonam citatio vel accusatio est* ***licita?*** Quando quis, nihil agendo contra sanctiones canonicas, neque delinquendo contra iustitiam vel charitatem, recta intentione, ad tuenda iura sua aliquem citat, vel ad avertenda mala sive propria sive aliena (et maxime publica) aliquem accusat.

209. *Quandonam citatio vel accusatio est* ***debita?*** Debitum istud pariter iure naturali et iure positivo urgere potest.

Iure naturali 1° Vi officii aut contractus, v. g. in publicis officialibus, in tutoribus et curatoribus, in beneficiatis aliisque custodibus rerum Ecclesiae, et generatim in iis omnibus qui ex iustitia et munere proprio teneantur tueri iura, quibus renuntiare nequeant. 2° Ex charitate, si nempe bonum proximi (et speciatim publicum) clamet ut (ad avertenda mala quae impendeant aut facile renovari possint) denuntiatio aliqua fiat. Attamen gravia incommoda (speciatim si de sola charitate et maxime erga privatos, vel si de incommodis valde extraordinariis ageretur) excusare possent; qua de re vide dicta *De sollicitatione* (*Ed. II n. 264 et 311*).

Lege civili tenentur medici aliique publici officiales sanitarii denuntiationem facere si reperiant signa delicti, dummodo infirmus ipse reus non fuerit. (Cod. poen. *A. 439*).

Lege ecclesiastica autem adest obligatio denuntiandi intra mensem 1° confessarios sollicitantes; 2° haereticos atque suspectos de haeresi; 3° occultos coryphaeos sectae massonicae vel similis. Cf. Scavini (*IV 167*) et Lehmkuhl (*I 813*), qui circa haereticos et suspectos de haeresi notat obligationem illos denuntiandi valde restringi ubi iam innumeri sint atque a iudicibus ecclesiasticis puniri nequeant. Adde quod ut plurimum publicissimi atque omnibus iam notissimi sunt. Caeterum, si res esset de sacerdote occulte dogmatizante, utique obligatio denuntiationis perduraret. Imo contingere potest quod sacerdos vel parochus, qui forte alia delicta futuri scandali valde periculosa committere incaeperit, Episcopo iure naturae denuntiari debeat; quae tamen obligatio in Vicariis foraneis quidem, sed non in personis privatis, practice admitti debet. Rationes attuli in tractatu *De sollicitatione* (*n. 257*).

ARTICULUS II.

De reo.

N. B. — Quisnam hic veniat nomine rei; quandonam legitime interrogetur; an et quomodo teneatur respondere iudici interroganti in iudicio civili vel criminali; an et quomodo teneatur revelare complices vel possit accusatoris et testium auctoritatem debilitare; de his omnibus iam egi supra (*Vol. II n. 1007 et sqq.*). Heic itaque nonnullas, quae pertractandae supersunt, quaestiones subnectam.

210. *Potestne qui vere reus est* ***a carcere fugere?*** Communiter conceditur quod possit a carcere fugere 1° antequam sententia condemnatoria lata fuerit; 2° etiam post sententiam si carcer non pro poena, sed pro custodia usque ad sententiae executionem constitutus sit; imo etsi carcer pro poena constitutus fuerit, si durissimus esset, aut si subsidia spiritualia tyrannice ibi ei denegarentur.

At vero distinctiones istae mihi difficiles sunt; et meo sensu, indistinctim valere debet ratio quam adducit Lessius (*II.* xxxi *39*) inquiens: « Reus non tam condemnatur ut ibi sponte maneat, quam ut detineatur », et recte dicit D' Annibale: « Existimo hodie, quoties impune « per leges civiles, toties sine culpa, saltem gravi, in

« foro conscientiae reum evadere posse ; quippe hodie reus « non iubetur manere in vinculis, sed contineri ».

Facile admittunt quoque theologi quod, ad fugam arripiendam, carcerem infringere possit absque onere restitutionis. (S. Lig. *IV 282*).

Videndum est tamen ne fugiendo contra seipsum (periculis longe maioribus se exponendo), aut contra carceris custodem (quae verificari possent speciatim si de poena levi et brevi ageretur) delinqueret.

Certe nequiret custodem ad deficiendum muneri suo inducere. Posset tamen (nisi charitas obstaret, ut modo dicebam) illum decipere (dummodo veri nominis mendacia non adhiberet). S. Lig. (*l. c.*). Possetne etiam illum inebriare (non tamen illum inducendo ad ebrietatum eidem culpabilem) vel opio consopire? Affirmat Lehmkuhl (*n. 744*), sed solum casu quo evadendi ius haberet, atque insuper ita excusaretur propter circumstantias ut nec iustitiam nec charitatem offenderet.

211. *Licetne auxilium praebere reo in carcere detento, ut fugere possit?* Carcerum custodibus id certe vetitum est, ut per se patet. Aliis quoque, per se loquendo, vetitum esse debet; quia communi bono necessarium est ut rei poenam subeant; et maxime si carcere detentus esset valde facinorosus et reipublicae noxius. Dixi *per se loquendo:* si enim de consanguineo, vel non de immediata cooperatione in carcere effringendo, sed solum de instrumentis (v. g. limis, funibus etc.) suppeditandis, ageretur; tunc theologi (quibus tamen ego non acquiesco) id facile concedunt. Cf. Lehmkuhl (*I 819*).

212. *Potestne accusatus, ad se defendendum contra iniustam sententiam sibi impendentem, accusatorem vel falsos testes vel iudicem occidere?* Negative. Ratio est quia practice, speciatim propter periculum hallucinationis nimiamque casus extensionem, atque etiam quia poena iniusta esset adhuc remota et de casu stricto praesentis aggressionis non ageretur, maxime oportet ut hoc interdicatur; unde Alex. VII. damnavit sequentem propositionem : « Licet interficere falsum accusatorem, falsos « testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia « via non potest innocens damnum evitare ». Idque verum foret quamvis de sententia capitali res esset. Cf. Lehmkuhl (*I 817*) et Viva (*in h. prop.*).

213. *Potestne innocens iniuste damnatus vel a satellitibus inquisitus atque hic et nunc capiendus, contra carnificem vel contra satellites, non secus ac contra iniustum aggressorem, se defendere?* Si iniustitia (sive

ex aperta legis tyrannide, sive ex non servato ordine iuris et deficientia manifesta probationum) esset evidens et notoria ; tunc innocens, etiam armata manu (attamen servato moderamine inculpatae tutelae) se defendere posset, quasi contra violentiam latronis, ut dicit S. Th. (*2. 2 q. 69 A. 4*); dummodo tamen cum spe aliqua et sine provocatione malorum valde praeponderantium, id exequi posset. « Neque necessario (subdit Lehmkuhl *l. « c.*) attendere debet innocens, qui iniuste ad poenam rapitur, inferiores « ministros fortasse adeo caecutire, ut bona fide sententiam aperte iniu- « stam se exequi posse arbitrentur ; siquidem etiam contra eum latronem « qui putet sibi licere latrocinari, me defendere plane possum ».

Si autem, stante lege iusta et servato ordine iuris, iuxta allegata et probata iudex sententiam contra innocentem (propter testium errorem vel occultam calumniam) protulisset ; tunc ius societatis (quae aliter se gerere nequit) praevaleret, et ratio publici boni exigeret ut sic iniuste condemnatus contra sententiae executores modo cruento se defendere non posset (ut dixi *Vol. II n. 764*). Tunc tamen innocens aliquo modo resistere. atque minas vel etiam non gravem aliquam laesionem (ad fugiendum) adhibere posset. Cf. S. Lig. (*IV. 279, 281*), Lehmkuhl (*I 818*) et D' Annibale (*II n. 648*).

214. *Qui sententiam adversam habuit* ***potestne semper appellare?*** Affirmative, nisi sententiam favorabilem solum mediis iniustis, vel utcumque (in causa civili) solum ex errore vel malitia iudicis appellationis, cum damno iniusto alterius partis, sperare possit. S. Ligorius (*IV 285*).

215. *Poteritne etiam, seclusa appellatione, non obedire, si sententia fuerit iniusta?* Si fuisset manifeste iniusta, tunc affirmative. Casus esset v. g. si sententia exigeret rem illicitam vel impossibilem ; aut si iudex non subditum vel exemptum iudicasset ; aut si quis propter factum licitum condemnatus fuisset (aliud tamen esset si ex allegatis et probatis reus apparuisset).

Si autem sententia fuisset quidem iniusta, sed non ita manifeste, tunc, ad scandalum et nimiam (quae secus oriretur) boni ordinis perturbationem evitandam, servari deberet, et in conscientia appellatio tantummodo locum habere posset. Cf. Sanchez (*Consil. VI.* III. x).

ARTICULUS III.

De testibus et peritis in iudicio.

216. *Quotuplici ex capite potest adesse* ***obligatio testimonium ferendi?*** 1° Ex charitate (si, v. g. hoc esset necessarium ad liberandum innocentem). 2° Ex iustitia legali, scilicet vel ex lege positiva iubente denuntiationem et subsequentem testificationem ; vel ex particulari praecepto iudicis qui ad testimonium ferendum citationem misisset. 3° Ex religione, si de veritate testificanda iuramen-

tum emissum fuisset. 4° Ex iustitia commutativa, si quis ad testimonium ferendum promissione (et maxime pretio recepto) se obligasset. Item ex stricta iustitia tenetur etiam unusquisque, iudicis iussu, instrumenta aut alia scripta ad causam pertinentia ostendere, quia Respublica de his rebus externis altum dominium habet, de iisque disponere potest; unde qui illa absconderet aut laceraret, et sic innocenti vel ius habenti damnum inferret, ad restitutionem teneretur. Cf. Lessium (*II.* XXI *56 et seqq.*) et S. Lig. (*IV 270*).

217. *A testimonio ferendo* ***quaenam causae excusant?*** 1° Si testis legitime et iuridice non vocaretur vel interrogaretur, iuxta dicta *Vol. II* (*n. 1008*); et notandum quod personae ecclesiasticae, nequidem tamquam testes, sine permissu Episcopi (secluso concordato) ad comparendum cogi possunt (Vecchiotti *I 101*). 2° Excusat secretum commissum, aut si notitia per iniuriam expiscata fuisset (Cf. *Vol. II n. 1018*, et *Vol. III n. 1033 et sqq.*). 3° Excusat grave incommodum (quod tamen consuetum non sit), iuxta dicta (*Vol. II n. 1016* et mox supra *n. 209*). 4° Excusare potest etiam nocumentum, eo quod testificatio sententiae iniustae occasio futura esset. Qua de re vide etiam dicta *Vol. II* (*n. 1015*).

218. *Testes in indicio tenenturne respondere solum iudici, an vero etiam aliis?* Vide supra dicta *Vol. II* (*n. 1019*).

219. *An et quomodo testes ad sensum interrogationis respondere debeant?* Vide supra dicta *Vol. II* (*n. 1014*).

220. *Testis qui in damnum imputati vel citati veritatem reticuerit aut falsum deposuerit teneturne ad restitutionem?* Vide supra dicta *Vol. II* (*n. 1020*).

221. *Quid si testis occultando veritatem, aut testificando falsum, fuisset in causa cur imputatus ad multam fisco solvendam damnari non potuisset? Tenereturne tunc testis ad restitutionem erga fiscum pro multa ista?* Negative, si non comparendo aut dicendo se nihil scire, veritatem occultasset; tunc enim de sola inobedientia et contumacia reus fuisset et negative se habuisset. Si autem positive falsum dixisset, tunc Lugo (*De contr. XXXVII n. 105-106*) docet ipsum teneri ad restitutionem si animo afficiendi damno fiscum, non vero si solo animo favendi imputato, ita se gessisset: tunc enim de damno fisci causa solum imperfecta et indirecta extitisset. Vide supra dicta *Vol. III* (*n. 309*).

222. *Quid de peritis?* Vide *Vol. II* (*n. 1021*).

ARTICULUS IV.

De advocatis et procuratoribus.

223. *Advocati et procuratores* ***quasnam causas*** *defendere possunt?* Illas quas clientes iuste inire valent.

Hinc *in causis criminalibus* licite reum defenderent, quamvis de illius culpabilitate certi essent.

In causa civili autem si esset **certe iniusta** (aliud enim est de dubie iusta, monito cliente) tunc, sive in initio sive in progressu litis iniustitia detegeretur, neque illam defendere, neque compositionem (quam solum in re dubia vel ad avertendam iniustam vexationem consulere liceret) cum damno alterius partis innocentis procurare possunt.

Si causam certe iniustam defenderent, tenerentur (tamquam iniusti cooperatores) parti contrariae damna resarcire; idque tamquam agentes sive principales sive secundarii secundum quod actor esset in bona vel in mala fide.

Tenerentur etiam compensare damna actori ipsi, si illum ex ignorantia in bona fide constitutum de causae iniustitia, et consequenter de lite perdenda (statim ac id cognitum fuerit) non admonuissent. S. Lig. (*IV 223*).

224. *Quid de* ***dolis, mendaciis*** *et falsiloquiis, quae ab advocatis adhibeantur?* Peccatum aderit sine dubio, si iudices, iuratos, testes, peritos etc. corrumpant, vel utcumque testimonia falsa aut documenta falsa adhibeant. Idem dic si legibus vel interpretationibus certe falsis iudices decipere conarentur.

Quoad mendacia autem et falsiloquia, quum advocatus clientis sui personam repraesentet, recolenda sunt quae de reo supra exposui *Vol. II* (*n. 1010 et 1011*).

225. *Quid de* ***diligentia*** *et* ***fidelitate*** *in causis expediendis?* Advocati et procuratores tenentur diligenter et solerter suscepta negotia expedire, idque ex iustitia.

Hac in re culpa intervenire potest si loco studendi, praeparandi documenta, adeundi tribunalia etc., deambulent, ludant, conversationibus indulgeant, vel de aliis rebus se occupent, dum interim ex mala causae defensione clienti, vel ex cunctatione tum clienti tum adversario damna obventura sint.

Culpa aderit etiam si nimias (quas expedire convenienter nequeant) lites acceptent, maxime si ob id causa aliqua momentosa detrimentum passura esset.

Fidelitatem integram erga clientes servare debent. Hinc peccant (reatu, uti aiunt, praevaricationis) qui causas male tractant, ut parti contrariae faveant. Item qui litem incaeptam deserunt, et postea adversario sine consensu prioris clientis, in eadem causa patrocinantur; id enim, ob periculum abutendi secretis habitis, districte vetatur, qua de re vide Cod. poen. (*A. 222*).

In conscientia tamen advocatus, si, cognita iniustitia manifesta prioris causae, illam hac ratione deseruisset, et nihilominus prior cliens causam ipsam inique prosequeretur; tunc contra illum iniustus non esset, si inique vexato patrocinaretur. Dixi *in conscientia*; leges enim civiles non distinguunt, unde in hoc quoque casu poenae effugi non videntur. Cf. Lugo (*De Contr. XLI 6*).

226. *Quid de* ***mercede?*** Iniustitia adesset, si advocatus vel procurator in compensationem sui laboris mercedem excessivam exigeret. Haec, si non sit lege taxata, prudentum iudicio, habita ratione negotii, peritiae advocati, et receptae consuetudinis, determinari debet.

Quoad pauperes, et illa corpora moralia quae pauperum curam habeant, adest patrocinium gratuitum; de quo vide Scavini (*I 527 not. 3*).

Codex poenalis (*A. 224*) severe animadvertit contra illos causidicos, qui a clientibus carpunt pecuniam aut aliquid aliud, dicendo se tantundem dedisse aut promisisse iudicibus aut aliis publicis officialibus vel testibus ad eorum favorem obtinendum.

Supposita iustitia mercedis, haec (si statuta et promissa fuisset non pro singulis actibus sed in globo pro tota causa) integra deberetur causidico, etsi postea causam non egisset, dummodo per eum non stetisset, sed facto vel fato clientis id evenisset; excepto casu quo cliens propter detectam litis iniustitiam, aut motivo congruae compositionis, a litigando desistere voluisset; in contractu enim inter clientem et advocatum haec conditio subintelligebatur.

Si denique causidicus conductus fuisset ad annum, quo anno decessisset, pro rata dumtaxat stipendium eius haeredibus deberetur. Ita D'Annibale (*II 637*).

227. *Quid si advocatus in causa immunitati ecclesiasticae aut quomodocumque divino vel ecclesiastico iuri contraria patrocinaretur?* Si patrocinatio iure divino vetita sit, tunc nullum remedium; et absolute respui vel derelinqui debet. Si vero solum ius ecclesiasticum in loco vigens obstet; tunc contingere potest quod dispensatio

obtineri valeat, quae utique (saltem si tempus suppetat) peti debebit. An autem, in casu urgenti et deficiente modo dispensationem petendi, dispensatio praesumpta sufficiat (Ecclesia scilicet contenta sit ut tunc sine petitione dispensationis ad actum procedatur), vel incommodum sit tale ac tantum ut tunc Ecclesiae lex obligare nequeat, ex casus circumstantiis et absentia scandali diiudicari debebit. Cf. Suarez (*De Leg. VI.* XVIII *23*),

ARTICULUS V.

De iudice, de arbitro, et de iuratis.

228. *Quaenam* ***differentia*** *adest inter iudicem, arbitrum et iuratos?* Ad sententiam ferendam iudex auctoritate publica, arbiter conventione litigantium constituitur. Iurati autem iudicant solum in causis criminalibus, et quidem de sola existentia facti et reatus.

229. *Quid* ***exigitur in iudice*** *ut recte muneri suo satisfaciat?* Exigitur 1° ut iurisdictionem habeat; 2° ut iustitiam servet.

230. *Quid praecipue notandum circa* ***iurisdictionem?*** Iudex iurisdictionem debet habere *circa personas* et *circa causam;* non solum enim oportet ut reus vel citatus sit eiusdem subditus, sed etiam ut causa sit de competentia illius tribunalis.

Hinc iudices laici neque personas ecclesiasticas iudicare vel tamquam testes citare, neque in causis ecclesiasticis (v. g. circa vinculum matrimonii, divortium, decimas, iura beneficialia etc.) laicos iudicare possunt. Idque verum esset, quamvis personae ipsae ecclesiasticae consentirent (privilegio enim, quia competit statui clericali, renuntiare nequeunt).

Exceptiones tamen esse possunt, si non de iudice sed de arbitro ageretur. Exceptio fieri deberet etiam in Ecclesia quae sive expresse (per concordatum vel particularem permissionem) sive tacite (per consuetudinem) consensisset. Lugo (*De Contr. XXXVII 18*).

231. *Quot modis iudex potest peccare* ***contra iustitiam?*** 1° Si ferat sententiam iniustam. 2° Si, dum nihil a partibus exigere possit, aliquid exigat.

232. *Si ferat sententiam iniustam, teneturne* ***ad restitutionem?*** Affirmative in duobus casibus: 1° *Erga*

rempublicam, si, reos iniuste absolvendo, in causa esset cur ipsi nova damna allaturi forent: ad hoc enim iudex constituitur et mercede conducitur, ut, reos condemnando, delicta et damna impediat. (Lugo *XXXVII 97*). 2° *Erga partem directe laesam*; quatenus scilicet in iudicio criminali innocentem condemnet, aut reo graviorem iusto poenam infligat; vel in iudicio civili cui favendum esset non faveret. Sic enim contra iustitiam nedum legalem, sed etiam commutativam, delinqueret, et proinde ad restitutionem teneretur.

Excipe 1° nisi alii principalius obligati satisfacerent; 2° nisi bona fide atque ex ignorantia inculpabili processisset: quo tamen postremo casu teneretur malas consequentias impedire, quatenus absque magna infamia aut alio gravi incommodo posset, v. g. curando occulte ut pars laesa ad appellationem recurreret. Lugo (*l. c. 3*).

233. *Quid si iudex, reum iniuste absolvendo, in causa esset cur multa in codice poenali statuta ei non applicaretur, et sic fiscus hoc damno afficeretur?* Cohaerenter mox supra dictis (*n. 221*) Lugo (*l. c. 97*), contra Suarez aliosque multos, docet ex hoc capite (eo quod agatur de re indirecta, et proinde non de causa sed de sola occasione damni non intenti) restitutionis onus non intervenire.

234. *Interveniente* ***dubio,*** *quomodo iudex se gerere poterit salva iustitia?* Imprimis distinguendum est inter dubium de licito respectu iudicis ipsius, et dubium circa iura partium scilicet litigantium aut imputati.

235. *Quid* ***si dubium versetur circa licitum respectu iudicis ipsius?*** Si probabile sit quod iudici talem vel talem sententiam proferre liceat: tunc, iuxta eandem probabilitatem, sententiam tuta conscientia proferre poterit.

Neque obstat propositio damnata, quae mox infra (*n. 239*) adducetur. Rectissime scripsit Lugo (*De Contr. XXXVII 113*): « Quando dubitatur « an ipsi iudici aliquid liceat, in hoc non esse peioris conditionis iudicem « quam caeteri, quibus licet operari cum opinione probabili (etiam relicta « probabiliori) ». Hinc v. g. iuxta opiniones hinc inde probabiles poterit iudex sive absolvere sive condemnare innocentem, qui ex allegatis et probatis reus resultet, ut paulo infra (*n. 243*) videbimus.

236. *Quid si dubium versetur* ***circa iura partium?*** Dubium istud potest esse *iuris* aut *facti*. Est facti quando (propter defectum probationum certarum) versetur circa factum (v. g. an delictum commissum, vel debitum contractum aut solutum fuerit etc.). Est iuris quando, etsi constet de facto, dubitetur quid de illo ipso facto lex disponat.

237. Iudex imprimis tenetur ex iustitia niti ut examine et studio dubium vincat directe. Cura autem hoc

modo vincendi dubium rei gravitati proportionata, et in quovis casu, etsi discreta sufficiet, diligens tamen esse debebit.

Si dubium directe solvi nequeat, tunc iudex in conspectu probabilitatis sive aequalis sive inaequalis versabitur; atque, utendo principiis indirectis, se gerere debebit iuxta regulas sequentes.

238. **Prima Regula.** *Non subsistente certitudine, iudicandum est* ***pro reo, pro possessore, pro matrimonii contracti validitate.*** Haec regula sic explicatur.

I. In causis criminalibus iudicandum est pro reo, scilicet pro accusato iuxta aphorismum: « In poenalibus causis « benignius interpretandum est ». (Cf. Reiff. *De Regul. iur. in 6° Reg. XXX n. 10*).

II. In causis civilibus iudicandum est pro possessore, nempe pro eo qui sive rei sive crediti in certa et (propter bonam fidem) legitima possessione sit; iuxta alium aphorismum: « Si actor non potuerit suam (rem) esse « probare, remanet in suo loco possessio »; unde iam pro regula inconcussa habetur quod in dubio melior est conditio possidentis (Reiff. *l. c. Reg. XLV*); secus enim continuae perturbationes sequerentur, et qui hodie (propter rationes quae nunc videntur probabiliores) alium spoliat, cras (propter rationes in contrarium repertas) spoliari et ipse posset.

III. In causis matrimonialibus, matrimonio iam contracto, iudicandum est pro eiusdem matrimonii validitate (excepto casu fere certae impotentiae. Acta *XXII pag. 266 et 271*).

Ut itaque iudex condemnare posset imputatum, vel spoliare possessorem, vel dissolvere matrimonium, plenam certitudinem directe habere debet; et proinde in favorem imputati, possessoris, et matrimonii sententiam ferre teneretur, etsi forte (NB.) minor probabilitas pro iisdem militaret.

239. **Secunda Regula.** *In aliis casibus, stante dubio, iudicandum est* ***in favorem partis habentis rationes validiores.*** Patet ex propositione ab Innocentio XI damnata, quae dicebat: « Probabiliter existimo, « iudicem iudicare posse iuxta opinionem etiam minus probabilem ». Ad hoc autem tenetur ex iustitia et sub onere restitutionis. Ratio est quia iudex constituitur a

Republica ut iustitiam servet; quando autem, propter incertitudinem, periculum iniustitiae necessario subsistit, oportet ut meliori modo possibili iustitiae consulat, standa pro parte in qua iniustitiae periculum est minus.

Ita docet Lugo (*De Contr. XXXVII 116-121*); qui tamen notat 1° iudicem non teneri exquisito studio, sed solum morali diligentia, perpendere qua ex parte maior probabilitas militet; 2° posse etiam iudicare iuxta opinionem sibi minus probabilem casu quo illa communius pro magis probabili ab aliis habeatur, et speciatim si in iudicio appellationis eius sententia (quae ei magis iusta videretur) annullanda foret.

Ad iudicandum autem de maiori probabilitate, res in complexu consideranda erit; tam ea scilicet quae sunt de facto (probationes), tam ea quae sunt de iure (legis interpretationes) in lance ponendo. Lehmkuhl (*I 808*).

Dicit insuper S. Lig. (*IV 210*) iudicem attendere debere ad gradum probabilitatis iuxta allegata et probata; non vero iuxta privatas notitias quas forte haberet; qua iudex enim sic et non aliter se gerere potest. Aliud est de iuratis, ut infra videbimus.

240. **Tertia Regula.** *Si rationes hinc inde* ***aequales*** *viderentur, tunc favendum esset* 1° ***causae privilegiatae;*** 2° ***citato.*** Haec regula sequenti modo explicatur.

I. In causis privilegiatis (cuiusmodi sunt, iure romano et canonico, causae dotis, viduarum, pupillorum, et causae piae), pro iisdem iudicandum esset. Si tamen causa (v. g. dotis) ad forum laicum legitime spectaret, et leges modernae dictum privilegium non admitterent; tunc iudex a regula ipsa servanda in rigore liber esset, ut bene notat Lehmkuhl (*l. c.*).

II. Si causa civilis esset inter actorem et citatum (qui dici solet *reus*); tunc ut plurimum favendum foret citato, eo quod ad suas rationes exponendas minus paratus praesumatur, unde alius aphorismus (*in 6° n. XI*) dicit: « Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius « quam actori ». Cf. Reiff. (*in hanc reg.*).

241. **Quarta Regula.** *Stante rationum aequalitate et non existente praesumptione quod citatus sit minus paratus; tunc utrique litiganti aequa pars dari debebit.* Scilicet tunc communius docent quod, si res sit divisibilis, dividatur; secus, unus illam, et alter dimidium pretii habeat, committendo sorti quisnam illam et quisnam istud habere debeat.

242. Non tamen desunt qui censent, iudicem pro lubitu suo sententiam ferre posse, nisi ageretur de casu in quo lex divisionem expresse exigeret. Cf. S. Lig. (*IV 210*), et Lugo (*l. c. 120*).

243. *Quid si quis (in causa criminali)* ***iuxta allegata et probata appareret reus,*** *sed iudex illum* ***esse innocentem certe sciret?*** Tunc tentare deberet media omnia ad illum salvandam, v. g. diligentissime examinando testes, exponendo casum Principi ut gratiam obtineret, et denique (quatenus ita fieri posset) causam ad alium iudicem remittendo et testem se constituendo, aut etiam iniuste accusato fugiendi opportunitatem procurando.

Si autem haec media frustra tentarentur, tunc communius admittunt quod, dummodo non agatur de morte aut mutilatione, iudex possit contra talem innocentem sententiam ferre; ex una parte enim si officio renuntiaret, absque ulla innocentis utilitate damnum subiret, et ex alia sententiam contra allegata et probata emittendo, scandalum praeberet, iniustum se ostenderet, periculis se exponeret, et forsan sententia illius a tribunali superiori invalidaretur. Observandum est insuper quod de re intrinsece mala non ageretur; respublica enim super bona subditorum altum dominium conservat, de quibus disponere potest iustis de causis, quae in facti specie non deessent.

Difficultas igitur restringitur ad casum sententiae capitalis aut mutilationis. Lessius aliique multi opinantur, innocentem sic punire esse quid intrinsece malum, adeoque nunquam licere. At vero D. Th. (*2. 2 q. LXIV.* VI *et q. LXVII.* II) contrarium docet, et Lugo (*XXXVII 41*) dicit talem quoque doctrinam esse valde probabilem. Ratio est quia publica iustitia aliter excerceri nequit, et bonum publicum praevalet privato; unde tunc occisio innocentis mala non est. Quod autem de iudice dicitur, de carnifice quoque dici debet. (Lugo *l. c. 48*).

244. *Quid e contra si quis ex allegatis et probatis appareret innocens, et iudex certe sciret illum esse reum?* Tunc iudex illum condemnare nequiret. Ratio est quia talem auctoritatem minime habet; respublica enim auctoritatem iudicandi iuxta allegata et probata, non vero

ex scientia sua privata, ei contulit; non enim expedit ut unus testis ad aliquem condemnandum sufficere possit, unde aphorismus *unus testis nullus testis*; idque maxime verum esset si de causa capitali ageretur. Lugo (*XXXVII 50-54*).

245. *Iudex potestne* ***circa poenam mitius procedere?***

Si poena in codice sit determinata, nequit illam minuere, sed, ex officio et iubentibus legibus ipsis, eandem infligere tenetur. Excipe nisi circumstantiae extraordinariae a legibus non consideratae intervenirent; vel si iam consuetudo esset ut iudices subinde mitius procedere valerent.

Si autem poenae determinatio arbitrio iudicis relicta esset, tunc iudex modo rigidius modo mitius iuxta casuum diversitatem se gerere poterit atque debebit.

Postquam tamen sententiam iam tulerit, poenam inflictam imminuere nequibit; sed *gratia ad solum Principem* spectabit.

In causis civilibus autem (v. g. quoad lites circa testamenta, contractus etc.) ne Princeps quidem (propter subditorum ius acquisitum) aliquid mutare, sed *appellatio* tantummodo locum habere poterit. Cf. Lugo (*l. c. 88-94*).

246. *Quid* ***de mediis a iudice adhibendis*** *ut muneri suo rite satisfacere possit?*

Iudex tenetur *scientiam* tanto officio parem habere; item adhibere *sagacitatem* tum ut circumstantias omnes (a quarum diligenti et patienti investigatione sententiae rectitudo ut plurimum pendet) cognoscere valeat (non enim semper prima fronte apparent), tum ut fallacias (quae in causidicorum ore abundare solent) a veris rationibus discernat; falsa autem testimonia, quantum iure potest, impediat.

Si causa sit difficilis et intricatus, ad *studium speciale* et examen magis accuratum tenetur.

Imprimis autem habere debet *integritatem incorruptibilem*, quae nec amori nec odio nec intercessionibus nec precibus nec muneribus nec minis cedat.

247. *Quid si iudex, qui a Gubernio stipendium iam percipit, a partibus vel a tertio aliquid exigeret vel re-*

ciperet? Distinguendum est inter receptionem pretii ad modum contractus onerosi, et receptionem rei alicuius ad modum donationis mere liberalis.

Loquendo de receptione **ad modum pretii,** subdistinguendum est inter sententiam iustam et iniustam.

Si (sive a partibus sive a tertio) pretium exigeret pro sententia *iusta,* iniustitiam committeret; praeter iustum stipendium enim, quod iam percipit, iniuste aliud praetenderet, et sic ad recepti restitutionem teneretur: idque verum esset quamvis, propter aequalem probabilitatem, alterutri pro libitu (iuxta opinionem supra *n. 242* allatam) favere posset; sive enim uni sive alteri faveat, ille cui res adiudicatur, nulli oneri subiici potest; quandoquidem secus non iam rem totam sed minus haberet. Unica exceptio fieri posset, si nempe Iudex labori non debito et prorsus plus aequo extraordinario vel exquisito ad complacendum alterutri id petenti, se subiiceret; quod tamen semper periculosissimum atque maximis allucinationibus obnoxium esset. Lugo (*l. c. 119-125*). Notandum quod exactio potest esse tacita. Si nempe iam sciretur quod iudex dantibus ei pecuniam, et non aliis, favere solitus esset.

Si autem pro sententia *iniusta* aliquid exegisset; tunc ante factum (utique recedendo ab iniquo proposito, prout deberet), restituere, et post factum pretium retinere posset. Sed de hac re vide dicta (*Vol. III n. 530*).

Loquendo autem de receptione rei alicuius **ad modum muneris,** iudex iure naturae peccat (maxime si munera essent magni momenti) propter periculum proximum corruptionis cui se exponeret; atque ante sententiam (non equidem ex iustitia bene vero ut ab eiusdem periculo se eripiat) ad restitutionem tenetur, si sat facile restituere possit. (Lugo *l. c. 130*).

Iure civili autem munerum receptio severissime interdicitur, ut videre est in Cod. poen. (*A. 171*). Interdicitur etiam iure canonico. Vide Lugo (*l. c. 132*).

248. *Circa* ***iuratos*** *estne aliquid notandum in particulari?*

I. De iuratis recolenda sunt quae dixi supra *Vol. II n. 1022.*

II. Iurati vi iuramenti emissi, attentionem et summam rectitudinem servare tenentur; secus mortaliter peccarent, atque ad damnorum reparationem obligarentur, sicut iudices. Hinc patet quam male se gerant ii qui, nullam attentionem adhibentes, votum in accusati favorem semper praestant. Porro iuramentum emittitur sequenti modo: « Giuro in faccia a Dio e in faccia agli uomini di esami- « nare colla più scrupolosa attenzione le accuse fatte a N. « N.; di non tradire i diritti dell'accusato, nè quelli della « società che lo accusa; di non comunicare con chicchessia « relativamente alle dette accuse sino dopo alla dichiara- « zione; di non dare ascolto nè all'odio, nè ad altro mal- « vagio sentimento, nè al timore, nè all' affetto; di deci- « dere solamente allo stato dell'accusa e delle fatte difese « secondo la mia coscienza ed il mio intimo convincimento, « colla imparzialità e colla fermezza che si convengono ad « un uomo probo e libero ». *Cod. di procedura penale A. 487.*

III. Articulo quoque *498* lex dicit, iuratos circa reatum aut innocentiam accusati iudicare debere iuxta intimam convinctionem, quin respiciantur media quibus ad convinctionem ipsam devenerint; unde necessitatem absolutam standi allegatis et probatis minime habeant, si aliis mediis quomodo res se habeant sciant.

Lehmkuhl (*I 807*) docet, id esse verum si de innocentia, non autem si de culpabilitate declaranda agatur; imo (addit) legem ne posse quidem auctoritatem iudicandi de reatu, praeter allegata et probata, eis concedere. Attamen leges nostrae distinctionem istam non faciunt, imo tam ad innocentiam quam ad reatum facultatem expresse extendunt; quod equidem facere possunt; sententia enim non a iurato unico, sed a concordia maioritatis pendet; et aliunde, quum (speciatim ex testium aliorumque nequitia) reatus innumeri rigorose probari non possint, expedit ut, si iurati (contra allegata et probata) a poena solvere, ita etiam ad illam (pro bono societatis) condemnare valeant; quando scilicet testes esse falsos animadvertant vel aliis mediis de reatu certam notitiam habeant.

249. *Si agerctur de indicio* ***contra sacerdotem,*** *possetne iuratus, non obstante lege immunitatis ecclesiasticae, intervenire?* R. Aliqui dicunt quod lex ista prorsus evanesceret casu quo Iuratus posset dicto sacerdoti prodesse, et hac intentione ad tribunal se conferret; multo magis quia ab interventu absque magno incommodo (multa enim est a Fr. 300 ad Fr. 1000) abstinere nequit. Sed haec opinio (nisi melius determinetur) non est admittenda; iudicare enim personas ecclesiasticas (etiam favorabiliter) sine licentia Ecclesiae non licet. Quamvis autem opus sit ut Ecclesia hodie praedictam licentiam ordinarie concedat, ex hoc non sequitur quod etiam sine licentia intervenire liceat. Lex enim de petenda licentia est adhuc in aedificationem; non solum ad removendum scandalum, sed etiam ut Episcopus congrua consilia et opportunas instructiones dare possit. Si tamen casus ita ex improviso accideret ut Episcopus consuli nequiret; tunc (si quid opinor) licentia praesumpta sufficeret; idque sive utile sive inutile Iurati votum esse posset.

ARTICULUS VI.

De apparitore.

250. ***Quis est*** *apparitor?* Apparitor (it. *usciere*) est qui ex officio mandata iudicis (sive in iudicium vocando, sive sententiam denunciando, sive ad oppignorationes procedendo) exequitur.

251. *Quotupliciter apparitor peccare potest?* Contra iustitiam et contra charitatem.

252. *Quomodo peccabit* ***contra iustitiam?*** Contra iustitiam peccare potest directe et indirecte.

Directe si pretio vel favore corruptus 1° Falsitates in actibus poneret. 2° Denuntiationem sententiae aut oppignorationem protraheret, vel aliquid aliud faceret, ut sic creditor solutionem habere nequiret. 3° Non oppignoraret ea quae oppignorare deberet, vel e contra ea oppignoraret quae legitime oppignorare non posset. (Cf. Cod. proc. civ. *A. 585 et seqq.*). 4° Si in rerum oppignoratarum vendi-

tione (quae ei committatur) iustitiam non servaret vel pretii partem sibi applicaret. 5° Si ultra iustam taxam, operis sui salarium exigeret.

Indirecte autem contra iustitiam peccaret, si ex desidia vel negligentia muneri suo deficeret, ita ut exinde damna sequerentur.

In his casibus (supposita culpa formali) ad restitutionem teneretur.

253. *Quomodo peccabit* ***contra charitatem?*** Si in officio suo exequendo asperius ageret, illiusque rigorem benevolis modis (quoad fieri possit) non temperaret.

254. *Quid si apparitor contra* ***personas aut res ecclesiasticas*** *agere deberet?* Tunc licentia Episcopi necessaria esset. (Cf. *Vol. II n. 267*).

ARTICULUS VII.

De secretariis et referentibus iudicialibus

255. *Quinam sunt* ***secretarii*** *iudiciales?* Secretarii (seu scribae seu cancellarii) iudiciales sunt qui testium depositiones, sententias et caetera omnia quae in tribunalibus peraguntur in scriptum referre, et in libris authenticis transcribere debent.

256. *Quomodo secretarii peccare possent* ***contra iustitiam?*** Ipsi quoque contra iustitiam peccare possunt directe et indirecte.

Directe 1° Si ex malitia aliquid in scribendo aut transcribendo omitterent, vel adderent, vel quovis modo falsificarent. 2° Si in distribuendis causis favori potius quam ordini prospicerent, efficiendo ut sit secundus qui primus esse deberet. 3° Si ad augendum salarium scriberent, v. g. in duabus paginis ea quae in unica commode referri potuissent. 4° Si secreta sibi commissa proderent (hinc de secretario est aphorismus: *Manus fideliter scribens; lingua iugiter tacens*).

Indirecte si attentionem magnam et constantem, ut omnia audiant et diligenter scribant et transcribant, non praestarent. Dixi *magnam;* tenentur enim (uti aiunt) de

culpa levi; et, si ex defectu diligentiae magnae (ad quam sub gravi tenentur), damnum grave obventurum esset, ipsi ad eiusdem reparationem tenerentur. Gury (*II 19*).

257. *Quinam sunt* ***referentes?*** Referentes (seu *ponentes*) sunt qui litem diligenter examinare, et rationes hinc inde militantes fideliter iudici exponere debent. Peccarent itaque contra iustitiam 1° Si aliquid ad substantiam causae pertinens in relatione praetermitterent. 2° Si ex dolo vel negligentia potius unius quam alterius partis rationes adducerent vel explicarent. Scavini (*I 529*).

ARTICULUS VIII.

De iudice conciliatore.

258. *Quisnam est iudex conciliator, et quaenam sunt illius* ***munera*** *atque* ***facultates?***

Iudex conciliator est officialis auctoritate publica deputatus ad componendas controversias; eiusque munus proinde est exponere partibus quid iuris sit, atque niti ut, ad litem evitandam, acquiescant vel amicabiliter componantur.

Casu quo compositio obtineatur, tunc actus conciliationis vim habet sententiae iudicialis atque executivae, si valor Fr. 30 non excedat; si autem valor F. 30 excederet vel esset indeterminatus, tunc compositio vim scripturae privatae atque in iudicio recognoscibilis haberet. Cod. proc. civ. (*A. 1-7*).

ARTICULUS IX.

De arbitris.

259. ***Quinam sunt*** *arbitri?* Qui a contendentibus ad litem dirimendam eliguntur.

260. *Suntne semper eiusdem speciei?* Negative; etsi enim ordinarie sint *veri iudices*, aliquando solum *amicabiles compositores* sunt. Intelliguntur electi ut veri iudices, nisi aliud expresse cautum fuisset. Si sunt iudices, tunc

ad tramites iuris sententiam ferre debent; si autem sint amicabiles compositores, tunc iuxta bonum et aequum transactionem indicere possunt. Cod. proc. civ. (*A. 20*).

261. *Potestne unusquisque esse arbiter?* Iure naturae, affirmative; sed iure positivo, negative. Apud nos iure civili excluduntur foeminae, minores et interdicti. (Cod. cit. *A. 10*).

262. *Quot numero esse debent?* Potest esse unicus, et possunt esse plures; sed, si sint plures, *numero dispari* esse debent. (*A. 8*).

263. *Quid exigitur ut* ***arbitrorum electio sit valida?*** Iure civili exigitur scriptura, in qua tum nomina arbitrorum et partium exprimantur, tum controversia exponatur (*A. 11*). Exigitur etiam ut arbitri ipsi in scriptis (v. g. se subsignando) hoc officium (scilicet *arbitratum*) acceptent (*A. 13*). Dicta autem scriptura *compromissum* appellatur.

264. *Quid exigitur ut* ***sententia*** *ab arbitris emissa* ***effectum habeat?*** Iure civili exigitur 1° Ut redacta sit iuxta formam indicatam in Cod. cit. (*A. 21*). 2° Ut (si arbitri fuerint plures) a votorum maioritate emerserit. 3° Ut simul cum compromisso intra quinque dies deposita fuerit apud cancellariam praetoris localis (iuxta *A. 24*). 4° Ut intra alios quinque dies decreto praetoris ipsius executiva reddita fuerit. (*A. cit.*).

265. *Sententia ab arbitris emissa estne appellabilis, an vero inappellabilis?* Iure civili censetur **appellabilis.** Excipe 1° Si arbitri electi fuissent tamquam amicabiles compositores. 2° Si partes renuntiassent appellationi. 3° Si illos elegissent tamquam iudices appellationis. 4° Si causae obiectum Fr. 30 valorem non excederet (Cod. civ. *A. 28*), prout mox supra (*n. 122*) dictum est de iudice conciliatore.

CAPUT IV.

DE QUIBUSDAM ALIIS OFFICIIS, QUAE UT PLURIMUM AD PERSONAS SAECULARES PERTINENT.

ARTICULUS I.

Exponuntur quaedam generalia.

266. *Quaenam* ***scientia et idoneitas*** *exigitur ut quis officium aliquod acceptare atque exercere possit?* Debet esse capax *circa ordinaria*. Si tamen officium a Superiore demandatum et impositum esset, idoneitas a Superiore ipso existimata sufficeret; ita tamen ut eidem defectus exponi posset, et (si esset occultus) deberet; eiusdem decisioni semper acquiescendo: et curando, idoneitatem (si revera deficeret) sollicite acquirere.

Evenientibus *casibus extraordinariis*, quantum moraliter possibile sit, studere vel consilium petere oporteret.

Officia autem incompatibilia, quae nempe simul bene adimpleri non valerent, voluntarie (scilicet Superiore non cogente) acceptari non possent.

267. *Quid si quis esset quidem capax, sed praevideret quod ex propria culpa muneri suo non erit satisfacturus?* Peccare quidem poterit qui illud officium ei committeret; sed ipse (cum intentione muneri suo satisfaciendi) illud absque peccato acceptare poterit. Quis enim dixerit quod agricola, qui non solet esse iustus erga dominum fundi, peccet si fundum colendum acceptet?

268. *Quid de petente et obtinente officium, si capax quidem esset, sed videret alios magis capaces ad illud concurrere?* Ad hanc quaestionem Lugo (*De Contract. XXXVII 2*) sic respondet: « Quidquid sit de peccato eli-
« gentis eum, electus tamen tutus est in conscientia.....,
« nisi ex dolo vel mendaciis electi (*v. g. documentis falsis*
« *ab eo adductis*), alius dignior fuisset relictus ».

269. ***Qua diligentia*** *tenetur unusquisque muneri suo incumbere?* Diligentia maior vel minor exigitur 1° iuxta diversa officia; 2° iuxta diversos casus; 3° iuxta moralem possibilitatem; aliud enim est v. g. si quis negotium unicum, et aliud si negotia multà intra tempus determinatum et insufficiens ad bene illa omnia exequenda necessario expedire deberet.

270. *Quid si pro singulis actibus officialis adesset* ***stipendium*** *a lege taxatum (it. tariffa), et ille aliquid amplius exigeret?* Iniuste illud exigeret. Excipe 1° si curam extraordinariam et minime debitam adhibuisset; 2° si tractu temporis taxatio illa iniusta evasisset; unde communis augmentum exigendi consuetudo iam adesset. Gury (*II 17 not. a*).

271. *Quid si officialis* ***ultra taxam*** *iustam aliquid non equidem expresse exigere, sed acceptare solitus esset? Et an officialis (v. g. advocatus vel medicus) teneri possit ad praestandam operam suam* ***gratis*** *(etsi publico stipendio conductus non sit)?*

Ad I. Si solitus esset negligere (muneri suo proprie deficiendo) augmentum non dantes, tunc illud acceptando contra iustitiam peccaret et restituere deberet. Si vero ultra debitum specialem curam haberet illorum, qui ultra taxam aliquid suppeditarent, tunc proprie non delinqueret; nec restituere teneretur, etsi forte donatio non adeo libenter fieret neque prorsus spontanea esset; multae enim donationes quasi necessario fiunt, et nihilominus donatariis onus restituendi non inducunt. (Gury *l. c.*). Attamen res esset (uti patet) plena periculi.

Ad II. Utique contingere potest quod advocatus, medicus, obstetrix etc. teneantur ex charitate operam suam praestare indigentibus (et quidem, si pauperes essent, etiam gratis omnino) si alii in promptu non adessent, et casus urgeret. Tunc autem in extrema necessitate cum gravi (non tamen cum gravissimo) incommodo; et in gravi vel ordinaria necessitate solum cum aliquo incommodo non gravi, tenerentur. S. Lig. (*Hom. Ap. XIII 69*). Quomodo autem lege civili quoque medici in casibus ur-

gentibus operam suam praestare teneantur, videbimus infra (ubi de medicis).

272. *Quid de officiis in guberniis usurpatoribus et Ecclesiae hostilibus?* De re ista satis egi supra *Vol. II* (*264-271*).

ARTICULUS II.

De officio notarii, seu tabellionis.

273. *Quisnam est* ***notarius?*** Qui ad scribenda acta seu instrumenta, quae publicam fidem faciant, publica auctoritate constituitur.

274. *Quibus dotibus praeditus esse debet notarius?* Aphorismus est: *Expertus, fidus, diligens notarius esto.* Probitas itaque, scientia et diligentia ei specialissimo modo necessariae sunt.

275. *Cur praeditus esse debet* ***probitate?*** 1° Ne, ad favendum aliis, clientes; vel, ad favendum alterutri ex partibus, aliam partem laedat. 2° Ne clientum ipsorum complicem se reddat; dum scilicet ipsi v. g. venditionem fictam cum damno creditorum facere, vel datas falsas apponere, vel datas veras mutare, vel quovis modo contractum iniquum peragere vellent.

276. *Cur speciali* ***scientia*** *et* ***diligentia*** *praeditus esse debet?* Quia (praeter testamenta) contractus et negotia innumera ei possunt contingere, quae diversissimarum specierum esse, et diversissimas (atque subinde novas) clausulas et formalitates (tum ut valeant, tum ut litibus non subiiciantur) exigere possunt.

277. *Ad quid imprimis tenetur notarius, quoad* ***acceptationem*** *et* ***confectionem*** *scripturarum?* 1° Debet attendere diligenter ut rem totam bene intelligat. 2° Si videat rem esse iniquam, operam suam recuset. 3° Si perspiciat testamentum vel contractum, prout exponitur, futurum esse invalidum, aut dubiis vel litibus obnoxium; tunc moneat, atque modum validum tutumque suadeat. 4° Dicta contrahentium fideliter exponat, atque clausulas adiiciat aliaque omnia praestet, quae necessaria sint ut

scriptura rite peragatur. 5° Si amanuensibus utatur, caveat ne propriam subscriptionem apponat nisi prius omnia examinaverit, unde vere tutus esse possit. 6° Caveat ne sermone ultra debitum diffuso vel charactere nimis extenso paginas adaugeat, unde sic clientes maiorem taxam solvere cogantur.

278. *Ad quid,* ***scripturâ factâ,*** *tenetur notarius?* 1° Si registratio necessaria sit, illam tempestive procuret. 2° Mercedem ultra taxam vel legitimam consuetudinem non exigat. 3° Instrumentum absque mora in volumine authentico collocet, et omnia diligentissime custodiat atque in tuto servet. 4° Ubi secretum exigatur, illud fidelissime custodiat. Cf. Gury (*II 20*).

279. *Quid si notarius in his vel similibus deficeret, et exinde* ***damna*** *sequerentur?* Contra iustitiam peccaret atque ad restitutionem teneretur.

280. *An notarius teneatur ad restitutionem erga publicum aerarium, si, in conficiendo instrumento venditionis aut inventarii, postulantibus partibus,* ***non verum rei pretium, sed aliud minus, excribat, ut tributum solvendum imminuatur?*** Notarius non constituitur sicut praepositus vectigalium ad tributa exigenda, sed solum ut publicus officialis ad instrumenta conficienda. Satis igitur muneri suo satisfacit si quae ei exponuntur fideliter excribat ; nec criminis alicuius complicem se constituat. In casu autem, iuxta supra dicta (*De iudice*), crimen non subsisteret. Cf. Gury (*l. c. 22*) et Del Vecchio (*I 359*).

281. *An notarii peccent contra sanctificationem diei festi, si* ***die festo*** *instrumentum aliquod conficiant?* S. Lig. (*III 286*) dicit : « Viva asserit ex communi quod « permittitur conficere testamenta, contractus celebrare, « aliosque similes actus facere, qui non requirant stre- « pitum iudicialem. Et revera ubique inter nos in festis « stipulantur instrumenta ». Vide Gury (*l. c. 23*) et Scavini (*II 95*).

282. Hic adiiciuntur quaesita **quae, circa bona ecclesiastica apud nos et circa divortium in Gallia, ad Notarios, Iudices, Advocatos et Syndicos referuntur.**

283. Quaer. I. *An notarius vel iudex vel advocatus requisiti de proprio officio praestando in contractibus vel causis respicientibus illa bona ecclesiastica vel locorum piorum, quae hodie apud nos a laicis possidentur vel administrantur, peccent si operam suam praestent?* Praemittendum quod *iudices*, praeter destitutionem ab officio, gravibus mulctis subiicerentur si causam aliquam pertractare recusarent (Ccd. poen. *A. 178*). Praeter periculum autem amittendi clientes, poenae quoque decurrere possent contra *notarios*, et subinde etiam (si publicum stipendium haberent ad patrocinium pauperum) contra *advocatos*. His praemissis, sic respondeo.

I. Si laici, obtenta venia a S. Sede, bona praedicta iam legitime possideant vel administrent (etsi non cum dominio absoluto), nihilque ab Ecclesia eisdem interdictum facere velint; tunc iam per se manifestum est quod officiales praedicti in ipsorum favorem operam suam praestare poterunt. Casum habes si de illis in possessione tuendis, vel de contractu legitimo (v. g. locatione ad triennium, aut aliud terminum concessum) ageretur.

II. Idem dic si possessor vel administrator esset quidem illegitimus, sed alter litem iniustam contra illum moveret; tunc enim illum ab hac iniusta aggressione defendere nihil mali esset.

III. Sed quid si possessor legitimus ad alienationem ei non concessam procedere vellet? Quid si administratores loci pii (sive legitimi sive illegitimi) idem facere vellent? Quid si quis contra legitimum possessorem litem moveret, et (lege civili favente) v. g. fundum ecclesiasticum ab eo possessum sibi adiiudicare vel hypothecae subiicere vellet? In his casibus de re ab Ecclesia vetita ageretur, et proinde notarii, iudices et advocati pro re ipsa operam suam praestantes, cooperatores evaderent. Subsistente tamen gravi incommodo (quod, ut vidimus, facile aderit), haec cooperatio, quatenus esset contra charitatem (cooperando peccato proximi) excusaretur, charitas enim non obligat cum gravi incommodo; quatenus autem esset contra iura Ecclesiae, efficeret ut licentia ab Ecclesia ipsa peti deberet. Si tamen casus urgeret et tempus non suppeteret,

tunc licentia interpretativa sufficeret; non enim praesumi potest quod pia mater Ecclesia cogere velit officiales istos ad gravia damna subeunda sine ulla Ecclesiae ipsius utilitate; uno enim recusante, alii certo certius in promptu essent. Hoc autem maxime verum esset si ex una parte de viris probis et catholicis societati atque Ecclesiae admodum utilibus, et ex alia periculum subeundae destitutionis ab officio vere subsisteret.

IV. Si denique ageretur de stipulando testamento vel contractu vel dote, vi cuius fundus ecclesiasticus a possessore illegitimo ad alium illegitimum transiret; aut de sententia ferenda contra possessorem illegitimum in favorem alterius illegitimi pariter coram Ecclesia, sed ius habentis coram lege civili; tunc (quatenus ex huiusmodi translationibus de manu illegitima ad aliam illegitimam Ecclesia nihil damni pateretur) a fortiori excusari videretur Officiales praedicti si operam suam praestarent.

De his omnibus Cf. *Monitore Ecc.* (*II.* II 57).

284. Quaer. II. *In Gallia, quid de iudice et Syndico circa divortium civile?* De casibus istis in tractatu *De Matrimonio* (ubi de matrimonio et divortio civili) agendum erit.

ARTICULUS III.

De administratoribus.

285. *Quaenam sunt* ***facultates administratorum?*** Attenta lege civili, sunt quae supra *Vol. III* (*n. 150*) expositae fuerunt; iure canonico autem, aliquae differentiae adsunt, speciatim quoad locationes, iuxta dicta *Vol. III* (*n. 720*).

286. *Administratores* ***ad quid tenentur?***

I. Nequeunt se intrudere, scilicet officium istud (v. g. contra iura Ecclesiae) usurpare.

II. Nequeunt (v. g. procedendo ad alienationes, vel ad locationes ultra terminos concessos, vel ad transactiones, vel ad commutationes voluntatis fundatorum etc.) excedere limites receptae facultatis.

III. Tenentur capitalia et iura omnia sibi commissa (it. *tutto l' attivo*) bene cognoscere et quotannis singillatim adnotare, custodire et in tuto (maxime suo tempore hypothecas renovando) servare.

IV. Tenentur credita omnia exigere atque efficere ut in capsam veniat quidquid venire potest et debet.

V. Tenentur efficere ut fundi et capitalia quantum possibile est fructificent, ita tamen ut magis de securitate sortis (praeferendo generatim Instituta crediti immobiliaris seu fundiarii), quam de abundantia fructus, solliciti sint.

VI. Debent debita omnia (it. *tutto il passivo*) bene cognoscere et pariter singillatim adnotare, atque efficere ut onera omnia accurate adimpleantur.

VII. Debent attendere ne ultra necessitatem expensae aliquae fiant.

VIII. Debent cui de iure, et, si agatur de rebus Ecclesiae, Episcopo, rationem reddere.

IX. Debent inventaria exacta et prospectum epocharum (it. *scadenziario*) in propatulo habere, in iisque diligenter mutationes adnotare.

X. Debent libros et alia ad administrationem spectantia in ordine servare, eorundemque elenchos facere, ut semper tuto et expedite reperiri possint.

XI. Denique (speciatim in magnis administrationibus) revisiones periodicae prorsus necessariae sunt; ex earundem enim omissione damna ingentissima (et saepe irreparabilia) sequi solent.

Vide etiam supra dicta *Sect. I Cap. IV n. 176.*

287. *Quid in particulari de* ***parochis, canonicis,*** *aliisque bonorum Ecclesiae legitimis administratoribus?*

Tenentur ad horum bonorum inventarium, custodiam, conservationem, defensionem, manutentionem, adimplementum onerum etc. Vide *Theologiam Pastoralem* (*Ed. III. n. 665-673*).

Quoad alienationes, locationes, caesiones arborum etc. vide *l. c.* (*n. 916-922*).

Quoad census et hypothecas, vide supra *Vol. III* (*n. 893 et 579*).

Quoad pia relicta et pias fiducias, vide *Vol. III.* (*n. 1448 et sqq.*).

Quoad commutationes in legatis sive piis sive profanis, vide supra *Vol. III. n. 1441 et seqq.*

Quoad reddendam rationem Episcopo, *l. c.* (*n. 1445 et seqq.*).

Quoad facultatem (quae etiam ab Episcopo obtineri potest) acceptandi compositiones propter bona quae Ecclesiae usurpata fuissent, vide supra *Vol. III. n. 1454.*

288. *Quid in particulari apud nos* ***de administratoribus locorum piorum?***

I. Imprimis recolendae sunt facultates, quae circa administrationem ipsam suscipiendam et exercendam obtineri possunt, et expositae fuerunt supra *Vol. III.* (*n. 891*).

II. Ab Episcopis ipsis obtineri valent facultates speciales nedum circa compositiones (ut mox supra dicebam), sed etiam circa acquisitionem et venditionem bonorum Ecclesiae usurpatorum.

III. Quum hodie apud nos loca pia administrentur ordinarie partim a modernis apostatis et partim a catholicis, isti versari solent in difficultatibus propter concursum ad determinationes illicitas. Tunc autem sequenti modo distinguendum est.

Si ageretur de rebus ita illicitis ut dispensatio obtineri non possit, vel sint Pio Loco perniciosae, tunc se opponere, vel saltem (passive se habendo) a concursu abstinere deberent. Si vero ageretur de rebus Pio Loco utilibus, quae per dispensationem licitae evadere possent, tunc auctorizationem (quae in generali facultate prius ab Episcopo obtenta non contineretur) petere deberent; nec oporteret ut auctorizatio ipsa foret aliis quoque collective concessa et in actibus appareret.

Eadem autem distinctio fieri debet sive agatur de determinationibus novis, sive agatur de applicationibus et consequentiis determinationum antiquarum, quae illegitime peractae fuissent.

Sed quid si auctorizationis petendae tempus et modus non suppeteret, et casus urgeret? Tunc auctorizationem praesumptam et interpretativam sufficere dicerem.

ARTICULUS IV.

De medicis, chirurgis, obstetricibus, et pharmacopolis.

289. *Ad quid tenentur* ***medici, chirurgi et obstetrices?*** Ad multa tenentur; et, muneri suo deficiendo, interdum contra iustitiam, interdum contra religionem, et interdum contra charitatem peccare possunt.

290. *Quomodo peccare possunt* ***contra iustitiam?*** Peccare possunt contra iustitiam (modo positive, modo negative) non solum erga infirmum, sed etiam erga tertios.

291. *Quinam sunt casus magis practici, in quibus medici vel chirurgi* ***contra iustitiam erga infirmum*** *delinquere possent?* Casus principales et frequentiores iam recensiti fuerunt supra *Vol. III* (*n. 740*). Hic itaque nonnulla tantummodo addenda sunt.

I. Specialissimam attentionem (consideratis infirmi aetate, robore, maxime vero particularibus circumstantiis) adhibere debent medici in suppeditandis remediis de se venenosis, quae (etsi modicissime excederent) occidere aut graviter nocere possent; cuiusmodi sunt v. g. quae italice dicuntur *arsenico*, *digitale*, *belladonna*, *noce vomica* etc. Aphorismus medicus est: **Imprimis non nocere.** Sed quid de *morphio* (ad leniendos dolores)? Quid de *aethere* et *chloroformio* (ad infirmum perfecte sopiendum)?

De subcutanea iniectione *morphii* aliquid iam dixi supra *Vol. II* (*n. 364*). Lenimentum istud, non solum propter excessus (ab infirmis subinde avidissime et usque ad delirium exoptatos), sed etiam aliquando non obstante dosis modicitate, si diu et absque interruptione continuetur, exitialem effectum, scilicet *morphinismum* (cuius signa sunt nausea cibi, vomitus, insomnia, indigestio, diarrhoea vehemens, palpitationes etc.) et mortem, habere potest. Oportet itaque ut medicus 1° A minima dose (1 vel 2 centigr.) incipiat; et 5 aut 6 centgr,, seu dosem in loco communiter admissam, (intra 24 horas) ordinarie non excedat. 2° Aetatis et roboris infirmi nec non qualitatis

morbi aliarumque circumstantiarum rationem habeat. 3° Aliquo morphinismi signo comparente, a subministratione cesset. 4° In morbis diuturnis et chronicis subministrationem identidem interrumpat. 5° Quoad pueros, ab hoc remedio abstineat prorsus.

Aetheris quoque et *chloroformii* subministratio periculosa mortis esse potest, speciatim in quibusdam individuis; unde solum in casibus operationum chirurgicarum gravissimarum (non vero, v. g. ne puerpera persentiat partus dolores consuetos) adhiberi potest. Cf. Capellmann (*A. de 5° praec. III*) Advertit insuper Lehmkuhl (*I 743*) chloroformium vel quid simile dari non posse moribundo ut sine doloris sensu decedat; quod si semper tunc maxime verum foret, si Sacramenta adhuc non recepisset, aut si, (quum vir bonus esset) hoc modo bene merendi ei occasio adimeretur.

II. Infirmo, de cuius vita desperatur, suppeditari valet remedium (speciatim si aegrotus ipse expresse consentiret), de quo notum sit quod mortem quidem accelerare sed etiam sanitatem producere posset; intellige si alia remedia minime periculosa non adessent vel frustra tentata fuissent. Secluso tali casu desperato, id certe non liceret, et multo minus adhiberi posset remedium inexploratum (ad faciendum experimentum pro aliis infirmis), dum ex una parte timeri deberet graviter fore nociturum et ex alia de illius utilitate nulla notitia haberetur. Experimenta ista in bestiis, non vero in hominibus tentanda sunt; secus enim nimiae hominum occisiones sequerentur. Aliud tamen esset, si ex una parte aegrotus consentiret, et ex alia de damno levi aut facile reparabili res esset. Cf. Lehmkuhl (*I 995*), S. Lig. (*I 46*), et Ballerini ad Gury (*II 34 not. 6*).

III. De operationibus chirurgicis *capitalibus* (scilicet mortis periculosis) ad vitam salvandam vel deformitatem auferendam, aliquid dixi supra (*Vol. II n. 634*).

IV. De mutilationibus, de castratione, et de operatione quae *Porro* appellatur, vide dicta *Vol. II* (*n. 636-638*).

V. Etsi medicus ordinarie nequeat contra suam opinionem suppeditare remedium, si tamen adverteret illud

ab aliis medicis doctis approbari, illo licite (nisi certus esset alios errare) uti posset. S. Lig. (*l. c.*),

VI Si moribundus atrocibus et continuis doloribus subiiceretur, hoc non sufficeret ut medicus a consuetis medicinis, quae ad vitam adhuc protrahendam dirigi solent, abstinere valeret; sicut enim aegrotus ipse alimenta et pharmaca tunc etiam sumere teneretur, ita etiam medicus eadem pharmaca ei suppeditare tenebitur. Idem dic de monstris; etsi enim neonatus quam maxime monstruosus, et vitam infelicissimam habiturus foret, non ideo illum sine alimentis aliisve consuetis curis relinquere liceret, ut moriatur.

VII. Quod dixi *Vol. III* (*n. 740*) de inutilibus visitationibus minime multiplicandis, non ita intelligi debet, ut, quamvis ad aegroti salutem prorsus inutiles essent, illas continuare non posset si aegrotus (prout contingere solet) id desideraret. Idem dic de medicinis exigui pretii, quae nec iuvent nec obsint, prout sunt pillulae (vulgo *pietosae* ex micis panis), si, nihil praescribendo, futurum esset ut infirmus turbaretur. Lehmkuhl (*I 993*).

VIII. Quando agitur de morbis occultis et probrosis, medici gravissime contra iustitiam delinquerent si secretum non servarent. Idem dic de obstetricibus.

292. *Quinam sunt casus magis practici, in quibus medicus* ***contra iustitiam erga tertios*** *delinquere posset?* Sunt speciatim sequentes.

I. Si mulier esset gravida, et medicus (vel obstetrix) debitas cautelas (ne **foetus** discrimini subiiciatur) omitteret. Vide dicta *Vol. II* (*n. 671*).

II. Si medicus abortum directe procuraret, vel ad craniotomiam procederet. Aliud tamen de partus acceleratione et de abortu indirecto esse posset. De his omnibus vide dicta *Vol. II* (*n. 669-686*).

Hic addo Decretum S. C. S. Officii (*4 Maii 1898*), quod confirmat supra dicta, et resolvit quid dicendum sit de *laparatomia*.

Ad quaesitum « Eritne licita partus acceleratio, quo-
« ties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus
« egressio suo naturali tempore? « S. C. respondit:
« Partus accelerationem per se illicitam non esse, dum-

« modo perficiatur iustis de causis et eo tempore ac mo-
« dis quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus
« vitae consulatur ».

Ad quaesitum: « Et si mulieris actitudo talis sit, ut
« neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne
« abortum provocare, aut caesaream suo tempore perficere
« operationem? » S. C. respondit: « Quoad primam par-
« tem, negative, iuxta decretum *24 Iulii 1895* de abor-
« tus illiceitate. Ad secundum vero quod spectat: Nihil
« obstare quominus mulier, de qua agitur, caesareae ope-
« rationi suo tempore subiiciatur ».

Ad quaesitum: « Estne licita laparatomia (*sectio ven-
« tris*), quando agitur de praegnatione extrauterina, seu
« de ectopicis conceptibus (*scilicet de foetu qui crevit
» in parte sita intra ovaria et uterum*)? » S. C. respon-
dit: « Necessitate cogente, licitam esse laparatomiam ad
« extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo
« et foetus et matris vitae, quantum fieri potest serio et
« opportune provideatur ». Hoc enim est quid simile ope-
rationi caesareae, quae (ut supra dicitur) utique licet. Cf.
Braun (*Trattato di Ostetr. P. II C. I § 4*).

III. Peccaret quoque medicus **sterilitatem procu-
rando;** si nempe conceptionem foetus veneno sterilitatis aut
alio modo impedire attentaret; quod iure canonico aequipara-
tur homicidio. Cap. (*Si aliquis 5° De Homicid.*) legitur:
« Si aliquis causa explendae libidinis vel odii meditatione,
« homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum
« dederit, ut non possit generare aut concipere vel nasci
« soboles, ut homicida tenetur ». Quid simile legitur in
Decreto (*II Causa XXXII Cap. VII Aliquando*). Prae-
ter potionem, recole quod de aliis modis dictum fuit supra
Vol. II (*n. 873*).

IV. Item peccaret *contra iustitiam* si in veneno ad
usum externum aegroto praescribendo admonitiones et in-
dicationes non adhiberet, ad cavendum scilicet ne ex errore
aegrotus ipse aut alius ad usum internum illo uteretur.

V. Item si de fide facienda circa sanitatem vel infir-
mitatem, a volente obtinere officium aut pensionem etc.,
requisitus, falsum testimonium emitteret.

VI. Item si, in iudicio conscriptionis militaris, inhabiles approbaret, aut habiles liberaret. Gury (*Cas. I 760*). Vide dicta *Vol. III* (*n. 399* II).

VII. Item si medicus in causis criminalibus tamquam peritus vocatus contra veritatem et conscientiam votum suum daret.

VIII. Idem dicunt si denuntiationes, quas ex officio (iuxta dicta mox supra *n. 209*) facere deberet, non faceret; et exinde societati damna orirentur. Sed difficile mihi videtur quod stricte contra iustitiam peccet; influxus enim in huiusmodi damna non solum indirectus et negativus, sed etiam nimis incertus et remotus ordinarie erit, nec profecto medicus ad hoc praecise stipendio conducitur (sicut iudex) ut delinquentes coerceat.

293. *Quomodo medicus delinquere posset* ***contra religionem?*** Responsio patet ex sequentibus.

I. Medicus de sacramentis tempestive recipiendis aegrotum per se vel per alios (v. g. familiares aut parochum) admonere tenetur; ut enim dicit aphorismus, *medicus imprimis christianus*. Ex Concil. Lateranensi et Constit. Pii V medici tenebantur iam inde ab initio morbi periculosi hanc admonitionem facere, et non ultra tres visitationes peragere poterant, nisi de confessione ab infirmo peracta fidem in scriptis habuissent. Iuramentum autem de praxi ista servanda in laureae diplomate recipiendo emittere debebant. Vide Bened. XIV. (*Notif. XXII*) et S. Lig. (*Prax. n. 57*). At vero (propter impossibilitatem iam fere generalem obtinendi nunc a medicis obedientiam) iam fere ubique leges istae positivae consuetudine contraria vere cessaverunt. Remanet tamen semper obligatio naturalis; qua medici (quatenus opus sit) vitae periculum indicare tenentur, ut aegroti, antequam diem supremum obeant aut sensibus destituantur, tam *animae* quam *corporis* negotiis consulere possint. Lehmkuhl (*I 995*).

II. Medici et obstetrices, si forte foetus in mortis periculo versaretur, de Baptismo ei statim conferendo curam habere debent. Idem dic de operatione caesarea sollicite perficienda (ut foetus baptizari possit) si mulier gravida moreretur.

III. Requisiti de propria sententia an quis propter statum suae salutis excusetur ab abstinentia a carnibus, vel a ieiunio, vel ab auditione Missae, vel a recitatione breviarii etc.; conscientiose procedere debent. Idem dic a fortiori si circa publicam sanitatem (ratione publicam dispensationem concedendi vel revocandi), aut circa impotentiam matrimonialem aut matrimonii inconsummationem in foro ecclesiastico (vel etiam civili) fidem facere deberent.

IV. *Licetne medico uti* ***magnetismo,*** *scilicet* magnetizare *vel* ipnotizare *infirmum, ad illum curandum; vel etiam uti* ***spiritismo?*** Hac de re vide dicta *Vol. II* (*n. 378-384*).

294. *Quomodo medicus delinquere posset* ***contra charitatem*** *erga proximum vel erga seipsum?*

Delinquere posset contra charitatem *erga proximum* 1° Si, eo quod non sit conductus nec ullo modo mercedem recipiat, extrema vel gravi insurgente necessitate aliisque deficientibus, ipse fugeret vel utcumque operam suam praestare nollet. Casus contingere posset speciatim v. g. pro casu urgenti hemorragiae, vulneris etc. si ipse esset praesens atque ad alium medicum vocandum (v. g. in loco dissito a civitatibus) tempus non suppeteret; tunc enim operam suam recusando nedum contra charitatem graviter peccare posset, sed etiam legis civilis poenas (Cf. Cod. poen. *A. 389*) incurreret; neque reatum contra charitatem effugeret etsi infirmus dives esset et salarium alias ei dare recusasset (charitas enim, urgente necessitate, erga indignos quoque et inimicos obligat): attamen in tali casu contra illum eiusve haeredes actionem civilem haberet. (Gury *Casus Conscientiae II 27*). Contra charitatem erga proximum delinquere posset 2° Si infirmo aliquid illicitum, v. g. pollutionem, onanismum coniugalem, procurationem sterilitatis (Cf. *Vol. II n. 873*), abortum, superstitiosum ipnotismum etc., suaderet; vel si eiusdem peccato cooperaretur, quo in puncto recole quae dixi supra (De duello *Vol. II n. 702*). Sed quid si puellae aut viduae ex delicto gravidae petenti pharmacum abortivum, medicus medicinam innoxiam praescriberet, dum illa reputabit esse pharmacum petitum? Quid scilicet si medicus ita se

gereret, ne, recusando, futurum esset ut foemina ad alium recurreret et quod petit obtineret? Capellmann (*A. I in not. 1*) dicit hoc esse illicitum. Si tamen mulier facili negotio inventura esset alium ei obsecuturum, medicus, qui ad prolis occisionem evitandam ita se gereret, contra charitatem (si quid opinor) minime delinqueret. Quoad mendacium autem vel fictionem, vide dicta (*Vol. II n. 973*).

Contra charitatem denique *erga seipsum*, vel contra alias virtutes (et maxime castitatem) medicus peccare posset, si contra pericula spiritualia non se praemuniret, aut si ex libidine vel curiositate ad visitationes non necessarias (in partibus secretioribus) procederet etc.

295. *Quid de pharmacopolis?* Pharmacopolae (quibus, uti patet, scientia, peritia, attentio et diligentia magna necessaria est) peccarent (in praeiudicium non solum infirmorum sed etiam medicorum) 1° Si pharmacis vetustis, atque virtute iam plus vel minus destitutis uterentur. 2° Si quoad rerum species, doses, compositionem, coctionem etc. medicorum praescripta fidelissime non exequerentur. 3° Si ministris vel famulis, de quorum peritia et diligentia plene fidere non possent, uterentur, aut iisdem non invigilarent. 4° Si unum pro alio medicamentum suppeditarent, nisi forte ex una parte esset aeque bonum et ex alia fortuito casu pharmacum indicatum in promptu non haberent (ne scilicet, si dicerent se illo carere, futurum esset ut officina creditum amitteret). Hoc tamen, ut per se patet, difficile permittendum. Peccarent insuper 5° Si quavis hora sive die sive nocte requisiti prompte non se praestarent. 6° Si cautelas et monita consueta in medicinis quae venena continent non apponerent. 7° Si (praeter casus permissos) venena venderent, et multo magis si pharmaca abortiva suppeditarent etc.

ARTICULUS V.

De custodibus.

296. *Custodum nomine quinam hic veniunt?* Qui custodiae sylvarum, agrorum etc. a Principe vel a Communitate vel a domino privato praeficiuntur. — Alicubi ab huiusmodi custodibus iuramentum exigitur, quod imprudentissimum atque ad conscientias etiam timoratas innumeris scrupulis atque difficultatibus illaqueandas idoneum esse solet. Ballerini ad Gury (*II 35*).

297. *Hi custodes* ***ad quid tenentur?***

I. Tenentur *vigilare*, et loca sibi commissa, ad tramites consuetudinis vel pacti particularis, *perlustrare*. Si in hoc deficerent, pro damnis secutis non solum in particulari cognitis, sed etiam in confuso praevisis, ad restitutionem tenerentur. Gury (*Cas. consc. II 24*). Si autem ipsimet damna inferrent, restituere quidem deberent, sed circumstantiam sui officii in confessione accusare non teneri, dicit Gury (*l. c. 25*); non enim ad seipsos (ait ille), sed ad alios a damnificatione impediendos, custodes constituti fuerunt.

II. Si damnificatores in flagranti reperirent, deberent cum ipsis procedere iuxta obligationes quibus se subiecerunt; obligatio autem ordinarie est *denuntiatio* ut mulcta applicetur vel damnorum reparatio exigatur.

III. Ad denuntiationem tamen aut mulctae applicationem non semper aequali rigore, sed iuxta cognitam vel praesumptam domini voluntatem, procedere deberent. Si de valde paupere ageretur, qui aliquid leviusculum surripuisset, et valde recidivus non esset; vel si damnificator sufficientem satisfactionem offerret; utique tunc poterunt custodes mitius procedere (cavendo tamen ne plus aequo indulgerent).

IV. Si denuntiationem peragere deberent, illamque omitterent vel tempestive non peragerent, atque exinde dominus vel fiscus neque damni reparationem neque mulctam obtinere posset; tunc ad damnum quidem resarcien-

dum certe tenerentur, sed mulctam (iuxta plures) restituere non deberent, quia (aiunt) non ut dominus ditetur mulctis sed ut damnis non afficiatur, ita in officio constituti fuerunt. S. Lig. (*IV 237*). Si autem ad denuntiationem praetermittendam pretium accepissent, tunc recolenda essent dicta *Vol. III* (*n. 534*).

V. Denuntiationem domino factam, ante iudicem quoque ex iustitia sustinere debent.

VI. Peccare contra iustitiam custodes, si ex odio, vindicta etc., innocentes denuntiarent, nemo non videt.

ARTICULUS VI.

De quibusdam aliis saecularium officiis.

N. B. Ordine alphabetico hic aliqua indicabo.

298. *Quid de* ***aurigis*** *aliisve* ***vectoribus?*** Ad quid teneantur ex iustitia, vide *Vol. III* (*n. 761. 762*). Si deferant peccare volentes, v. g. duellantes, meretrices etc. vide *Vol. III* (*n. 350*) et *Vol. II* (*n. 303*).

299. *Quid de* ***artificibus?*** De eorum obligationibus ex iustitia actum est supra *Vol. III* (*n. 753-760*). De aedificantibus templa haereticorum, *Vol. II* (*n. 229*). De conficientibus res ad usus superstitiosos, *Vol. II* (*n. 234*). De conficientibus signa massonica, *Vol. III* (*n. 280*).

300. *Quid de* ***assecuratoribus?*** Vide supra *Vol. III* (*n. 941 et seqq.*).

301. *Quid de* ***bibliopolis?*** Vide dicta *Vol. II.* (*n. 272*).

302. *Quid de* ***colonis?*** Vide *Vol. III* (*n. 763 et seqq.*). De compensationibus quae ab iisdem fieri solent, vide *l. c.* (*n. 79*); de laboribus die festo, *Vol. II* (*n. 571*); de excusatione a ieiunio, vide supra (*n. 52* VII).

303. *Quid de* ***cauponibus*** *et dominis hospitiorum vulgo caffé?* Quoad cibos vetitos, vide supra *n. 16 et Vol. II* (*n. 283*); quoad ebriosos, *l. c.* (*n. 309*); si vendant vinum non emptum sed sibi traditum ad vendendum tali pretio, et aquam adiungendo lucrum sibi adiudicent, *Vol. III* (*n. 668* v.). Diaria prava, quae scilicet data opera religio-

nem aut bonos mores impetunt (et proinde iure naturae atque ecclesiastico sunt prohibita) retinere non possunt. Idem dic de retentione meretricum. De petente autem cubiculum vel lectum ad pravum finem, vide *Vol. II* (*n. 298*). Hospitia denique, quae *caffè chantants* dicuntur, ordinarie sunt valde mala atque adeo sub gravi illicita.

304. *Quid de* ***conductoribus*** (it. *affittuarii*)*?* Vide *Vol. III* (*n. 726*).

305. *Quid de* ***collegialibus et seminaristis?*** Tenentur 1° regulas communitatis (quae sub praecepto cadere censeantur) servare, et Superioribus obedire quasi filii erga parentes; 2° reverentiam iisdem praestare. Differentia tamen fieri debet inter obedientiam et reverentiam primariis superioribus, et secundariis (it. *prefetti*) debitam; relate enim ad secundarios (etsi de quodam personae contemptu ageretur) culpa difficilius mortalis esse poterit. Lehmkuhl (*I 830*). Quid si collegialis magnam aliquam secretam inordinationem adesse rescivisset? In hoc casu obligatio denuntiandi delinquentem intervenire posset. Vide supra *Vol. II* (*n. 175*) et *De Occasionariis* (*n. 288*).

306. *Quid de* ***discipulis?*** Tenentur 1° Scholam frequentare assidue. 2° Attentionem lectioni praestare. 3° Domi ad studium incumbere adimplendo pensa diligenter et ex recta intentione satisfaciendi propriae obligationi coram Deo, atque adeo non perdendo tempus, non percendo labori, non exscribendo ex libris sed componendo ex proprio, cavendo tum a praesumptione tum ab animi deiectione etc. 4° Reverentiam magistro ipsi praebere. 5° Pericula (speciatim pravorum sociorum) evitare; qua de re vide dicta (*l. c. 287-289*). Quid si liber textus esset prohibitus? Et quid si discipulus repetere deberet lectionem in qua impietates vel haereses adessent? Vide *Vol. II* (*n. 69*). Quid de adeunte scholas haereticorum? Vide mox supra (*n. 156*).

307. *Quid de* ***depositariis?*** Vide *Vol. III* (*n. 1125*).

308. *Quid de* ***executore testamentario?*** Vide *Vol. III* (*n. 1324 et 1445*).

309. *Quid de* ***fideiussore?*** Vide *Vol. III* (*n. 555 et seqq.*).

310. *Quid de* ***haerede?*** Quoad solvenda debita et legata, vide *Vol. III* (*n. 1245 et 1301*); quoad haeredem fiduciarium vel ex testamento informi, *l. c.* (*n. 1379 et seqq.*); an teneatur solvere debita ultra vires haereditatis? *l. c.* (*n. 1435*); et quid pro casibus in quibus defunctus matrimonium vel solum civiliter vel solum ecclesiastice contraxisset? *l. c.* (*n. 1418 et seqq.*).

311. *Quid de* ***lanionibus?*** Vide dicta *Vol. III* (*n. 622* III), et nota quod in casu exposito lanionis vendentis carnem animalium non occisorum sed ex morbo mortuorum, ille incurrere posset poenas codicis poen. *A. 295*, et, si corrupisset pecuniâ publicos officiales, poenas *A. 173*.

312. *Quid de* ***locatore?*** De locatoris obligationibus ex iustitia vide *Vol. III* (*n. 725*). An liceat locare domum sectariis? Vide *Vol. II* (*n. 281*). Protestantibus? *l. c.* (*n. 242*) Meretricibus? *l. c.* (*n. 302*). An liceat locare vel commodare cubiculum intentione fornicationis petitum? *l. c.* (*n. 298*).

313. *Quid de* ***magistris?*** Magistri debent speciatim 1° Toto tempore praefixo scholae praesentes esse ab initio praecise usque ad finem. 2° Non immorari in sermonibus lectioni extraneis, sed statim lectionem ipsam incipere. 3° Elenchum (quatenus opus sit) habere discipulorum eosque iam inde ab initio statim advocare, notando deficientes. 4° Silentium perfectum in schola exigere, corrigendo absque mora si quis silentium non servaret aut aliter turbationem aliquam induceret. 5° Praeparationem nedum remotam, sed etiam proximam (quae saltem in scholis altioribus omnino necessaria est) lectioni semper praemittere. 6° Attendere diligentissime ut sana doctrina semper tradatur. 7° Ad aestimandum profectum, alium elenchum habere, ibique meritum uniuscuiusque iuste et accurate adnotare (Sedulo notandum quod iniustitia in magistris animi defectionem et incuriam studii inducit, atque adeo graviter culpabilis et gravissime damnosa esse potest). 8° In praemiis assignandis nedum ex responsis datis die

examinis sed etiam ex assiduitate, attentione et profectu in anni decursu ostensis normam sumere, et iustitiam servare debent. In hunc finem qui punctum optimum (v. g. decem) obtinuisset in examine, non ideo primum assequeretur praemium si punctum non optimum, (v. g. novem) pro merito totius anni assecutus fuisset; (summa enim resultaret 19, quae divisa in duas partes daret $9\frac{1}{2}$ qui numerus secundi praemii signum foret).

De magistris autem in scholis haereticorum mixtis, vide dicta *Vol. II* (*n. 240. 241*).

314. *Quid de* ***musicis, cantoribus*** *et pulsantibus organa?* In Ecclesia abstinere debent a musica scandalosa vel prophana (ut melius declarabitur infra). Sonando et cantando tempore Missae, satisfacere possunt praecepto (Scavini *I 255*). An cantores excusentur a ieiunio, pendet a circumstantiis, si nempe secus proprio officio congrue satisfacere nequirent (Scavini *I 282*). De musicis in templis haereticorum, vide *Vol. II* (*n. 243*).

315. *Quid de* ***molitoribus?*** Peccare possent contra iustitiam, v. g. si grana sibi tradita commutarent in alia deterioris qualitatis, vel partem furarentur, atque res extraneas minoris valoris (v. g. fabas etc.) eisdem immiscerent, aut eadem aquâ humefacerent ut idem pondus resultaret etc.

316. *Quid de* ***pictoribus et photographis?*** Quoad inverecunda et ex nudo foemineo, vide *Vol. II* (*n. 294*). Quoad imaginem amasiae, *l. c.* (*n. 293*). An liceat pingere die festo? Vide *Vol. II* (*n. 564*). An pictores excusentur a ieiunio? Vide supra (*n. 56* v.).

317. *Quid de* ***proxenetis?*** Tenentur sincere utrique contrahenti aeque favere, iustitiam servando, neque alicuius ignorantia et simplicitate abutendo. Si autem proxeneta esset commissionarius, vide *Vol. III* (*n. 663 et seqq.*).

318. *Quid de* ***pastoribus?*** Vide *Vol. III* (*n. 833 et seqq.*).

319. *Quid de* ***parochianis?*** Quoad communionem paschalem, vide supra (*n. 83 et seqq.*). Quoad decimas, *l. c.* (*n. 107 et sqq.*).

320. *Quid de* ***sociis*** *in variis societatibus?* Vide *l. c.* (*n. 806 et seqq.*).

321. *Quid de sartoribus, sarcitricibus et sutoribus?* Quoad vestes inverecundas, *Vol. II* (*n. 295*); quoad fructus industriae *Vol. III* (*n. 668* IV); quoad frequentationem unius officinae ad pannos emendos, et lucrum a mercatore recipiendum, *l. c.* (*n. 666*); quoad laborem et auditionem missae die festo, *Vol II* (*n. 582 et 606*); quoad ieiunium vide supra (*n. 52* VII *et 56* V).

322. *Quid de* ***typographis?*** 1° Tenentur ex iustitia servare pacta quoad papyri qualitatem et alia eiusmodi. 2° Non ultra numerum designatum exemplaria imprimere sibique retinere. 3° Contra ius proprietatis editiones non peragere (dicit tamen Ballerini, ad Gury *II 37*, quod leges hoc in puncto mere poenales esse possent). Quoad publicationes pravas, vide *Vol. II* (*n. 272 et seqq.*). Quoad laborem diei festi, *Vol. II* (*n. 564*). Quoad ieiunium, vide supra (*n. 52* VII).

323. *Quid de* ***venditoribus*** *et emptoribus?* Ad quid ex iustitia hi teneantur, patet ex dictis *Vol. III* (*n. 595 et seqq.*). Si vendant res ad usum superstitiosum, vide *Vol. II* (*n. 234*). De venditione diebus festis, (*l. c. n. 573*).

Sectio III.

DE STATIBUS PARTICULARIBUS quoad personas ecclesiasticas.

Hic agendum est 1° De iis quae clericis praecipiuntur. 2° De iis quae clericis vetantur. 3° De statu religioso. 4° De rectoribus ecclesiarum. 5° De administratoribus bonorum ecclesiasticorum. 6° De beneficiatis. 7° De ecclesiasticis qui residentiae obligationem habent. 8° De episcopis. 9° De canonicis. 10° De examinatoribus synodalibus vel pro-synodalibus. 11° De parochis.

CAPUT I.

DE IIS QUAE CLERICIS PRAECIPIUNTUR.

Hic agitur 1° De habitu et tonsura. 2° De coelibatu. 3° De horis canonicis. 4° De sacris functionibus rite peragendis. 5° De Sacrosanto Missae Sacrificio. 6° De servitio Ecclesiae praestando. 7° De sanctitate vitae et studio. 8° De obedientia Episcopo debita.

ARTICULUS I.

De habitu et tonsura.

324. *Quid de obligatione adhibendi* ***habitum clericalem?***

I. Habitus clericalis (qui scilicet in loco a clericis adhibetur) praecipitur, et quidem (quoad clericos *in sacris* vel beneficiatos) per se loquendo sub gravi, speciatim extra domum. Excipe nisi pro aliqua circumstantia extraordinaria, causa iusta excusaret. Dixi *per se loquendo;* per accidens enim culpa posset esse venialis, ut puta, si vestis nec omnino laicalis, nec omnino (propter formam breviorem aut colorem non prorsus nigrum etc.) clericalis esset, vel si temporis brevitas a gravi reatu excusaret. Quamvis autem ignotus omnino, et sine ullo scandalo vel contemptu vel fine pravo, clericus *in sacris* vel *beneficiatus* in veste prorsus laicali ultra sex vel septem dies incederet, graviter peccaret. Gravior autem obligatio (etiam

praecise quoad formam severiorem vestis talaris) urget quoad Episcopos et facile etiam quoad canonicos vel parochos etc. iuxta locorum consuetudines; speciatim vero urgere potest occasione sacrarum functionum et maxime celebrationis Missae.

II. Clerici in minoribus et non beneficiati (quasi adhuc liberi) quoad habitum aliasque obligationes (secluso scandalo) gravi culpae non subiiciuntur. Cf. Lehmkuhl (*II 609*).

325. *Quid de* ***tonsura?***

I. Laxare et nutrire comam (nisi forte alicubi tamquam mos legitimus haberetur) interdicitur, et quidem sub gravi nisi de re moderata ageretur.

II. Non deferre coronam (*la chierica*) culpa est; an tamen sit mortalis (etsi de tempore diuturno res esset), non satis constat. Lehmkuhl (*l. c.*).

ARTICULUS II.

De coelibatu.

326. *Obligatio coelibatus* ***undenam*** *oritur, et* ***quid*** *importat?* Oritur *ex lege* ecclesiastica, atque *ex voto* tacite emisso dum quis in sacris ordinatur. Dixi ex *voto tacite emisso*; scit enim unusquisque quod susceptio Subdiaconatus pro vera promissione Deo facta servandi castitatem habetur ab Ecclesia, quae profecto etiam hoc votum exigit.

Importat observantiam castitatis perfectam atque perpetuam, unde ordinatus in sacris, etsi internis tantummodo actibus contra castitatem delinqueret, sacrilegus esset.

327. *Quid si quis* ***metu gravi*** *coactus subdiaconatum suscepisset?* Si postea sive expresse sive tacite ordinationem non ratificasset (Ordinem nempe libere exercendo simulque advertendo hoc modo Ordinem susceptum se ratum habere), dispensationem obtinere posset. Difficile tamen (imo difficillime) si non Subdiaconatum tantummodo sed Diaconatum quoque, maxime vero si etiam Presbyteratum suscepisset. Cf. Lehmkuhl (*II n. 618*) et Scavini (*II 224*).

ARTICULUS III.

De officii divini, nempe horarum canonicarum, recitatione.

Agendum est 1° de personis ad divinum officium obligatis; 2° de culpa et de poena si non recitetur; 3° de causis excusantibus; 4° de breviario et de kalendario; 5° de modo illud bene recitandi; 6° de recitatione cum socio vel in choro.

PUNCTUM I.

De personis quae ad officium divinum recitandum obligantur.

328. Obligantur 1° *Clerici in sacris.* 2° Clerici *beneficiati* (a die captae possessionis beneficii; tunc enim incipiunt gaudere fructibus). 3° *Religiosi professi,* si regula hanc recitationem exigat.

PUNCTUM II.

De culpa et poena quae contrahitur officium divinum non recitando.

329. *Quid de* **culpa** *quoad gravitatem, numerum et speciem?*

Quoad *gravitatem,* culpa est gravis nisi parvitas materiae excuset. Omittere horam parvam (v. g. tertiam vel completorium) aut aliam partem aequivalentem, a culpa gravi non excusatur. Pars minor (v. g. tres lectiones cum responsoriis, aut vesperae sabbati sancti) materia levis censetur. S. Lig. (*IV 147*).

Quoad *numerum,* quamvis horae canonicae sint septem, tamen qui ex unica intentione prius concepta illas omnes praetermitteret, unicum peccatum committeret, quia tunc ad modum unius acciperentur. Vide Gury *Vol. II n. 52.*

Quoad *speciem,* hoc peccatum est contra virtutem religionis; beneficiatus tamen qui officium non recitaret, et nihilominus fructus percipere vellet, contra iustitiam

quoque (iuxta mox dicenda) delinqueret; retineret enim quod suum non est. S. Lig. (*l. c. 145*). Seclusa tamen intentione retinendi fructus quoad clericum *in sacris* qui officium non recitaret, circumstantia beneficii speciem non mutaret. D'Annibale (*I 262. 1*).

330. *Quid de* ***poena?***

Poena est solum contra beneficiatos. Scilicet beneficiatus officium omittens *non potest facere fructus suos,* nempe iure ad fructus privatur.

Haec poena profluit a lege positiva, nempe ex Cap. *Statuimus* Concil. Later. et ex Bulla *Ex primo* Pii V. (Cf. S. Lig. *III 363*).

Adest solum (lege sic statuente) post sex menses a beneficio obtento. Intelliguntur fructus non iam percepti ante omissionem, sed percipiendi post ipsam. (S. Lig. *153*).

Intelliguntur *fructus omissioni correspondentes ;* qua de re Bulla dicit: « Qui horas omnes canonicas uno vel « pluribus diebus intermiserunt, omnes beneficii fructus qui « illi vel illis diebus responderent; qui vero matutinum, « tantum dimidiam; qui caeteras alias Horas, aliam dimi- « diam; qui Horam singulam, sextam partem fructuum « eius diei amittant ».

331. *Quid si beneficiatus, praeter officium,* ***alia onera specialia haberet?*** Tunc non omnes fructus sed solum *pro rata officio correspondente* restituere deberet.

Sic theologi fere communiter Bullam interpretantur; et dicunt sufficere si (pro integro officio non recitato) Canonici et Capellani dimidiam; Episcopi autem et parochi tertiam partem restituant: quae regula non semper iusta erit; si enim beneficii curati onera admodum graviora essent, utique contingere posset quod quartam vel quintam vel sextam partem restituere sufficiat. Lehmkuhl (*II 641*) et S. Lig. (*III 673*).

332. *Fructus qui amitterentur* ***quomodo erogandi?*** Non quomodolibet in usus pios, sed praecise sive in eleemosynas (pro pauperibus vel pro Missis in suffragium defunctorum), sive ad meliorandos fundos aut fabricas proprii beneficii, erogari debent.

Notandum quod Beneficiatus eleemosynas sibi applicare posset si esset pauper, dummodo huiusce rei intuitu officium non omisisset. S. Lig. (*III 672*).

Si autem eleemosynas non ante sed post officii omissionem pauperibus distribuisset, a nova erogatione excusari posset, quamvis tunc de hoc debito non cogitasset; implicite enim unusquisque intendit satisfacere prius obligationi et postea consilio. (S. Lig. *IV 153*).

333. *Amittitne ius ad fructus qui officium quidem non recitavit, sed* ***sine culpa formali?*** Negative; ut enim ait S. Lig. (*III 665*), cum haec restitutio procul dubio sit poena, ipsa omnino culpam (et quidem gravem) requirit.

Hinc non intelligo cur ipse S. Doctor ad hanc restitutionem obliget Beneficiatum etiam quando iuxta probabilem opinionem absque culpa officium praetermisisset, aut in ipsa recitatione leviter dumtaxat peccavisset, prout in casu omittentis officium quia illud sine socio (quem absque mercede habere nequiret) recitare non posset (*IV 158*); aut in casu illius qui voluntarie interne distractus officium recitavisset (*III 669*). D'Annibale quoque (*III 900 not 18*) sentit nihil tunc esse restituendum.

334. *Exigiturne* ***iudicis sententia*** *ut fructuum restitutio facienda sit?* Certum est quod haec restitutio (si locum habere debeat), ante sententiam et in conscientia (quamvis sit poena) exequenda est. Patet ex *prop. XX* ab Alex. VII damnata, quae dicebat: « Restitutio a Pio V « imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in « conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo « quod sit poena ».

PUNCTUM III.

De causis a recitatione officii excusantibus.

335. Loquor imprimis de casibus practicis et obviis; et sic dico.

Infirmi, convalescentes, et quotquot corpore ita male se habent ut prudenter credi aut timeri debeat, officii recitationem sanitati sat graviter fore nocituram, hi omnes certe excusantur.

Dixi *credi aut timeri debeat;* non enim futuri nocumenti certitudo exigitur, sed solum timor (non tamen inanis) sufficit. Dixi *sat graviter,* ut puta, si ex recitatione notabilis dolor capitis aut stomachi cruditas produci, vel augeri, aut tardius remitti deberet. In *C. Clericus 2 Dist. 81* dicitur quod *inaequalitas corporis* ab Officio excusat.

Nec refert si sacerdos Missam celebrare aut alios libros recreationis gratia legere possit. Haec enim de facili saluti, potius quam obsint, prosunt; quod non contingit de officio quod vere defatigat.

Imo ne referret quidem si aeger in aliis rebus vere defatigaretur cum suae sanitatis praeiudicio; semper enim verum esset quod officium grave incommodum illi afferret, quo stante, Ecclesia non obligat.

Dixi *prudenter;* et theologi notant sufficere iudicium medici, confessarii, superioris, et viri prudentis; neque vetant ut quis interdum proprio iudicio stet; quod certe admitti deberet si ageretur de sacerdote prudenti et bonae conscientiae aut de re manifesta, aut de casu in quo consilium ab aliis peti nequiret. Cf. S. Lig. (*IV 154*) et Croix (*IV 1224*).

Qui propter infirmitatem a toto officio recitando certe excusatur, facile excusatur etiam a parte; sed de re ista sermo redibit infra.

336. Non solum infirmitas, sed quodcumque aliud **incommodum extraordinarium** et satis grave excusare potest.

Casus esset si quis repentino maximoque infortunio afficeretur; unde, sive propter extremam animi perturbationem sive propter necessitatem providendi, nullo modo aut solum cum magna difficultate et continuis distractionibus officium recitare posset. Tamburini (*Dec. II* v. *5*).

Item si quis sive propter scrupulos (1), sive propter caecitatem aut magnam potentiae visivae debilitatem, sive etiam propter somnum, non equidem ordinarium sed talem ut imminui nequiret, in officio recitando adeo laboraturus esset ut multas horas insumere et forsan officium ipsum pessime recitare cogeretur. S. Lig. (*IV 157 et 177 in fin.*) et Tamburini (*l. c. 8*).

Hic auctor (§ *V n. 19*) exponit etiam casum illius qui semihora ante mediam noctem ad coenam accessurus reminisceretur se partem officii adhuc recitare debere, ita ut proinde in hoc bivio versaretur, aut officium relinquendi, aut coenam vel sequentis diei Missam omittendi. Consilium quidem dat a coena abstinendi; sed veram obligationem adesse non definit. Decisio autem a speciali gravitate incommodi pendet. Idem dic si quis in lecto iam decumberet et circa mediam noctem recordaretur se officium adhuc recitare debere.

337. Sed **quid in dubio** an incommodum sit satis grave ut ad excusandum sufficiat? R. Si adsit periculum ne grave detrimentum in bonis sive fortunae sive honoris propter officii recitationem secuturum sit, tunc certe sufficiens excusatio aderit, prout diximus in casu infirmitatis;

---

(1) Non aliter vincibiles; forte enim ad illos vincendos sufficit determinare tempus ultra quod scrupulosus recitationem protrahere non teneatur. Cf. Clericatum (*De Ord. XXVI 31*).

si vero totum dubium circa merum incommodum, seu defatigationem et molestiam, consistat; tunc theologi dicunt excusationem valere si ratio probabilis (quae actiones nostras quodam decore exornat homineque rationabili dignas reddit) id suadeat; secus si de dubio mere negativo ageretur. S. Lig. (*X 154*).

338. Clericus in carcere ad officium tenetur si sit in cella separata; secus vero si in carcere communi irrisionibus et vilipendiis expositus versaretur.

Idem dic si abstinentia ab officii recitatione ad statum clericalem iustis de causis occultandum exigeretur.

Clericus ad militiam coactus dispensabitur si gregarii militis partes agat; secus vero si talem gradum talemque commoditatem habeat, ut sat facile officium recitare possit.

339. Idem dic etiam de quibusdam casibus extraordinariis, v. g. occurrente examine pro laurea, aut publica disputatione etc. (intellige semper si tunc officii recitatio nimis gravis redderetur); nec refert si laureae consecutio aut publica thesium defensio non ex necessitate sed solum ad honorem assumeretur. Salmanticenses (*XV.* III *38*).

Idem dic a fortiori si quis ad officium recitandum aliis suis gravibus obligationibus (quibus renuntiare nequiret) satisfacere non posset.

340. Excusare potest quoque **occupatio in operibus religionis aut charitatis valde momentosis,** etsi voluntarie susceptis. In hoc tamen casu oportet ut religionis aut charitatis opus officii recitationi valde praeponderet. Exemplum habes in Missionariis et Confessariis si tota aut fere tota die defatigentur, prout contingere solet (quoad primos) speciatim in ultimis sacrae missionis diebus; et (quoad secundos) quando magna poenitentium turba a summo mane usque ad noctem, in Sabbato Sancto aut alia circumstantia extraordinaria, affluit. Certe qui per duodecim horas in his ministeriis atque in huiusmodi occasionibus occupantur, excusari debent; minusque sufficit, si nimis defatigentur. Salmant. (*l. c.*). Neque scrupuli iniiciendi sunt si aliqua hora libera maneat; tunc enim aliquid recreationis, ad vires reassumendas vel ad extre-

mam oppressionem evitandam, pia mater Ecclesia certe non denegat."

Quid de missionariis, qui quamvis tota die, ut supra, defatigentur, tamen, aliquantulum citius surgendo simulque quaevis alia momenta libera attente arripiendo, cum non adeo magno incommodo officium quoque se posse recitare existiment? R. In hoc etiam casu (meo sensu) non tenentur; ex una parte enim quod grave incommodum hoc non sit, illusio esse videtur; et ex alia non est credendum quod Ecclesia adeo subtiliter, lyncis oculo atque ad modum severi fiscalis, cum suis ministris pro ea laborantibus procedere velit; et aliunde huiusmodi obligatio onus oneratis et defatigationem defatigatis superadderet, scrupulis aditum aperiret, et duritiem saperet.

341. Qui **dubitat an officium vel officii partem recitaverit** certe non tenetur repetere si sit *scrupulosus;* ordinarie enim de vana apprehensione tunc agitur; imo a repetitione esset prohibendus.

Etiam in non scrupulosis, suboriri possunt dubia, quae vera dubia non sunt atque ex certis indiciis in iam peractae recitationis certitudinem resolvuntur; ut puta, si quis dubitaret an v. g. Tertiam recitaverit, quamvis inveniret signaculum in huius horae fine appositum, dum illud ibi solum recitatione finita apponere solet.

Sed quid si verum dubium subsisteret? S. Alph. (*IV n. 160*) hic quoque distinguit inter dubium negativum (quod non excusat), et positivum (quod excusat). Attamen, meo sensu, sequenti modo res ista declarari debet. Sacerdos, v. g. Horam tertiam recitat, et distractione suborta dubitat negative (videlicet prorsus nescit) an sit in primo an vero in ultimo psalmo. Dicerem sufficere si a medio incipiat; sic enim sensu communi in casibus similibus huiusmodi dubia resolvi solent. Si autem dubitaret positive (indicia nempe positiva haberet), tunc vel pariter a medio incipere, vel etiam recitationi probabiliter factae acquiescere poterit. Lehmkuhl (*II 727*).

342. **Oblivio,** ut per se patet, excusat; si nempe quis die sequenti adverteret se die praecedenti officium vel partem officii ex oblivione non recitasse. Qui tamen huiusmodi oblivionibus non raro subiiceretur, remedium (scilicet aliquod signum memoriae excitativum) apponere deberet.

343. Excusant **privilegia,** quibus gaudent Regulares, ut videre est apud S. Lig. (*IV 63 et I Append. II.* CVII).

Huiusmodi privilegia deserviunt pro illis, qui causam quidem habent, sed non sufficientem ad excusandum totaliter; et tunc satisfacere possunt recitando officium laicorum etc. Licentiam concedere valent Praelati (etiam inferiores) quoad suos subditos, et maiori facilitate si non sint *in sacris;* tunc enim sola causa studiorum sufficere poterit. Salmant. (*XVI.* II *20*).

344. Demum excusat ***dispensatio.*** Papa dispensationem (seu potius commutationem) concedere solet gravi de causa, et speciatim ob nimias occupationes; vel ad scrupulos sedandos; vel propter potentiae visivae defectum aut senectutem, aut pronuntiationis difficultatem etc. Episcopi quoque dispensare possunt, sed solum in casibus particularibus atque ad breve tempus. Attamen quoad moniales, quando a propriis monasteriis in Italia exulare coactae fuerunt, S. Poenitentiaria (*27 Iun. 1866*) concessit ut episcopi horas canonicas in alias preces eis commutarent.

A S. Sede pro foro conscientiae gratia obtineri solet organo S. Poenitentiariae, quae dirigit rescriptum ad confessarium approbatum ab Ordinario loci, et clausulae solent esse sequentes: « Dummodo orator gravem patiatur diffi-
« cultatem in persolvendis horis canonicis, et *durantibus*
« *causis,* audita prius eius sacramentali confessione; facta
« commutatione in quotidianam recitationem aliarum pia-
« rum precum discrete praescribendarum, pout ipsius ora-
« toris animae expedire in Domino censuerit confessarius;
« Apostolica auctoritate, pro foro conscientiae et in sacra-
« mentali confessione tantum; citra exemptionem a choro,
« quatenus choro assistere teneatur et valeat ». (Rescriptum obtinetur *gratis;* soluta tantummodo mercede procuratori seu agenti).

345. Nihil dico de fortuita *carentia breviarii*, quod in loco inveniri non posset.

346. Quoad excusationes nonnullae quaestiones resolvendae remanent.

Quaer. I. *Qui nequit officium divinum recitare,* ***teneturne ad aliquas alias preces?*** Theologi communiter respondent negative. Salmant. *(De hor. can. III 31),* S. Lig. (*IV 134*) etc.

Sed haec doctrina sic absolute prolata vera non videtur; si enim quis habitualiter nequiret quidem divinum officium recitare (v. g. ob potentiae visivae debilitatem), sed commode posset habitualiter, v. g. B. Virginis officium vel coronam aut aliquid aliud recitare) credo quod ad id teneatur; atque (ad rem tuto determinandam) commutationem petere debeat. Moveor 1° quia, etsi ministri Dei solum iure ecclesiastico teneantur ad horas canonicas, ad aliquas tamen Dei laudes persolvendas eosdem iure divino obligari existimandum est; cuius rei signum habemus in verbis *Paralip.* (*XXIII 30*) « Levitae vero stent mane ad confitendum et canendum Do- « mino, similiterque ad vesperam »; et in usu Apostolorum statis horis orandi, unde (*Act. III 11*) legitur: « Ascendit (Petrus ad templum) ad « horam orationis nonam »; et denique in eo ipso quod horae canonicae officium *divinum* appellentur. Moveor 2° quia consuetudo S. Sedis semper fuit non iam declarandi liberos a quavis obligatione eos, qui horas canonicas recitare nequeunt, bene vero commutationem tantummodo eisdem concedendi, ut ex formula supra addueta S. Poenitentiariae luculentissime patet. Cf. Clericatum (*De Sacr. Ord. XXV*).

347. Quaer. II. *Qui totum officium recitare nequit, teneturne ad partem?* R. Interdum tenetur, interdum non.

Ad nihil tenetur imprimis si, obligationem ponendo, via scrupulis aperiretur. Casum habes in eo qui certus esset se propter infirmitatem non posse integrum officium recitare, et dubitaret an posset exiguam partem. S. Lig. (*154 in fin*). Idem dicerem de eo qui in simili dubio versaretur non propter infirmitatem sed propter magnam defatigationem (v. g. in sacris missionibus) aut aliud grave incommodum.

Imo casus verificari posset quoque in eo qui etiam certe sibi suaderet se posse, non obstante infirmitate vel magna defatigatione, absque incommodo recitare exiguam partem, v. g. completorium; facile enim, recitato completorio, sibi suaderet etiam se posse recitare aliquid aliud, et sic facile de persuasione illusoria ageretur et via scrupulis aperiretur; insuper non est verisimile quod Ecclesia tunc adeo minutiose rem hanc introspicere velit; et demum infirmi non solum ex gravi incommodo sed etiam ex consuetudine excusantur. Cf. Viva (*in Prop. 54* Innoc. XI *n. 1*).

Loquendo autem de precibus in divino officio contentis, iuxta plures contra alios multos (Cf. S. Lig. *IV 158*) ad nihil tenetur ille etiam qui notabilem quidem partem recitare posset, sed ita ut pars ista formam horarum canonicarum non haberet; unde dicunt te ad nihil teneri si, deficiente breviario, psalmos quidem matutini dicere valeres, eo quod memoriter illos scires; sed novem lectiones recitare nequires. Palao (*VII.* II. VI 7), Gury (*II 96*) etc.

Ratio est quia obligatio non iam psalmos, sed officium iuxta formam a Pio V praescriptam, respicit.

Attamen si ageretur de officio feriali, solus trium lectionum defectus matutini formam non auferret, ut notat Laymann (*I.* IV. XIX *6*).

Certe conveniunt, nullam adesse obligationem, si quod recitari posset ne uni quidem horae parvae aequivaleret. (S. Lig. *l. c.*).

348. E contra qui iuxta breviarii formam potest maiorem vel circiter dimidiam officii partem recitare, proculdubio ad illam tenetur. Patet ex propositione damnata ab Innoc. XI (*n. 54*) quae dicebat: « Qui non potest recitare « matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad « nihil tenetur; quia maior pars trahit ad se minorem ».

Haec propositio est Tamburinii (*Dec. II.* V § *8*), qui aliam quoque propositionem habet sequentis tenoris : « Si potest quis solum matutinum « recitare, non autem alias horas, ad nihil tenetur ». Haec non est damnata, eamque docent plures alii magni nominis theologi, v. g. Lessius (*II.* XXXVII *54*), Palao (*l. c. 9*), Salmant. (*XVI.* III *48 etc.*). Attamen dicendum est cum Viva et S. Lig. (*IV 168*), quod quando quis (quin scrupulis exponatur) potest vel unicam horam recitare (v. g. quia non habeat breviarium vel sit caecus et illam tantummodo memoriter sciat), ad illam sub gravi tenetur. Et idem dic si quis unum nocturnum tantummodo recitare posset. (Croix *IV 1219*). Agitur enim de re congrue divisibili ; imo quaelibet hora efformat quid in se completum ; nec valet ratio quod maior pars trahit ad se minorem ; secus enim qui debet centum et tantummodo decem dare posset ; vel miles, qui ultima quadragesimae hebdomada redit domum a militia, et tunc solum potest ieiunare, ad nihil tenerentur, quod admitti nequit.

349. Quaer. III. *An* ***tenearis recitare cum socio,*** *si, v. g. propter caecitatem officium solus recitare nequeas?* R. Qui tenetur ad finem tenetur ad media; sed hoc axioma de illis mediis ordinariis intelligi debet, quae iuxta sensum communem sub obligatione cadere censentur. Sic, v. g. obligatus ad officium, si legere nesciat, addiscere tenetur; si oculo nudo non sufficienter videat, perspicillos adhibere debet etc. Non vero intelligendum est de mediis extraordinariis, seu talibus ut obligatio ad illa nullo modo aut non clare cognoscatur. Huiusce generis est recitatio cum socio, si socium inquirere deberes, et multo magis si in hunc finem aliquid solvere cogereris; nec referret si dives esses et sine incommodo stipem socio solvere posses. Attamen, si consuetudo tibi esset recitandi officium cum socio, adveniente postea caecitate, consuetudinem ipsam (si commoditas perduraret) continuare deberes; in

tali enim casu obligatio adhibendi hoc medium a bonae conscientiae sacerdote sat clare perciperetur. Ita Lessius (*II.* XXXVII *64*), et S. Lig. (*IV 154*); qui tamen paullo infra (*n. 158*) rigidius loqui videtur, et dicit, socium gratuitum esse inquirendum si absque magno incommodo inquiri posset.

350. *Circa causas ab officii recitatione excusantes estne aliquid aliud notandum?*

I. Beneficiatus qui non sit *in sacris* excusatur, si nullos fructus percipiat neque eos in posterum recuperandi spem habeat; intellige suâ culpâ seclusâ (S. Lig. *III 664*). Idem dic si beneficium adeo tenue haberet, aut fructus adeo diminutos perciperet, ut tertia pars congruae (nempe summae pro patrimonio ecclesiastico taxatae) non superesset. S. Lig. (*l. c. 674*).

II. Clericus *in sacris* excusaretur, si per vim aut metum Ordinem Sacrum suscepisset, neque illum ratum habere vellet. S. Lig. (*IV 144*). Sacerdotem degradatum, atque sic ad statum saecularem redactum, a recitatione excusat Tamburini (*Dec. II v. 5*); suspensus tamen et excommunicatus. eo quod in statu sacro adhuc remaneat, certe non excusatur.

III. Religiosus professus (etsi non constitutus *in sacris*), qui ad officium divinum in choro recitandum teneatur, si forte chorus aliqua die non adsit aut illum adire nequeat, officium privatim recitare debet sub gravi. S. Lig. (*IV 142*) et Cf. Clericatum (*De Ord. XXV 43-47*).

Religiosi a Gubernio saeculari eiecti atque dispersi, a recitatione non excusantur; remanent enim religiosi eisque illae dumtaxat regulae relaxari possunt, *quae cum novo eorum statu minime fuerint compatibiles,* ut decrevit S. Poenit. iussu Pontificis, *38 Iun. 1866.*

A fortiori obligantur religiosi fugitivi, qua de re hodie dubitari nequit.

Eiecti autem et saecularizati per sententiam, eo quod incorregibiles evaserint, probabiliter ad officium non tenentur (intellige semper sola ratione professionis), quia Religiosi amplius non sunt, et clericis degradatis assimilari possunt. S. Lig. (*l. c.*).

Quae de religiosis dicta sunt, de Monialibus quoque *votorum solemnium* dici debent. Cf. *Monitore Ecc.* (*IV.* I *14*).

Professi autem votorum simplicium, quae hodie professioni votorum solemnium praemitti debent, ad chorum quidem, sed non ad privatam Divini Officii recitationem tenentur. (Acta *XV 250 et XVI 292*).

PUNCTUM IV.

De breviario et kalendario quod pro recitatione divini officii adhiberi debet.

351. *Quid de* ***breviario?***

I. Adhibendum est breviarium romanum vel pro Dioecesi aut Religione legitime approbatum.

Pius V in Bulla *Quod a nobis*, quum magna tunc breviariorum multitudo et confusio adesset, praecepit ut solum breviarium romanum ab

omnibus adhiberetur, ita ut sacerdotes *hac sola formula satisfacere possent.* Excipe tamen illas Dioeceses aut Communitates, in quibus saltem ultra a ducentis annis aliud breviarium in usu fuisset; unde, v. g. nec Benedictinum nec Ambrosianum breviarium suppressum remansit.

II. Si alicubi contra Pii V constitutionem breviarium a romano diversum iam a longo tempore adhiberetur, Episcopi S. Rit. Congregationem interpellare deberent; sacerdotes autem, donec Roma expressam prohibitionem pro illo casu particulari non emiserit, solitum breviarium adhibere poterunt, quin culpam committant aut beneficiorum fructus amittant. Attamen (si vellent), etiam inconsulto Episcopo, breviario romano uti possent. Gury (*II 58. 59*).

352. *Quid de* ***kalendario?***

Standum kalendario propriae Dioecesis, vel (si agatur de Regularibus non promotis ad episcopatum) proprii Ordinis et Caenobii.

Notandum tamen quod, ratione Titularis aut dedicationis Ecclesiae, quaedam mutationes fieri debent ab iis qui Ecclesiae eiusdem Titularis, vel de qua faciendum sit anniversarium dedicationis, sint stricte addicti; cuiusmodi sunt 1° Obligati ad chorum in illa. 2° Habentes beneficium quod pro titulo eandem Ecclesiam habeat. 3° Habentes curam animarum ex officio in Ecclesia ipsa, scilicet parochi, oeconomi spirituales, coadiutores cum iure successionis, curati et viceparochi. 4° Alumni Seminarii et magistri in illo residentes. 5° Regulares quoad Ecclesiam proprii conventus. A Carpo (*I 307. 308. 297*). Alii autem sacerdotes, quamvis in Ecclesia ipsa servitium praestare soleant, Titularis et Dedicationis recitare nec debent nec possunt. *Decr. 2872, 7 Dec. 1844.*

Episcopus uti debet kalendario suae Dioecesis a die non iam promotionis vel consecrationis, sed possessionis. D'Annibale (*III 498. 499*).

353. *Obligatio standi kalendario dioecesano potestne subire* ***exceptiones?*** Affirmative, scilicet 1° Si sacerdoti *evidenter* constaret (non vero si solum probabiliter vel probabilius existimaret) kalendarium errare (*Decr. 4031 ad V. 13 Iul. 1899*). 2° Si quis extra dioecesim proficisceretur. 3° Si adesset privilegium, ut contingit in tertiariis franciscanis. 4° Si iusta aliqua causa interveniret. Sed haec sunt explicanda.

354. *Quid de sacerdote* ***qui extra suam dioecesim vel suum coenobium degeret?***

Quoad **sacerdotes saeculares,** regula ordinaria sumitur a *Decr. 2682* (*12 Nov. 1831*), in quo ad quaesitum: « Quando quis, itineris, vel studii, vel aliis de causis, extra « patriam sive dioecesim versetur, debetne recitare officium sui Capituli, Ecclesiae et Beneficii, vel etiam simpliciter Dioecesis; an vero officium illius loci ubi reperitur? » S. R. C. respondit: *Beneficiarii tenentur*

semper ad officium propriae Ecclesiae; simplices vero Sacerdotes conformari possunt cum officio loci ubi morantur.

Circa hanc regulam notentur sequentia.

Quoad beneficiatos, ipsi utique, in absentia quoque, ad officium propriae Dioecesis tenentur, ut patet etiam ex decreto *10 Iul. 1677 (n. 1599)*; sed 1° A Carpo *(II 182)* dicit intelligendos esse illos quorum beneficium pro titulo Ecclesiam (non vero altare) habet. 2° Regula exceptionem habet casu quo beneficiatus ex indulto apostolico in Dioecesi suum beneficium (v. g. canonicatum) retineret simulque extra Dioecesim Vicarius generalis, aut parochus, aut viceparochus esset; tunc enim iuxta kalendarium non iam suae Dioecesis, sed illius ubi munera ista modo stabili exercet, officium recitare deberet, ut patet ex *Decretis 1445 (14 Mait 1672)* et *3979 (4 Febr. 1898) ad 6. 7.*

Quoad simplices sacerdotes, datur quidem eis libertas standi kalendario sive Dioecesis in qua morantur sive propriae; idque verum esset quamvis extra Dioecesim (v. g. ratione studiorum) quasi domicilium haberent: minime vero si in aliena Dioecesi adeo stabiliter morarentur, ut iam redeundi in patriam nullam haberent intentionem; tunc enim (ut dicit A Carpo *l. c.*) kalendario eiusdem Dioecesis se conformare tenerentur.

Quoad **sacerdotes regulares**; ipsi sequi debent kalendarium proprii coenobii, nisi versentur in alio sui Ordinis coenobio, ubi ad publicam recitationem in choro interveniant, vel (v. g. occasione praedicationis quadragesimalis) in nullo coenobio versentur, atque ex speciali regula ad officium Provinciae tunc teneantur. *Decr. 2801. 3001. 3919. 3436.*

355. ***Tertiarii franciscani**, qui habent privilegium recitandi officium iuxta kalendarium minoriticum (Decr. 7 Aug. 1694), 1° possuntne ad libitum modo uti kalendario minoritico et modo dioecesano? 2° Possuntne illo uti quamvis essent parochi? 3° Et quamvis essent choro addicti?*

R. Ad primum et secundum affirmative (et quidem etsi sic contingeret ut idem officium bis recitarent), dummodo parochi satisfaciant officio Titularis, et curent ut Missa officio conformetur (*Decr. 11 Iun. 1880* apud *Monitore II p. 2 pag. 115*). Ad tertium negative, etsi alibi morarentur; tunc enim etiam deberent proprii chori officium recitare. A Carpo (*l. c. 184*).

356. *An **peccet mortaliter** qui, nulla causa excusante, **proprio kalendario non stet**, et officium pro officio recitet?* R. Peccatum *mortale* certe adest, si quis pro officio currenti officium brevissimum Paschatis aut Pentecosten, vel pro vesperis consuetis vesperas Sabbati Sancti recitaret; Ecclesia enim solum intuitu laetitiae et solemni-

tatis haec officia ad talem brevitatem reduxit ut defatigatio fere ad nihil redigeretur; de caetero autem orationem satis longam et laboriosam constanter sub gravi exigit. Alex. VII damnavit sequentem propositionem : « In die palma- « rum recitans officium paschale satisfacit praecepto ». Mortalem quoque culpam adesse censeo, si quis semper idem officium recitaret : aut, modo istud modo illud officium recitando, nullum ordinem servaret ; aut semper breviora longioribus substitueret ; aut proprium kalendarium prorsus reiiceret alioque uteretur toto anno ; aut demum officium magnae solemnitatis in officium lugubre vel de Sancto commutaret. Ad iudicandum enim de levitate materiae, non sola materia in se, sed etiam finis legis, consequentiae aliaeque circumstantiae considerari debent. Cf. S. Lig. (*160*) et Cardenas (*IV.* XXXIII *80*).

Sanchez autem cum aliis (apud Viva *pr. 34* Alex. VII *n. 2*) censet « *leviter* peccari, si semel aut iterum « officium de Sancto subrogetur officio Dominicae, etiamsi « illud sit valde brevius ». Et S. Lig. (*IV 161*) probabilem decernit sententiam quae dicit, leviter peccare qui (etiam non paucis vicibus) mutaret officium in aequale aut fere aequale ; idque ego quoque admitterem, sed solum cum conditione quod aliquis ordo servetur ; ut puta, si quis una vel altera hebdomada apud Regulares degens, iuxta illorum kalendarium officium pro tunc ordinaret. Caeterum, iusta causa seclusa, aliqua culpa semper aderit.

357. *Quaenam* ***causae excusant,*** *ut licite omnino officium pro officio recitari valeat?*

R. Si loquamur **de mutatione frequenti** (ut puta, si quis kalendario hodie dioecesano, cras franciscano, postridie alienae dioecesis etc. uteretur) difficile causa erit sufficiens ad rem huiusmodi excusandam; sic enim contra rubricas circa concurrentiam et ordinem officiorum nimii errores committerentur, quaedam officia omitterentur, alia repeterentur etc. Idem dic de usu per notabile tempus continuato kalendarii non proprii; maxime si ritus quoque diversus esset (v. g. si sacerdos ritus romani kalendario et breviario benedictino una vel altera hebdomada continua uteretur), aut si non simplex sacerdos, sed canonicus vel

beneficiatus alienae dioecesi kalendario uteretur. Pro huiusmodi mutatione sic continuata vel ex systemate, nequidem ratio societatis (seclusa forte necessitate) aut occupationum valere potest, ut patet ex decretis (*n. 2917*) *28 Aug. 1846, et* (*n. 840*) *13 Iun. 1643;* ex quibus appareret dispensationem peti debere.

Si autem loquamur **de mutatione pro casu raro;** tunc ad declinandam quamlibet culpam non exigitur causa absolute gravis, sed mediocris sufficit. Iuxta theologos sufficiunt causae sequentes. 1° Ratio *societatis*, prout fieri solet in domibus missionum (vide *Decr. 4675* in collect. Gardell.). 2° Ratio *extraordinariae occupationis vel defatigationis*, prout aliquando (sed repeto *rarissime*) concionatoribus, professoribus, oeconomis, valetudinariis etc. contingere potest. S. Lig. (*IV 161 q. 3 Quarta*). Idem dic si una hora ante mediam noctem, recurrente officio *de ea,* illud adhuc recitare nequiveris; tunc enim, potius quam officium dimidiatum recites, aliud brevius sed integrum recitare posses. 3° Ratio *specialis devotionis*, ut puta, si statuto domicilio extra patriam, officium Patroni patriae tuae recitare exoptares. 4° Ratio *non perdendi tempus,* ut puta, si officium diei in promptu non haberes, unde, ne otiosus remaneres, aliud officium recitares; et idem dic si in itinere aliquod officium memoriter recitares, dum propter tuas occupationes temporis iacturam facere nequires.

358. Nonnulli movent scrupulos et dicunt, has commutationes supradictis de causis licere tantummodo si officium non esset notabiliter brevius. Sed Viva (*l. c. n. 10*), Croix (*n. 1255*), Tamburini (*II,* v. *§ II 51*) aliique multi hanc limitationem expresse reiiciunt. Dices: si causae recensitae non sufficerent ad officium dimidiandum, cur sufficere poterunt ut officium longius in brevius commutetur? Respondet Viva (*l. c. n. 17*), quia officium completum brevius praevalet longiori mutilato; unde causa minor sufficit ut officium cum officio breviori commutetur; et maior exigitur ut mutilari possit.

Alii dicunt, officium ritus romani cum officio diversi ritus (v. g. Benedictino, Dominicano, Ambrosiano etc.) commutari non posse; quia Pius V

dixit: obligatos ad ritum romanum *hac sola formula satisfacere posse.* Sed hic quoque est scrupulus inanis. Pontifex enim sic dixit ad excludenda non iam breviaria approbata, sed suppressa. Cf. Gury (*II 76*), Croix (*n. 1241*); S. Lig, (*n. 158*) etc.

359. Potestne officium permutari ut Missa cum officio concordet? Potestne scilicet, v. g. capellanus monialium, qui Missam dixit de Sancto iuxta earum kalendarium, recitare officium eiusdem Sancti? R. Id affirmat S. Lig. (*n. 161 V Iuxta*); sed haec opinio hodie teneri nequit; in contrarium enim habemus plura decreta id expresse vetantia. Vide *Decr. 2550, 21 Mart. 1595* et *1983, 4 Oct. 1697.*

360. *Qui inadvertenter officium pro officio sine causa recitavit, cognito intra diem errore, teneturne officium praetermissum recitare?*

Negative certe; substantia enim iam praestita fuit; et sola commutatio unius officii cum alio pro casu raro quid accidentale reputatur. In praesenti autem hypothesi bona fides superadderetur, et sic Ecclesia facilius indulgeret; unde vulgare est effatum: *officium pro officio valet.* Cf. S. Lig. *n. 161 q. III.*

Sed hic quoque nonnulli difficultatem movent circa officium notabiliter brevius, ut puta, si pro officio de Dominica officium de Sancto recitatum fuisset; quo casu dicunt fieri debere compensationem recitando novem psalmos ex primo nocturno Dominicae. At vero haec obligatio a multis aliis negatur. Cf. Cardenas (*XXXIII 72*), Tamburini (*II.* v § *II 21*), Croix (*IV 1251*), Lessium (*II.* xxxvii *77*), et Viva *l.* c. *16*).

Attamen Viva excepit casum in quo officium aliis *officiis* valde brevius fuisset, nempe si pro officio consueto trium nocturnorum, officium brevissimum unius nocturni recitatum fuisset; et tunc compensatio recitando duo nocturna seu partem aequivalentem matutini omissi, fieri deberet. Ratio autem differentiae est quia ad consueta maior datur obligatio; ut patet exemplo Missae in qua si sacerdos omitteret partem ordinariam (v. g. epistolam, evangelium etc.) peccaret mortaliter, dum si omitteret partem, quae non semper adsit (v. g. Credo) venialiter tantummodo peccaret. Cf. Gury (*II 409. 4° 8°*).

Sicut officium pro officio, ita matutinum pro matutino et generatim pars pro parte valet, Vide tamen infra (*n. 374*).

361. *Qui partem officii diversi recitavit, cessante causa quae mutationem legitimam reddebat aut errore detecto, quomodo reliquum recitare deberet?*

R. Si exiguam partem recitasset, tunc quoad reliquum kalendario stare deberet; secus vero si iam prope finem errorem detegeret. Si autem circa medium errorem

deprehenderet; tunc melius esse videtur ut kalendario se conformet, iuxta axioma: *Error corrigitur ubi deprehenditur*: sed plures dicunt, officium incoeptum continuari posse usque ad vesperas, quae cum officio diei sequentis rite ordinari deberet.

362. *Si dixeris officium iam alia vice recitatum, potesne officium omissum transferre ad primam diem officio novem lectionum non impeditam? Et si dixeris officium in posterum recitandum, poterisne, adveniente die huius officii, recitare officium omissum?* R. Primum certe non licet, et de hoc adest *decretum 1474* (*17 Iun. 1673*). Quoad secundum, auctores non conveniunt; sed melius esse videtur in posterum stare kalendario, ne bis erretur.

363. *Qui officium iuxta kalendarium recitare nequit, tenenturne illud recitare aliter, si possit?*

R. Qui non habet officium proprium, certe tenetur recitare de communi.

Si autem nequiret recitare nisi ritu diverso, eo quod, v. g. sacerdos ritus romani breviarium benedictinum dumtaxat haberet, utrum teneretur hoc breviario uti, non satis liquet. Cf. S. Lig. (*IV 158*) et Salmant. (*XVI. 1 28*), qui dicunt, unum et indivisibile tantum praeceptum dari de recitatione, et de recitatione sub forma proprii breviarii; sacerdotes enim ritus romani, si breviarium romanum non habeant, sicut ad alias orationes aequivalentes, ita etiam ad orandum sub forma breviarii benedictini vel alterius ritus, non tenentur; differentia enim nimia est. Attamen saltem ad horas parvas (simul cum laudibus et completorio), eo quod in substantia semper eiusdem tenoris sint (additis responsoriis et oratione ad libitum, si aliter fieri nequeat) sacerdos obligandus esse videretur.

364. *Quid demum si quis (deficiente, e. g. kalendario aut breviario) officium huius diei ne ex communi quidem recitare posset, posset autem recitare officium alterius diei, aut B. Virginis?* Salmant. (*l. c. III 47*) dicunt: « Nemo ad officium alterius diei adstringitur sed solum ad pro- « prium diei currentis ». Ego tamen saltem ad horas parvas, si illas memoriter sciret, vel ad officium B. V. (si illud haberet) illum obligarem.

PUNCTUM V.

De modo officium divinum bene recitandi.

Recitatio 1° debet esse integra ; 2° debet perfici suo tempore ; 3° ordinatim ; 4° non cum interruptionibus ad libitum ; 5° loco et situ debito; 6° attente ac devote.

§ I.

Quomodo recitatio debet esse ***integra.***

365. I. Ad officii integritatem (in recitatione privata) non pertinent Psalmi graduales, ponenitentiales et Officium B. M. V., nisi ex lege Ordinis, vel speciali onere Beneficio adnexo obligatio oriretur. Item non pertinent orationes *Aperi* et *Sacrosanctae*. Gury (*II 81*).

II. Quoad commemorationes seu *suffragia sanctorum* quando in laudibus et vesperis praecipiuntur, servandum est decretum generale *27 Iunii 1899* (*n. 4043*); unde facienda est commemoratio Titularis Ecclesiae ab illis qui eidem Ecclesiae sunt canonice addicti (qua de re vide supra *n. 352*); et a Regularibus etiam proprii Sancti Fundatoris. De patrono autem loci, vel Dioecesis, vel Provinciae vel Regni fieri non debet commemoratio vi Rubricae, sed solum vi consuetudinis si adesset.

III. Disputatum fuit utrum in privata recitatione *litaniae Sanctorum*, in festo S. Marci et in triduo rogationum, sub obligatione cadant? Item an dicenda sit *oratio diei si matutinum a laudibus separetur?* Sed hodie respondendum est affirmative ad utrumque, ex Drecr. *4 Aug. 1877* (*n. 3428*) et *18 Maii 1882* (*n. 3574*).

366. *Quid de integritate officii prima die, qua quis in Beneficii possessionem immittitur, vel ordinatur in sacris, vel professionem religiosam emittit?*

R. *Beneficiatus* die, qua in beneficii possessionem immittitur, integrum officium (ratione fructuum, *dictim*) recitare debet. *Ordinatus in sacris* incipere potest ab illa hora quae ordinationi correspondet (quae ordinarie erit Sexta). Idem dic de *Religioso professo*. S. Lig. (*IV 140*).

367. *Utrum in choro recitari debeant submissa voce ea quorum vices* ***organum*** *supplet?* Negat Sanchez (*Consil. VII.* XVI), quia sonus ille accipitur ab Ecclesia loco vocum. Sed haec doctrina est contra consuetudinem, et communiter reiicitur.

368. *An canonici recitare debeant submissa voce horam canonicam quae ex toto* ***a musicis*** *decantetur?* Affirmative; tunc enim alternatio minime verificatur. Croix (*IV 1299*).

369. *Qui, officium recitando, aliquid omisit, teneturne postea* ***supplere?***

Affirmative certe non solum si integram horam, sed etiam si partem aliquam, de qua recordaretur (v. g. psalmum, vel commemorationem, vel hymnum etc.) omiserit. Patet ex praxi communissima.

De omissionibus autem, quae ex sola mutilatione syllabarum aut mala recitatione indeterminatim acciderint, videbimus infra.

370. *Quid de leviusculis omissionibus, quae in choro acciderint, dum, v. g. canonicus propter tussim, aut aliquam interrogationem necessariam, vel inquisitionem psalmorum, vel quia debuerit thurificare, aut libros parare vel transferre etc., aliqua nec recitaverit nec audierit?* Pro casibus istis theologi obligationem supplendi non admittunt; ex una parte enim in choro (secus ac in recitatione privata, quae paullisper suspendi posset) aliter fieri nequit; et ex alia servitium chori, rei levitas et saepe indeterminatio, necnon periculum scrupulorum, efficiunt ut obligationem recitandi omissa ponere non expediat; unde dicitur quod tunc chorus supplet. S. Lig. (*IV 156 in fin. et 143 not. 3 et n. 162 q. 2 in fin.*).

371. *Quid de Mansionario, qui v. g. pro vesperis, pulsat organum, sed ipse nihil dicit?* Quod satisfaciat docet Sanchez (*l. c.*); sed hoc negandum est; ex una parte enim organum verba non profert, et ex alia non de levis momenti, bene vero de integrae horae omissione ageretur; unde tunc ratio, quod organum pulsans in servitium chori occupetur, ad excusandum (secus ac *n. praec.*) non sufficit. S. Lig. (*IV 143*).

372. *Quid de syncopatione et verborum mutilatione?*

I. **Syncopatio** consistit in omittendis aliquibus verbis (ut puta si versiculorum initium et finis proferatur, transiliendo intermedia). Sola **mutilatio** autem contingit quando verba quidem omnia proferuntur, sed in iis syllabae aliquae (v. g. ultimae) supprimuntur.

Utraque interdicitur, omnia quippe exacte et distincte proferri debent. Attamen valde peior est syncopatio quam mutilatio, illa enim valde facilius sensui nocere et recitationem valde breviorem reddere potest.

II. Defectus huiusmodi solet esse involuntarius; sed interdum voluntarie quoque accidit.

III. Involuntarie contingere potest duobus modis, scilicet 1° ex vitio naturali et prorsus incorrigibili (v. g. ex balbutie); 2° ex vitio acquisito sed valde difficile corrigibili (v. g. ex inveterata consuetudine, maxime si aliquid vitii naturalis, ut puta, praecipitantiae in loquendo, difficultatis advertentiae etc. immisceatur). Utcumque, theologi *non ponunt obligationem officium repetendi in his casibus involuntariis;* quamvis enim ageretur de vitio acquisito, nova recitatio plus vel minus priori defectui subiiceretur, et sic nedum ad secundam, sed ad tertiam, quartam, quintam etc. recitationem procedi deberet; quod (uti patet) divini officii pondus in torturam verteret.

S. Ligorius tamen (*IV. 164*) docet, compensationem fieri debere recitando psalmos ad libitum, in proportione abbreviationis ex tali defectu subsecutae, si defectus (quamvis sic involuntarius) fuerit magnus simulque sensum notabiliter corruptum reddiderit. Sed haec obligatio non videtur usu recognita; neque alii theologi (quod sciam) illam indicant. Equidem S. Lig. citat Mazzotta (*Tr. II.* I *q. 2*), sed iste de defectu voluntario loquitur. Et revera Ecclesia imponit obligationem recitandi divinum officium; non autem recitandi psalmos ad libitum.

Bene tamen aderit obligatio procurandi emendationem, si vitium non naturale sed acquisitum sit, ut recte docet Sporer (*De Hor. Can. u. 100*). Vide etiam Tamburini (*De Hor. Can. § 3 n. 6*).

IV. Si *defectus fuerit voluntarius* (scilicet cum actuali advertentia commissus), theologi solent distinguere secundum quod mortalem aut venialem culpam constituerit.

Si *culpa fuerit venialis,* tunc nullam repetendi obligationem imponunt. Sanchez autem (*Consil. VII.* II *17*)

docet ipsam syncopationem esse venialem, si non sit valde notabilis ; et Lessius (*II.* XXXVII *56*) mortalem culpam ponit in omissione verborum *enormi excessu, si nempe in fere omnibus aut plurimis versiculis id contingat.* Quid simile dicit Sporer (*l. c.*). Solam autem mutilationem syllabarum (ultimarum) venialem culpam non excedere docet Lessius (*l. c.*).

Si vero defectus adeo magnus fuerit, ut iam *culpa mortalis* deesse nequiverit, tunc theologi communissime obligationem repetendi recognoscunt. Sanchez (*l. c.*) dicit : « Si syncopando defectus non sit valde notabilis, satis erit « poenitere ; secus, tenerentur iterare » ; et Sporer (*l. c.*) subdit : « Proferens solum initium et finem versiculorum, « transiliendo intermedia, per totum fere officium, ita ut « vix mediam partem dicat, peccat mortaliter, et tenetur « repetere, si factum fuerit voluntarie ».

Sed (dices) nonne satis erit supplere, recitando psalmos iuxta tempus quod in officio bene recitando impendi debuisset ? Redire videtur difficultas supra indicata, quod scilicet Ecclesia officium bene recitandum, non vero psalmos ad libitum, exigit. Nihilominus Croix (*IV 1302*), Mazzotta (*l. c.*) et S. Lig. (*l. c.*) compensationem istam sufficere censent.

373. *An recitans officium privatim debeat se audire ut satisfaciat ?* Hoc non est necessarium ; Ecclesia enim obligat ad dicendum non vero ad audiendum. Equidem sola oratio mentalis non sufficeret, sed vocalis exigitur. Haec tamen iam adesset sufficienter, etsi recitatio ita submissa foret ut non audiretur ; et sic a sacerdotibus etiam meticulosae conscientiae in praxi res ista intelligitur. Ita tenet etiam S. Lig. (*IV 163*).

374. *Si quis medietatem vel partem officii bis recitasset, possetne ab alia medietate vel parte aequivalenti recitanda excusari ?* Casum habes in illo qui heri pro hodie matutinum dixisset, et de hoc oblitus illud hodie denuo recitasset. Ille profecto ab aliis horis recitandis minime excusaretur ; non enim integrum officium, sed medietatem tantummodo (quamvis bis) recitasset ; neque pro hoc casu viget axioma *officium pro officio valet ;* quod enim deest, adhuc quid magni momenti aestimatur ; et matutinum pro matutino quidem sed non pro horis (propter nimiam differentiam) valere potest. (Cf. Scavini *II 196* et Lehmkuhl

II 627. I). Idem dic si quis, pro sexta et nona, adhuc recitandis, primam et tertiam iam recitatas ex oblivione repetivisset.

Si tamen gravibus occupationibus sacerdos urgeretur, forsan praesumi posset quod Ecclesia, huius inculpabilis erroris intuitu et laboris iam aequivalenter in oratione tolerati, illum dispenset.

§ II.

De tempore quo horae canonicae recitari debent.

375. In Ecclesiae primordiis sic Horae recitabantur. Matutinum post mediam noctem, nocturnis invicem spatio temporis disiunctis : laudes ad auroram ; prima post solis ortum ; tertia tempore medio inter ortum solis et meridiem ; sexta ad meridiem ; nona tempore medio inter meridiem et occasum ; vesperae ad occasum ; completorium ad noctis crepusculum. Sed obligatio hunc ordinem servandi iamdudum obsolevit. Hodie horarum ordo est sequens.

I. Matutinum cum laudibus (quavis etiam causa seclusa) hodie non solum licite sed laudabiliter anticipatur (intellige *privatim ;* Cf. Bened. XIV *Instr. 107*), et die praecedenti recitari potest.

Sed *qua hora?* Sciendum quod iam inde ab antiquissimis temporibus coepit invalescere consuetudo recitandi matutinum (extra chorum) etiam ante mediam noctem, et pedetentim nocte quoque non incoepta scilicet post occasum solis, aut sole vicino ad occasum. Denique consuetudo iam generalis efformata fuit, qua licet illum recitare statim ac sol magis occasui vicinior esse incipiat quam meridiei; quae praxis etiam a directorio romano expresse probatur.

At vero non desunt theologi qui docent recitationem istam peragi posse valide (et aliqui addunt etiam licite) hora secunda post meridiem. Equidem si Dioecesis consuetudo (de qua iam nemo dubitaret) ita ferret. id concedi deberet ; sed praedicti theologi absolute et absque respectu ad consuetudinem hoc admittunt. Doctrina ista eritne probabilis ? Poteritne tuto ad praxim deservire ? Probabilitatem intrinsecam ego non video. Dicunt : Matutinum recitari posse quia post vesperas officium sequentis diei iam est incoeptum, unde nihil vetat quominus continuetur. Sed, si haec ratio valeret, tunc in quadragesima (dum recitamus vesperas ante meridiem) etiam ante meridiem matutinum sequentis diei recitare possemus. Consectarium istud admittit Sanchez (Consil. *XII.* II *dub.* XXXVII *4*). Illud equidem reiiciunt Salmanticenses (*XVI,* III *15*); si tamen praedicta ratio valeret, vi logica admitti deberet ; imo concedenda esset talis recitatio, etiam extra quadragesimam, ante horam secundam, et sufficeret si vesperae prius

fuissent recitatae. Sed haec omnia nimis inverisimilia et abnormia sunt ; unde oportet omnino ut principium sit falsum, atque ita probabilitas intrinseca ad nihil redigatur. Quid de probabilitate extrinseca? Ephemeridis, quae inscribitur *Nouvelle Revue* (*2 Scr. Tom. VIII de la collection Tom. XX n. 2 pag. 217*). dicit 150 theologos stare pro illicito, et solum circiter 20 auctores opinionem de licito docere aut probabilem credere, etsi inter istos adsint aliqui theologi probatissimi, inter quos Sanchez, Salmanticenses, Gury (*II 65*), Ballerini, Frassinetti (*II 538*), et Varceno (*I 116*).

Quid igitur concludendum? Standum pro illicito ob duas rationes. Prima est quia probabilitas extrinseca nihil valet sine intrinseca ; quaelibet enim auctoritas tantum valet, quantum valent rationes quibus fulcitur. Secunda est quia S. Rituum Congregatio (*16 Mart. 1876 n. 3391*) ad quaesitum : « Quanam hora liceat incipere privatam recitationem matutini « cum laudibus vespere diei praecedentis ; in istis namque regionibus non « omnium eadem est super hac re sententia? » Respondit : « *Privatam « recitationem matutini cum laudibus diei subsequentis incipi posse quando « sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum* » Equidem dicunt quod eadem S. Congr. interrogata fuit : « An praedicta re ponsio ita in- « telligenda sit, ut ille non satisfaceret obligationi suae, qui matutinum « cum laudibus vespere diei praecedentis recitasset priusquam sol medium « cursum teneret inter meridiem et occasum? »; et quod, decreto *3 Iul. 1883*), respondit : *Consulantur probati auctores*. Sed in novissima collectione authentica decretum istud non invenitur.

II. Matutinum quoque defunctorum (extra chorum) recitari potest die praecedenti (ex consuetudine); sed non Litaniae S. Marci et Rogationum. Cf. Gury (*u. 66*).

III. Si Missa celebranda sit, matutinum cum laudibus ante illam recitari debet. Patet ex Rubrica Missalis *Tit. X*, quae inter defectus qui Missae celebrationem impediunt, enumerat etiam « Si celebrans saltem matutinum cum « laudibus non dixerit ».

IV. Prima et tertia recitandae sunt ante meridiem. Sexta et nona recitari possunt sive ante sive post meridiem. Vesperae autem et completorium solum post meridiem; excepto tempore quadragesimae, diebus infra hebdomadam in quibus (incipiendo a feria prima post primam Dominicam) ante meridiem vesperae recitari possunt. Aliae distinctiones minutiores ex contraria consuetudine iam e medio penitus sublatae sunt. Cf. Gury (*62, 63*).

V. Caeterum obligatio recitandi matutinum ante Missam, horas ante meridiem, et vesperas post meridiem, sub levi dumtaxat urget, atque mediocris causa rationabilis (et signanter causa studii, pro quo tempus ante meridiem valde aptius est) ab omni culpa excusare potest. Attamen

non quaelibet maior commoditas (quae semper adesset atque ut plurimum cum pigritia confunditur) excusaret. S. Lig. (*172, 173*).

376. *An qui tempore praefixo officii partem recitare nequit omnino, anticipare aut posticipare teneatur?*

Anticipare matutinum pro die sequenti, certe nemo tenetur; quia (non obstante facultate anticipandi) obligatio officii divini solum a media nocte ad mediam noctem subsistere censetur; et proinde, quum die antecedenti nemo sit adhuc praecepto ligatus, non est cur, praeviso impedimento, anticipandi obligatio adsit. S. Lig. (*IV 155*).

Qui praevidet, se, v. g. pomeridianis horis a recitatione impeditum fore, certe tenetur ante meridiem dicere matutinum, laudes et horas. Sed tenebiturne recitare vesperas et completorium? Mihi placet sententia Lessii (*II.* XXXVII *43*) dicentis: « Si quis advertat impedimentum « occursurum, praesertim voluntarium, tenetur praevenire; « si non sit voluntarium (ut si febrim hora 10 antimeri- « diana expectes) quidam putant non esse necesse prae- « venire: quod ego puto satis probabile; modo, si impe- « dimentum cesset ante duodecimam noctis, praetermissa « recites ».

§ III.

Quomodo officium recitari debet **ordinatim.**

377. I. Quo ordine recitandae sint horae canonicae, omnes norunt. Noto solum quod matutinum sequentis diei recitari potest pro libitu (privatim) sive post completorium sive post vesperas. Salmant. (*III 15*). Imo Gury (*II 79*) dicit, absque ullo respectu ad officium praesentis diei recitari posse; quod tamen (seclusa causa) mihi verum non videtur; quia principium officii sequentis diei est in vesperis, quae ideo prius recitandae sunt.

II. Inversio ordinis peccatum grave non constituit; ita ut ne grave quidem sit completorium ante matutinum recitare, vel etiam saepe ordinem invertere. S. Lig. (*IV 170*). Sacerdos tamen qui psalmos aliaque omnia ita con-

funderet ut forma officii evanesceret, non satisfaceret, graviterque peccaret. Suarez (*XI 7*).

III. Quaelibet causa rationabilis (non tamen levissima) inversionem ordinis a quavis culpa excusat. Exempla 1° Si inviteris a socio. 2° Si non habeas breviarium, atque, ad servandum tempus pro aliis occupationibus, recitares horas ex diurno quod in promptu sit. 3° Si non habeas lectiones ad manum, et nunc (ob eandem causam) reliqua recites. 4° Si venias ad chorum hora iam incoepta. 5° Si officii partem recitans advertas te praecedentia non dixisse, quo casu finire poteris et supplebis in fine. S. Lig. (*l. c. 170*).

§ IV.

Quomodo singulae horae ***sine interruptione*** *recitandae sint.*

378. De hoc notari debent sequentia.

I. Matutinum separari potest a laudibus, etiam sine causa. S. Lig. (*l. c. 167*).

II. Idem dic de nocturnis; quamvis enim tria nocturna unicam horam (probabiliter simul cum laudibus) constituant; tamen hae partes sunt adeo distinctae ut separationem patiantur, prout de facto antiquitus separabantur. Salmant. (*III 4*), Viva (*III.* IV *5*), S. Lig. (*l. c.*) etc.

Haec doctrina applicari potest quoque ad casum illius qui unum vel alterum nocturnum pro die sequenti recitat. Aliqui tamen, quoad separationem nocturnorum *ultra tres horas,* aliquam causam exigunt; sed Salmanticenses aliique de hac causa et de his tribus horis nihil dicunt.

III. Intra eandem horam vel idem nocturnum interruptiones apponere absque animo repetendi et sine causa, certe non licet; sed culpa esset venialis, quamvis interruptio longo tempore duraret. Salmant. (*l. c. 3*).

Dixi *sine causa,* scripsit enim S. Lig. (*l. c. 168*): « Causae iustae « interrumpendi officium, sunt quaelibet utilitas propria vel aliena, quae « incommode differretur, item urbanitas, aut devotio, ut dicere Missam, « exequi mandata superiorum, excipere confessionem alicuius qui non li- « benter expectaret, aliquid agere aut notare ut tollas distractionem sive « sollicitudinem ne obliviscaris, modo hoc non fiat frequenter. Licite etiam « potest intermitti aliqua brevis oratio vel affectus etc. ». Haec valent non solum si interruptio inter psalmum et psalmum, sed etiam si in medio psalmi apponeretur, prout theologi communiter cum S. Lig. dicunt.

IV. Qui absque causa, sive bona sive mala fide, horam interrupit, male quidem (sive materialiter sive formaliter) se gessit, sed dicta repetere non tenetur (Gury *II 87*); dempto casu quo, cum intentione repetendi, horam interrupisset; tunc enim repetitio necessaria esset non ut praecepto satisfaceret, sed ut peccatum veniale (sicut proposuerat) reapse declinaret.

§ V.

De loco et situ.

379. I. Aliqui scrupulos movent circa loca immunda, aut recitationem in lecto factam. Sed auctores communius, ut ait S. Lig. (*IV 179*), « nullam in hoc culpam agno-« scunt, quia cum Deus sit ubique, in nullo loco est irre-« verentia illum orare; alias, si esset irreverentia, nec « etiam liceret ullo modo orare mente aut voce in loco « indecenti; quod nemo dicet; imo Apostolus (*ad Tit. 2)* « inquit: *Volo vos in omni loco orare* ».

II. Obligatio, quae vere adest, consistit in cavendo ne recitans, propter locum vel situm, sive somno sive nimiis distractionibus sit expositus. Attamen praxis etiam timoratorum est ut officium, sive deambulando, sive in curru iter faciendo, sive etiam remanendo ubi alii leviter confabulantur, recitari possit. Gury (*II 70*).

III. Rubricae Breviarii monent ut aliqua dicantur flexis genibus; sed id quoad chorum, non vero quoad recitationem privatam, intelligi debet. S. Lig. (*IV 179*).

§ VI.

Quomodo officium recitari debet ***attente ac devote.***

380. I. In Cap. *Dolentes (De Celebr. Missar.)* legitur: « Districte praecipimus in virtute sanctae obedien-« tiae, ut divinum officium, quantum eis Deus dederit, « studiose celebrent pariter et devote ». Porro huius

praecepti vis non iam ad recitationem, bene vero ad attentionem et devotionem directa fuit; quisnam enim tunc dubitabat quin officium sub gravi recitandum esset?

II. Si attentio adsit, non obstat si exterius aliquid fiat; multae enim actiones modo machinali fiunt et cum attentione componi possunt, ut ambulare, se vestire, se lavare, pectere caput, sternere lectum, verrere cubiculum, accendere ignem, herbas floresque sine delectu colligere etc. Et notandum, quaedam esse distractiva respectu alicuius, et non esse respectu alterius. Aliqua etiam suapte natura distractiva (v. g. si quis officium recitaret ubi alii elata voce loquuntur, canunt, sonant, clamorem faciunt etc.), specialem conatum plus vel minus adhibendo, cum attentione componi possunt. S. Lig. (*IV 176*).

III. Levis et superficialis attentio ad aliquid aliud (ut respicere flumen, pratum, collem etc.) attentionem ad officium infirmaret quidem aliquantulum, sed substantialiter non destrueret. Unde ad summum peccatum veniale intervenire posset. Idem dic de aliqua levi somnolentia. S. Lig. (*l. c.*).

IV. Defectus attentionis non obstat, si occasione inquirendi necessaria ad officium ipsum eveniat, v. g. si, memoriter recitando psalmos, lectiones inquiras, kalendarium inspicias etc. S. Lig. (*l. c.*).

V. Defectus attentionis (quamvis recitatio tamquam mere machinalis evaderet, et quamvis distractio esset cum externa sensuum evagatione, v. g. obiectum fixe inspiciendo, musicam attente audiendo etc.), si involuntarie accideret non efficeret ut officium iterum recitari deberet.

Dixi *si involuntarie accideret*, si nempe sacerdos non adverteret hoc modo officium graviter vitiari. Si enim distractiones involuntariae aut leviter culpabiles recitationis validitati obstarent; tunc officii onus, humana attentâ infirmitate, nimiis scrupulis aditum aperiret nimisque grave redderetur.

S. Lig. (*l. c.*) limitat, dummodo actio de se sit compossibilis cum attentione interna; sed theologi antiqui, in casu etiam actionis cum attentione incompossibilis, exigebant insuper ut divagatio animadverteretur. « Quoties quis dedita opera mentem ab attentione non dimovet, praeceptum « orandi non omittit.... Nemo censendus est attentione ex professo distrahi,

« nisi alio negotio occupetur quod suapte natura orationis attentioni ad-
« versetur; ut si quis, v. g. tunc legat aut scribat, aut pingat etc....
« *Rursus* requiritur quod qui aliquid facit aut cogitat, quod ab orationis
« attentione extraneum est, advertat per illud ab eadem attentione dilabi.
« Quare, etsi ultro et voluntarie alia cogitet, quousque non ispiciat se
« distrahi, semper reputatur inadvertenter divagari, atque adeo excusatur
« ab omissione praecepti de attentione ». Ita Sotus (*De Inst. et iur. X.* v *Art. V vers. fin.*), Navarrus (*XXV 107*) etc.

VI. Si vero defectus attentionis sive actu sive in causa sit adeo voluntarius, ut recitans advertat se tali modo ad officium attendere non posse, eiusque recitationem ex toto aut per notabilem officii partem mere machinalem evasuram; tunc censeo defectum (saltem si agatur de distractione externa) esse substantialem, praecepto non satisfieri, atque officium iterum sive ex toto sive in parte esse recitandum. Recole quae dixi *Vol. II* (*n. 329*).

VII. Quoad distractiones itaque, summatim sic dicerem: 1° Distractiones involuntariae nunquam recitationis validitati obstant, quamvis essent externae. Distractio externa tamen citius adverti solet, et proinde minus faciliter involuntaria erit. 2° Distractiones semivoluntariae, item voluntariae prorsus sed superficiales aut breves, peccatum veniale constituunt, et recitationis validitati non obstant. 3° Distractiones demum plene voluntariae, intensae, continuatae et cum advertentia quod cum attentione ad officium sunt incompossibiles, recitationem (saltem si sint externae, ut dixi) substantialiter vitiant, onusque officium repetendi relinquunt.

PUNCTUM VI.

De recitatione cum socio vel in choro.

381. I. Oportet ut talis recitatio perficiatur iuxta Ecclesiae consuetudinem; unde versiculi psalmorum, strophae hymnorum, responsoria et antiphonae **alternari** debent.

Nihil tamen officeret si, alternatione servata in psalmis more consueto, lectiones (etiam omnes), capitula et orationes ab uno socio recitarentur. Quoad *Confiteor* et *Misereatur* ad primam et completorium, sufficit si (in recitatione privata cum socio vel sociis) semel recitentur, non secus ac quando quis solus officium recitat. (*Decr. 12 Nov. 1831 n. 2682 ad 39*).

II. Non oportet ut socius officium recitandi obligationem habeat aut clericus sit.

Cum foemina quoque valide (etsi non decenter) officium recitaretur. Gury (*Cas. conse. II 55*). Nec referret si socius interne distraheretur, aut (prae surditate) te non audiret (Croix *IV 1295*). Imo Sporer existimat ne exigi quidem ut socius intentionem orandi habeat, sed sufficere si tibi auxilium ferre intendat. Res ista itaque sic intelligitur, ut sufficiat si tu verba socii tibi merum commodum praebentis ad sanctum finem tacite applices et Deo offeras, quasi ab illo pars materialis seu externa, pars autem formalis seu interna a te praestetur.

III. Oportet tamen ut socius, etsi non obligatus, partem suam ita decenter atque integre praestet, ut facere deberet si obligatus esset. Sedulo autem cavendum ne quis versum sequentem incipiat, dum alter praecedentem adhuc non finivit. Recitatio enim non simultanea sed successiva esse debet; secus, perinde esset ac si verba, quae dicuntur dum alter versum sequentem incoepit, minime dicerentur, quod versiculorum mutilationi aequivaleret.

IV. Dum officium in choro recitatur, **oportet certe attendere ad ea quae alia pars chori recitat.**

Attamen in quibusdam circumstantiis rationes speciales efficiunt, ut officii obligationi satisfiat, aut non supersit onus quidquam supplendi, quamvis in dicta attentione defectus intervenerint, vel etiam nihil aut non totum auditum fuerit. Casus huiusmodi accidere possunt speciatim si, v. g. casu aliquo magnus strepitus (breviter) fiat; vel qui lectiones recitat, propter exilitatem vocis aut distantiam, non distincte audiatur; vel canonicus aliquis sit surdaster, ita ut scilicet aliqua vel omnia solum in confuso, audiat. In hoc conveniunt theologi fere omnes cum S. Lig. (*IV 163*), et dicunt conatum ad audiendum tunc sufficere.

Si tamen canonicus esset surdus omnino, ita ut ne in confuso quidem audire posset, tunc S. Lig. ad recitandum submissa voce ea quae audire nequit illum obligat. At vero plures alii primi subsellii theologi (inter quos Suarez, Roncaglia et D'Annibale *III 501. 28*) obligationem istam minime apponunt, et dicunt absolute illum satisfacere; quod mihi quoque valde probabile videtur atque in conscientia tutum. Recolendum est enim quod recitatio choralis differt a privata, in qua quis solus officium recitat; et, dum recitatio privata peragi debet tota a persona, choralis e contra a choro perficitur; idque efficit, ut, dummodo singuli ad chorum apti adque obligati (quales sunt etiam surdi), dummodo (inquam) singuli psallant atque attendant prouti possunt, defectibus inculpabilibus chorus suppleat. Adde quod secus res ista valde incommoda scrupulisque subiecta evaderet. Insuper si chorus non suppleret in casu surdi, iam supplere non deberet etiam

in casu surdastri, qui, v. g. lectiones non audiret, et psalmodiae solum rumorem aliquem perciperet; quod tamen etiam rigidae sententiae patroni non admittunt. Cf. S. Lig. (*l. c. q. 2°*). Attamen boni canonici prae oculis habere solent breviarium, ut melius intelligant illa quae ab alia parte vel ab hebdomadario recitantur.

382. Loquendo autem speciatim de distractionibus canonicorum, sunt qui magnam differentiam constituunt inter distractiones recitantis per se solum, et distractiones recitantis in choro, pro quo proinde sunt rigidiores. Rationem adducunt quia primus, etsi sit distractus, aliquid facit (scilicet verba profert); secundus vero, stante distractione, circa ea quae ab alia chori parte dicuntur, nihil faceret et solum materialiter, veluti ad modum dormientis, praesens esset. Sed mihi videtur tunc quoque distinguendum. Sunt distractiones quae recitationem valde corrumpunt simulque facile evitari possunt (prout contingeret v. g. si canonicus saepe inter versiculum et versiculum vel dum leguntur lectiones etc. cum socio ad suum latus sedente confabularentur); et tunc officium vel hora sic male recitata repeti deberet: idque confirmatur ex pluribus decretis quibus huiusmodi canonici tamquam absentes punctari debent, ut videbimus infra *(De canonicis)*. E contra sunt distractiones quae recitationem parum corrumpunt, atque (attenta humana fragilitate) difficile evitari possunt, ut puta, si sint mere internae, aut breves vel superficiales, et tunc canonicus sicut satisfaceret si solus, ita etiam satisfacit si in choro recitet. Ratio autem est quia ex una parte intentio offerendi Deo recitationem propriam et sociorum semper virtualiter subsistit (et proinde verum non est quod canonicus distractus quoad partem sociorum nihil praestet); et ex alia, si poneremus obligationem repetendi officium in casibus huiusmodi qui adeo facile accidunt; onus istud nimis grave nimisque scrupulosum redderetur. Ita sentit etiam Lehmkuhl (*II 637*). Cf. Sporer (*De hor. can. 106*), Reuter, Tamburini etc.

V. Quae de auditione atque attentione in choro dicta sunt, applicari debent (aliqua tamen discretione servata) ad casum in quo quis cum socio officium recitet; tunc enim etiam adest obligatio attendendi ad ea quae socius recitat; sed ita ut subinde (prout in surdastro) conatus

audiendi sufficiat etc. Dixi *aliqua discretione servata*, qui enim recitat cum socio facilius teneri potest ad removenda impedimenta, v. g. recedendo a loco ubi strepitus fiat, vel rogando socium ut voce magis elata recitet etc.

Specialis difficultas est quoad perfecte surdum; theologi enim dicunt surdum, qui socium nullo modo audire valeat, cum socio officii recitationi satisfacere minime posse; differentiam autem esse inter casum istum et casum canonici, quia canonicus surdus chorum evitare nequit, alium autem nemo cogit ut cum socio recitet. Cf. D'Annibale (*III 501. 28*). Equidem haec doctrina communissima videtur; sed (si ipse lectiones legat et alternatio possibilis sit) clara prorsus mihi non apparet. Si enim ille non satisfaceret, cur satisfacere posset surdaster, casu quo partem notabilem a socio recitatam non audiret; quod tamen theologi communius admittunt cum S. Lig. (*IV 163 q. 2*)?

383. *Quid si socius syncopet aut verba mutilet, aut versus incipiat antequam versum praecedentem tu perfecte absolveris?* Tunc 1° defectus non solet esse substantialis; et proinde, illo non obstante, obligatio adimpletur neque repetendi neque supplendi onus subsistit. Ad summum (si fructus speretur et commode fieri possit) rogandus erit socius ut non ita festinanter procedat et melius recitet. Ita docent Elbel (*V.* XIII *446*) et Gury (*Cas. consc. II 52*). 2° Obligatio declinandi socium propter defectus non substantiales, meo sensu, minime adest. Enimvero aliqui defectus non substantiales sunt nimis frequentes, et sic socii non pauci evitari deberent. Aliunde maius bonum orationis factae in communi defectus huiusmodi compensare potest. Adde quod subinde talis vel talis socius (maxime si ipse invitaret) non sine incommodo evitari posset. Si autem defectus talis ac tantus esset ut officii recitationem substantialiter vitiaret (quod accideret si socius ita festinanter procederet, ut vix a me incoepto versiculo, ipse sequentem inciperet, et maxime si insuper illum syncoparet); talis socius declinari deberet; et, si forte officium cum ipso recitatum fuisset, obligatio repetendi (aut saltem supplendi iuxta dicta *n. 360 IV*) remaneret.

ARTICULUS IV.

De sacris functionibus rite et devote peragendis.

PUNCTUM I.

Notantur quaedam generalia.

384. *Qua de causa* ***rite*** *et* ***devote*** *sacrae functiones peragi debent?* 1° Sancta sancte tractanda sunt. 2° Sacrae functiones ad fidelium devotionem excitandam sunt institutae; sed quomodo functio non devota devotionem excitabit? Nonne potius scandalo erit? 3° Ut plurimum christifideles eleemosynas contribuunt; idque profecto eo fine ut sacerdotes in sacris functionibus pro ipsis eorumve defunctis Deum (utique devote) orent.

385. *Devotionis defectus quotuplex esse potest?* Potest esse 1° *Internus;* si nempe Dei minister modo machinali omnia peragat, veluti ex quadam arte et quasi de solo stipendio cogitans, minimeque considerans quod, si distractiones sive in se sive in causa voluntariae semper culpabiles sunt, multo magis tales erunt si pro oratione eleemosyna percipiatur. 2° *Externus.* Deficiente devotione interna, facillime externa quoque deficiet; idque contingit si (seposita gravitate et decore) praecipitanter procedatur; si oculi in gyrum vertantur; si confabulationes et risus immisceantur; si a choro (ad otiandum in sacristia etc.) recedatur; si, uno verbo, sacerdotes sua agendi ratione satis ostendant, Dei cultum et orationem, quam christifideles ad iis (stipe data) expostulant, ipsis parum vel nihil cordi esse.

386. *Devotio obligatne semper?* Utique; scilicet non solum si functiones intra Ecclesiam peragantur, sed etiam quando defuncti ad ecclesiam vel coemeterium deferuntur; unde Rituale *(De Exequiis)* dicit: « Psalmi devote, distincte, « gravique voce recitare debent usque ad ecclesiam ».

387. *Quid de* ***statu gratiae?*** De hoc vide dicta *Vol. II* (*n. 399. 401*).

388. *Quid de* ***rubricis?*** Rubricae certe, quae sunt in missali, rituali, caeremoniali Episcoporum et pontificali romano, (praescindendo ab aliquibus rubricis obsoletis vel mere directivis, ut infra explicabitur) observandae sunt in conscientia.

Benedictus XIII scripsit: « Ab omnibus ita fieri vo- « lumus et mandamus, ut in sacramentorum administra- « tione, in Missis, et divinis officiis celebrandis, non pro « libito inventi et irrationabiliter inducti, sed recepti et « approbati Ecclesiae Catholicae ritus, qui in minimis etiam « sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt, « peculiari studio ac diligentia serventur ».

389. *Quid de* ***decretis*** *sacrae rituum congregationis?*

Circa haec decreta, eorumque auctoritatem, notandum I. quod ad quaesitum: « An Decreta a S. C. emanata, et « responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scri- « pto formiter editae eandem habeant auctoritatem, ac si « immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis « nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati suae? » Ipsa S. Congreg. respondit: « Affirmative » (*Decr. 23 Maii 1845 n. 2916*).

Notandum II. quod ad quaesita: « 1° An per verba « *dummodo formiter scripto edita* fuerint, sufficiat quod « sint subscripta a S. R. C. Praefecto et Secretario ac « eiusdem sigillo munita; vel potius requiratur, ut sint « vel Romae vel ab Episcopis in suis Dioecesibus promul- « gata? ».

« 2° An tamquam *formiter edita* habenda sint De- « creta et Responsiones in authentica collectione insertae? ».

S. R. C. (*l. c. n. 3023*) respondit: « Ad primum, « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam ».

« Ad secundum, Affirmative ».

Notandum III. quod collectio authentica erat quae appellatur Gardelliniana. Nunc autem authentica est solum collectio novissima, cuius editio sub auspiciis et nomine Leonis PP. XIII incaepit *16 feb. an. 1898;* in cuius fronte sequentia leguntur: « *Urbis et Orbis.* SS.mus D. « N. Leo Papa XIII, cuius iussu et auctoritate S. R. C.

« Decreta e suis regestis selecta, revisa et typis commissa « in lucem profert...., collectionem horum decretorum, quae « in praesenti volumine caeterisque mox edendis conti- « nentur, Apostolica sua auctoritate adprobavit atque au- « thenticam declaravit, simulque statuit decreta hucusque « evulgata, in iis, quae a decretis in hac collectione in- « sertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis « tantum quae pro particularibus ecclesiis indulti seu pri- « vilegii rationem habeant ». In hac itaque collectione decreta quae, sive quia obsoleta siva quia pugnantia cum aliis posterioribus, amplius non vigeant, minime adsunt.

Notandum IV. quod non omnia decreta obligant omnes. Alia enim sunt generalia et alia particularia.

390. Decreta possunt esse **generalia** dupliciter, scilicet 1° *In terminis,* si nempe S. C. explicite in fronte dixisset: *Decretum generale* vel *Urbis et Orbis.* 2° *Aequivalenter,* si nempe ad dubium circa sensum alicuius rubricae, resolvisset tali vel tali modo esse intelligendam; huiusmodi enim authenticae declarationes cum ipsa lege confunduntur, illiusque sensum determinant: quin nova promulgatio exigatur. Idem dic si iam aperte constaret responsionem ex una parte non potuisse fundari in circumstantiis specialibus et non textualiter atque praecise in casus expositione expressis; et ex alia praevio maturo examine emissam atque iussu S. Congregationis post praedictam collectionem (quae pervenit usque ad *annum 1900* inclusive) publicatam fuisse.

391. Huiusmodi decreta utique valent pro omnibus; sed adhuc videndum an ex verbis adhibitis vel ex circumstantiis constet quod S. C. intellexerit, nec ne, abrogare quascumque *consuetudines,* quae forte alicubi in contrarium adessent. Hinc ad quaesitum: « An decreta S. R. C., « dum eduntur, derogent cuicumque contrariae invectae « consuetudini etiam immemorabili; et, in casu affirmativo, « obligent etiam quoad conscientiam? » ipsa S. Congr. re- « spondit: « Affirmative; sed recurrendum in particulari » (*Decr. n. 2951*); quia scilicet (ut dicitur in Actis S. Sedis *Vol. III pag. 567*) « non semper et non omnes consue- « tudines derogationi absolute subiiciuntur ».

392. Decreta autem prorsus **particularia,** quae potuissent fundari in circumstantiis textualiter nullatenus aut non sufficienter expressis, vel de quibus utcumque non constet quod fuerint pro ubique decisa, valent quidem pro illis personis vel dioecesibus etc. pro quibus lata fuerunt, sed non pro aliis; idque verum esse posset quamvis in confirmationem alia decreta anteriora citata fuissent. Sic resolvit etiam ipsa S. R. Congr., quae ad quaesitum « An decreta, « indulta, decisiones S. R. C. datae vel dandae in casibus « particularibus, applicabiles sint et adoptandae in simi- « libus casibus, quasi essent pro ubique decisae, eo vel « magis, quia ipsa Sacra Congr. id innuere videtur, quando « propositis dubiis respondere solet: *Dentur decreta, pro- « visum in una etc.?* » Resp. (*8 apr. 1854*): « Negative, « et semper recurrendum in casibus particularibus » (1). Cur decisiones datae pro casibus particularibus non semper valeant pro casibus similibus, ratio est quia casus qui dicuntur similes, sive ob peculiaria adiuncta (nullo modo aut non satis expressa) sive ob peculiarem locorum conditionem etc. adeo diversae esse possunt ut decisionem omnino oppositam exigant.

393. Insuper, circa obligationem observandi rubricas sive in missali, sive in rituali, sive in decretis etc. expositas, sequentia notari debent.

I. Celebris est distinctio inter rubricas *praeceptivas* et *directivas;* sed advertendum quod rubricae suapte natura sunt praeceptivae, et solum ad modum exceptionis dantur aliquae rubricae mere directivae, quae paucae sunt; neque rubrica aliqua tamquam mere directiva haberi potest nisi comprobetur. Comprobatur autem si ad modum consilii enuncietur; aut si ab auctoribus passim hoc sensu intelligatur (exemplum habes in orationibus pro praeparatione ad Missam indicatis). Et notandum quod etiam in non observandis rubricis mere directivis propter pigritiam vel scandalum culpa intervenire potest. Vide *Monitore XIV p. 507.*

(1) Decretum istud in collectionibus authenticis non reperitur; sed a S. C. certe emissum fuit, ut videre est apud Acta S. Sedis *Vol. III pag. 567.*

II. Rubricarum inobservantia esset *mortalis* 1° Si versaretur circa necessaria ad valorem sacramentorum. 2° Si magnam deformitatem aut grave scandalum afferret. 3° Si omitteretur caeremonia, quae (propter suam significationem aliasve rationes) magni momenti esset; ut puta, si sacerdos aquam in vinum ante offertorium non infunderet.

III. Sicut aliis legibus, ita etiam rubricis *consuetudo derogare* illasque obsoletas reddere potest; idque sic explico.

Consuetudines quae indecentiam cultusque deformitatem implicant, non obstante quacumque antiquitate, tamquam abusus considerari debent.

Exemplum habes in expositione solemni SS.mi Sacramenti ex causa privata (ut infra declarabitur).

E contra consuetudines rationabiles atque ex causa manifeste iusta introductae (prout apud nos consuetudo non amplius adhibendi vascula aquae et vini ad purificationem communicantium) legitimae sunt. Idem dic de consuetudinibus omnino aut fere universalibus (maxime si Romae quoque iamdiu serventur), quin S. R. C. unquam reclamaverit.

Sic hodie apud nos nulla certe superest obligatio induendi superpelliceum (quamvis commode haberi posset) antequam alia paramenta ad Missam celebrandam induantur; vel retinendi toto anno cereum *a cornu epistolae* illumque ad Sacramenti elevationem accendendi etc.

Equidem passim Liturgistae dicunt, contra rubricam claram et manifestam (maxime missalis) consuetudinem legitimam nunquam efformari posse; sed haec regula sic absolute prolata a veritate deflectit.

Quid igitur dicendum de consuetudinibus mere localibus, sed non deformibus? R. In hoc casu, supposita consuetudinis antiquitate, Episcopi tolerare, aut certe quoad illas prohibendas valde caute procedere debent. In dubio autem ad S. Congr. recurrendum erit. Ad quaesitum enim: « Quid dicendum de consuetudine a doctis piisque sacer- « dotibus, Ordinariis non contradicentibus, usurpata? ». S. Congr. (*Decr. n. 2745 ad I*) respondit: « Recurrat « in casibus particularibus ». Et ad quaesitum: « Quo- « modo se gerere debeant Magistri caeremoniarum aliique « qui videant in ecclesiis non peragi functiones iuxta ru- « bricas, nec observari decreta? » respondit: « Adeundus « loci Ordinarius, qui stricte tenetur providere ut rubricae

« et S. R. C. decreta rite serventur; si quid vero dubii « occurrat, recurrendum ad eandem S. C. pro declara- « tione » (*Decr. n. 2621 ad I*). Vide etiam mox supra (*n. 390*).

394. *Quomodo se gerere debent sacerdotes si in dioecesi abusus aliquis esset generalis?* Oportet distinguere. Si, provocando admirationem, dissidia, aut alias inordinationes, singulares se reddere deberent; tunc donec vetitum efficax non supervenerit, communi usui se conformare poterunt, imo ut plurimum debebunt, ut recte notat Scavini (*I 334*). Si vero absque ulla singularitate et admiratione rubricis se conformare possent, tunc certe ad hoc tenerentur.

395. *Quid de auctoritate* ***magistri coeremoniarum?*** Sacrae R. Congregationi expositum fuit dubium sequens: « Iuxta S. R. C. Capitulares omnes tenentur « obedire caeremoniarum magistris in iis quae divinum « cultum respiciunt, et in sui muneris exercitio esse « Capitularium directores, non famulos. Quaeritur ergo « an magistri caeremoniarum teneantur exquirere consen- « sum et approbationem Capituli, ita ut non possint in « ecclesia cathedrali executioni tradere aliquod decretum « S. R. C. ad cultum divinum spectans, antequam obti- « neant dictum consensum et approbationem? Et quatenus « negative: An Capitulares praetextu alicuius consuetu- « dinis etiam immemorialis vel praesumpto privilegio pos- « sint se tueri contra debitam observantiam decretorum « quae ipsis opponunt magistri caeremoniarum, ut e medio « auferantur consuetudines quae rubricis vel decretis op- « ponuntur? » S. C. (*Decr. n. 3611 ad VII*) respondit: « Negative ad primam partem; quatenus tamen opus sit, « magister caeremoniarum antea notum faciat Episcopo « et Capitulo S. C. decretum. Ad secundam: quatenus « agatur de re gravi et rationabili, consulatur S. Congre- « gatio «.

PUNCTUM II.

De rubricis magis momentosis et practicis quae prae oculis haberi debent.

CIRCA SS.MUM SACRAMENTUM.

396. I. SS.mum Sacramentum **retineri potest** solum in ecclesiis parochialibus, cathedralibus, et Regularium votorum solemnium, nisi ex indulto apostolico vel consuetudine immemorabili aut saltem centenaria privilegium habeatur (Bened. XIV, Const. *Quamvis iusto*, *Decr. n. 3484 ad III*): nec profectò sufficit sola licentia Episcopi. Vide *Monitore* (*Vol. XIV p. 110 et 283*).

II. **Tabernaculum** in quo SS.mum Sacramentum asservatur, non obstante contraria consuetudine, *conopoeo* cooperiri debet (*Decr. n. 3150*), quod potest esse coloris albi, etsi melius foret adhibere colorem correspondentem diei, excepto nigro qui in violaceum mutari deberet. *Decr. n. 3035 ad 10.*

III. Super tabernaculum nihil (tamquam super basim), et ne Reliquia quidem SS.mae Crucis, poni potest, et abusus huiusmodi esset omnino eliminandus. (*Decr. n. 2613 et 2740*).

IV. Ante ostiolum ipsius neque Reliquia, neque vas florum collocari debet, et pariter abusus esset eliminandus. (*Decr. n. 2906*).

V. **Lampas** retinenda est intra et ante altare SS.mi Sacramenti, ut continuo ardeat. (*Decr. n. 2033*).

VI. Generatim utendum est oleo olivarum. Sed de hoc infra.

VII. Sacramentum **in duobus altaribus** retineri continuo nequit.

Patet ex Decr. (*n. 3576 ad* VII) sequentis tenoris. « Num occasione « alicuius festi, tridui, novendialis, aut mensis v. g. maii B. M. V. dicati, « iunii in honorem SS.mi Cordis Iesu, liceat SS.mam Eucharistiam ab « altari maiori super quo asservatur, ad altare transferre in Ecclesiae la- « teribus erectum, ut in festo, sive per triduum, novendiale, mensem, et « sacra communio in iis distribuatur, et populo benedictio impertiatur? »

R. *Affirmative*; *dummodo tamen SS.ma Eucharistia in duobus altaribus continuo non asservetur*. Hoc autem decretum sequenti modo intelligo. SS.ma Eucharistia potest quidem ad aliud altare transferri, sed ita ut ex toto transferatur si illuc toto die vel toto triduo, vel toto novendiali, vel toto mense remanere deberet; possit autem sola pars (v. g. hostia magna) transferri remanente parte reliqua (v. g. pyxide) suo loco, si solum tempore functionis in alio altari remansura esset.

VIII. SS.ma Eucharistia **renovanda est frequenter** (*Rit. Tit. XXIII* § VII), scilicet quolibet octavo die (*Caerem. Episc. I.* VI). Pro renovatione utendum est particulis recentibus (*Rituale*), scilicet non ante 20 dies confectis (S. Carolus Borromaeus *Concil. Mediol. Prov. IV*).

Attamen differre renovationem ad quintumdecimum diem, ex causa etiam non gravi (v. g. si plurimae particulae consecratae adhuc adessent) licitum esse poterit. Imo S. Lig. (*De Caerem. Miss. XI 6*), Gardellini (*ad Decr. 4623*) et Zitelli (*App. de Euch.* § *IV*) etc. id absolute licere censent (quod tamen mihi non probatur).

Quando autem ex dilatione huius renovationis peccatum mortale interveniat, pendet a periculo corruptionis, quod maius erit si particulae non recentes adhibitae fuissent, et maxime tempore aestivo. Differre renovationem ad 50 dies, ego mortale esse crederem in quovis casu.

In renovatione, particulae veteres aut sumi aut primo distribui debent (*Rit.*). Si autem reserventur ut primo distribuantur, cavendum erit (v. g. ponendo eas in pyxide diversa) ne cum aliis commisceantur et sic iterum periculo corruptionis exponantur.

IX. In **purificanda pyxide** a fragmentis, nec indice nec vino, sed solo purificatorio uti, gravis irreverentia esset, ut per se patet.

X. **Clavis tabernaculi** nullatenus in tabernaculo ipso, sed in loco tuto poni et diligenter custodiri debet. Innoc. III (*3 Dec. 44*) et Bened. XIV per S. C. E. (*9 Febr. 1751*).

XI. **Expositio SS.mi Sacramenti** alia est *solemnis*, quae perficitur exponendo Sacramentum in Ostensorio absque velo in throno; alia autem est privata, et haec iuxta Decr. S. C. Epp. et Reg. (*9 Dec. 1702*), fieri debet solum aperiendo tabernaculum et non extrahendo pyxidem; dicit enim decretum: « Si quandocumque privata ex causa « sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a taberna- « culo nunquam axtrahatur, sed pyxide velata in aperto « eiusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicuius « sacerdotis stola et superpelliceo induti, et cum sex sal- « tem luminibus cereis, collocetur ».

Sedulo notandum 1° Quod expositio solemnis fieri non potest nisi ad modum quadraginta horarum, vel pro causa publica sive extraordinaria ab Episcopo recognita, sive consueta (prout pro solitis benedictionibus). 2° Quod huiusmodi expositiones permitti vel continuari non possunt, nisi adsit adoratorum copia, qui ad minus triginta esse deberent. 3° Quod consequenter expositio in forma solemni non licet ex causa privata, quia tunc ordinarie sufficiens adoratorum numerus deficeret; nec quidquam valeret consuetudo, quae pro abusu intolerabili habenda esset. Cf. *Casus conscientiae* (*an. 1893 cas. II*) et Dissertationem Petri Piacenza cui titulus: *Del numero degli adoratori necessario perchè siano permesse le solenni esposizioni del SS.mo Sacramento. Considerazioni proposte al XV Congresso Eucaristico di Orvieto.*

Exponere autem in throno sacram pyxidem loco ostensorii nunquam licet, et consuetudo non valet. *Decr. 2725 ad 4.*

Si tamen sacra pyxis in throno non poneretur, liceret illam adhibere in expositione minus solemni, atque cum illa populum benedicere, adhibito etiam velo super planetam. *Decr. 3833 ad. 3.*

De his omnibus vide Génnari *Consult. LIX.*

Machina ad elevandum et deponendum hostensorium in expositione SS.mi Sacramenti non permittitur. *Decr. 3425 et 3349.*

XII. **Benedictionem cum SS.mo Sacramento** semel in die tantum (excepto casu Viatici) super populum dari posse, dicit Bened. XIV (*Instr. XXX*).

XIII. Quoad expositionem SS.mi Sacramenti *Feria V. in Coena Domini*, quae vulgo dicitur ***Sepulchrum,*** quaesitum fuit « 1° Utrum in altari in quo feria V et « VI maioris hebdomadae, publicae adorationi exponitur « et asservatur SS.mum Sacramentum, repraesentetur « sepultura Domini, aut institutio eiusdem augustissimi « Sacramenti? 2° Utrum liceat ad exornandum praedictum « altare adhibere statuas aut picturas, nempe B. Virginis, « S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et mili- « tum custodum aliaque huiusmodi? »

S. R. C. (*15 Dec. 1896*) respondit: « Ad primum: « *Utrumque.* Ad secundum: *Negative. Poterunt tamen « episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, huiusmodi re- « praesentationes tolerare; caveant autem ne novae con- « suetudines hac in re introducantur.* Atque ita rescripsit, « contrariis quibuscumque decretis abrogatis ». (*n. 3939*).

CIRCA COMMUNIONEM ET VIATICUM.

397. I. Quamvis melius sit (ordinarie) ut a sacerdote celebrante Eucharistia populo **distribuatur** intra Missam, tamen hodie ex causa iusta distribui potest immediate tum ante tum post Missam. *Decr. 3832 ad 3.* Causa iusta autem facile adest et generaliter adesse censetur toties quoties communio petatur. Ita novissime S. R. C. apud *Monit. eccles.* (*Vol. IX p. I pag. 221*).

II. Bursa cum **corporali** ex vero praecepto adhiberi debet toties quoties communio fidelibus administratur, nec palla sufficit. *Decr. 2932.* **Stola** autem potest esse vel iuxta colorem diei convenientem vel semper alba. *Decr. 2740 ad 12.*

III. Hodie certum est (ex decreto generali S. R. C. *27 Ian. 1868 n. 3177*) **in Missis quoque defunctorum** (intra, ante et post Missam) distribui posse Eucharistiam ex praeconsecratis, dummodo non detur benedictio.

IV. **Tempore nocturno** Eucharistiam in ecclesia distribuere non licet; iis tamen horis in quibus Missa celebrari potest, nil vetat quominus commmunio quoque distribuatur (*Decr. 2372 ad 23*), excepta nocte Nativ. D. N. I. C., in qua Missa quidem celebrari sed non Eucharistia (secluso indulto speciali) distribui potest. (*Decr. 1761*). De contraria tamen consuetudine in Gallia vigente, vide Bouix (*De Par. V.* v *3*).

V. **Particulae** pro communione integrae esse debent; interdum tamen, data necessitate, dimidiari possunt (Decr. *4707*).

Poteritne sacerdos partem suae Hostiae ministrare personae communionem petenti, si aliae particulae consecratae non adessent? R. Affirmant multi apud Giribaldi (*De Euch. VI 37*); quamvis enim hodie id non liceat

seclusa causa, tamen hac subsistente certe licet, quandoquidem etiam consuetudo Ecclesiae antiquitus talis erat. Idem dic de fractione Hostiae magnae, quae pro Benedictione asservatur; illam enim frangere ad communicandos fideles permittitur, attamen solum si aliae particulae desint, neque aliter commode provideri possit.

VI. **Linteolum** mundum (cuius vice tabella ex metallo inaurato hodie apud nos toleratur) ante quemlibet communicantem poni debet (Rituale).

VII. Communio potest ministrari intra missam **in xenodochiis,** dummodo, accedendo ad lectum infirmi, sacerdos altare e conspectu suo non amittat, neque aliquid recitet (*Decr. 2672*), aut dummodo cum umbella et luminibus SS.ma Eucharistia ad infirmos altare quidem non videntes sed sacerdotem audientes deferatur. (*Decr. 3322*).

VIII. Ad Viaticum ministrandum posset missa celebrari absente quoque indultario, in oratorio privato; sed magna ita agendi necessitas exigeretur. *Decr. 2745 ad 7.*

IX. In communicandis **monialibus** sacerdos, Eucharistia distributa, cum sacra pyxide eas benedicere non potest. (*Decr. 2543*).

X. Deferre SS.mum **Viaticum** *equitando,* ruri licere posset (*Rit.*); hoc tamen intellige stante consuetudine vel particulari necessitate.

XI. Illam deferre *capite cooperto* (scilicet cum bireto aut parvo pileolo etc.) non licet; neque in civitatibus et oppidis (ubi, dato casu, iam alii sacerdotes praesto sint) valeret praetextus vel causa reumatis. Si tamen in loco (v. g. alpestri) vera necessitas cooperiendi caput adesset et iam consuetudo rem hanc legitimam reddidisset, tunc nulla quaestio esse posset (Gousset *II 240*). Seclusa consuetudine, indultum apostolicum exigeretur. Ad tempus tamen episcopus dispensare posset; imo, si casus et necessitas urgeret nec Episcopus adiri valeret, licentiam praesumptam sufficere dicerem. Cf. Decreta (*n. 1931. 2908*) et S. Lig. (*Hom. Ap. XV 12*).

CIRCA PROCESSIONES.

398. I. Quoad processiones, non solum curandum ut rite et ordinatim perficiantur, sed etiam (speciatim in civitatibus et oppidis) cavendum ne operâ impiorum hominum

irreverentiis aut etiam maioribus malis ita expositae remaneant, ut (maxime si agatur de SS.mo Sacramento) expediat vel omnino oporteat ut non fiant.

II. S. Congr. Epp. et Reg. (*Iul. 1636*) decrevit, Rectores ecclesiarum (etsi ageretur de necessitate publica) nullam indicere posse processionem insuetam sine **consensu Episcopi.** (Berengo *n. 164*).

III. Regula est ut praecedant Confraternitates cum suis vexillis et Clerus; postea autem turmatim sequatur populus; sed (ruri apud nos) binae binae praecedunt mulieres, Clerum autem et Sacram Statuam vel SS.mum Sacramentum sequantur turmatim soli viri; quae quidem consuetudo nedum tolerabilis sed laudabilis esse potest.

CIRCA SUPPELLECTILES ET VASA SACRA.

399. I. Corporale, palla, tobaleae altaris, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula (vulgo *pianeta*) **benedici debent** (*Rubr. miss.*); nec quidquam suffragatur quod prius bona fide ad missam celebrandam adhibita fuissent (Decr. *3162 ad 7*). Idem dic de pyxide, lunula, ostensorio et vasis pro sacris oleis. (*Rit. Rom. cum Append.*). Haec benedictio (quae, iuxta aliquos contra alios, exigitur etiam pro pluvialibus, dalmaticis et tonicellis) solum ab Episcopo eiusve delegato in aliqua dignitate constituto (si tamen a S. Sede alium delegandi facultatem obtinuerit: *Decr. 2377 ad 4*) dari potest. Calix et patena consecratione (quae semper soli Episcopo reservatur) indigent. Uti corporali non benedicto, aut calice non consecrato peccatum mortale est. Quoad alia, peccatum erit leve. Purificatoria autem benedictione non indigent.

II. Bened. XIV aliique communiter dicunt quod corporalia et sacra indumenta **benedictionem amittunt** quando adeo sunt detrita, aut (sive casu sive ex industria) fracta, ut proprio usui inepta evaserint, vel si utcumque propriam formam amiserint. Exemplum dant in cingulo, si ita frangatur ut nulla pars ad cingendum sufficiat, aut in alba a qua manicae seiungantur.

Calix consecrationem amittit si propter foramen, vel deaurationis amissionem, aliamve causam, non amplius deservire possit; speciatim vero si cuppa a pede (non tornatili) separetur. Idem dic de patena in qua inauratio evanuerit. De calice (et patena) qui fuerit denuo inauratus, habemus Decr. S. C. (*n. 3042 et 2889*) quod dicit indigere nova consecratione. Non videtur distinguendum an balneum galvanicum ad exequendam inaurationem fuerit densum et necessarium, an vero superficiale et solum ad augendam pulchritudinem (vulgo *rinfrescatura*).

III. **Cuppa calicis** debet esse saltem argentea intus deaurata.

Ad quaesitum : « Habetur ex Rubrica : Calicem debere esse vel aure« um vel argenteum, aut saltem habere cuppam argenteum intus auratam. « Hinc quaeritur : An liceat Episcopo consecrare calicem ex stamno, vel « aere, vel aurichalco cum cuppa tamen eiusdem materiei aurata ? » S. R. C. *16 Sept. 1865* (*n. 3136*) respondit : *Standum Rubricis :* atque ita servari mandavit.

An aliquando adhiberi possint calices cum cuppa aurichalchi vel ex alluminio (cum venia speciali), aut stamno, maxime propter ecclesiarum paupertatem, donec alii calices provideantur ? De his vide *Monitore* (*VI.* II *p. 160*) et Acta S. Sedis (*VI 589*); sed nota quod decreta ibi adducta eliminata fuerunt in collectione novissima, et specialis subsistit difficultas quoad aurichalcum, quia inauratione pedetentim evanescente, aeruginis (vulgo *verderame*) periculum adest.

IV. Adhibere **paramenta** lacera, vel immunda (speciatim si de corporali agatur) peccatum mortale est, et de hoc nemo dubitat. (Bened. XIV *Const. Annus*).

V. Servandus est **color** officio conveniens. Color flavus (et idem dic de caeruleo) prorsus excluditur (*Decr. 2682 ad 50. 2704. 2788*). Paramenta tamen ex auro contexta deservire possunt pro aliis coloribus, excepto violaceo (et a fortiori nigro). *Decr. 3191 et 3646*. Unica casula pro pluribus coloribus deservire nequit; sed color evidenter praedominans considerari debet (*Decr. 2682. 2769*). Poterit tamen Episcopus Ecclesiis pauperibus huiusmodi paramentorum usum permittere donec consumentur. *Decr. 2675.*

VI. Corporalia, pallae, purificatoria, tobaleae altarium, amictus, albae, et mappulae, ex lino **non mixto cum gossypio** sed puro, vel ex cannabe confici debent. Decr. gen. (*n. 2600*). Hoc tamen decretum de aliis suppellectilibus, v. g. superpelliceis et rocchettis non loquitur.

VII. **Casulae,** stolae et manipula ex lino, vel lana, vel gossypio non permittuntur, sed **ex seta** (quamvis esset inferioris qualitatis, vulgo *bavella*) esse debent. Idem dic de velis humeralibus, de velo calicis, de pluvialibus, dalmaticis, tonicellis, stolis et manipulis. Hoc probatur ex generali usu ecclesiarum, et (saltem in parte) ex rubricis (*Miss. Tit. I n. 1. Caerem. Ep. L. 1° Cap. 10 et L. 2° C. 33. Rit. De process. SS.mi Sacr.* et *Decr. n. 2769* v *ad 3*).

Vetitum tamen de mixtione gossypii in corporalibus, tobaleis etc. non extenditur ad casulas, pluvialia etc., pro quibus sufficit quod pars, quae extrinsecus apparet, serica sit. (*Decr. 3543*).

VIII. **Palla** in parte superiore drappo serico cooperta adhiberi nequit in Missa (*Decr. 2067*). Hodie itaque quod dicit Scavini, de alio decreto in contrarium reperto, non est attendendum.

IX. Amictus **crucem** in medio habere debet (*Rubr. Missal.*). Idem dic de palla et purificatorio; sed in corporali non debent esse cruces, quae ex una parte non praescribuntur et ex alia nonnihil periculi quoad fragmenta et calicem producere possent. Berengo (*n. 192*).

X. Purificatoria satis densa, non autem subtilissima sint; secus enim purificationi apta non forent. Idem dic de corporalibus. Berengo (*l. c.*).

XI. **Vasa sacra** et suppellectiles, quae Eucharistiam immediate tangunt, **a laicis** contrectari nequeunt seclusa necessitate, seu causa rationabili. Apud nos tamen, attenta consuetudine et morali (quae adesse videtur) necessitate, scrupulus iniici nequit ecclesiarum rectoribus si permittant ut sacristae (quamvis laici) calices, corporalia, purificatoria in sacristia etc. tangant, ut dicit etiam *Monit. Ecclesias.* (*I pag. 564*).

XII. Antequam purificatoria, corporalia et pallae purgatricibus (quamvis moniales essent et licentiam ab Ordinario haberent) tradantur, a clerico **lavanda** sunt, et postea aqua in sacrarium fundi debet (*Pont. Rom. De Ordin. Subdiac.* et *Decr. 3059* XXVI).

XIII. Quidquid consecratum vel benedictum fuerit, vel utcumque ad sacros usus etiam sine benedictione deservierit (prout sunt purificatoria etc.), **ad usus profanos** (quamvis postea dissacratum evaserit) adhiberi non posse antiquis canonibus statutum fuit (Cf. *Monitore V.* II *275*). Attamen Accademia Liturgica Romana (*2 Mart. 1887*) censuit canones istos hodie non amplius vigere casu quo non solum res cessaverit esse sacra vel benedicta, sed etiam pristinam formam amiserit. Ego censeo amissionem formae pristinae aliquando sufficere et aliquando non. Decisio pendet a circumstantiis, quae indecentiam communi sensu aliquando auferunt, et aliquando relinquunt. Agitur v. g. de calice ad communem argenti materiam per fusionem redacto, vel de macerie aut trabibus ecclesiae dirutae, et tunc in applicatione ad usus profanos nihil mali conspicerem ; secus vero si ex albis subuculae, ex planetis thoraces, ex corporalibus vel purificatoriis linteola pro nasu vel panniculi pro infantibus fierent.

XIV. **Candelabra** pretiosa in altari cooperiri possunt, exceptis diebus solemnibus. (*Decr. 3137*).

CIRCA LUMINA IN ECCLESIIS.

400. I. Lumina liturgica sunt lampades ex oleo olivarum, et cerei ex cera apum confecti.

II. Hodie plus vel minus adhibentur alia lumina, nempe 1° Lumina ex oleo extracto ab aliis vegetabilibus (v. g. nucibus, brassicis, papavere etc.). 2° Petroleum (extractum a petrae bitumine). 3° Lumina vulgo a *gaz*. 4° Lux electrica. 5° Candelae ex aliis materiis (sive in parte sive in toto) confectae. De re ista aliquid dicere oportet.

III. Agendo prius de **oleo, petroleo,** et **luce electrica,** distinguere oportet inter casum in quo haec ad cultum directe (scilicet ad ardendum ante SS.mum Sacramentum aut imagines Sanctorum), vel tantummodo ad illuminandam ecclesiam, adhibeantur.

IV. *Ad cultum* adhiberi potest *solum oleum de olivis*. Patet 1° ex antiquissimo et universali Ecclesiae usu. Patet 2° ex mysticis significationibus; oleum enim olivarum vir-

tutes, opera bona, laetitiam spiritualem, dona Spiritus Sancti, et nostram consecrationem servitio Dei etc. significat (Bergier v. *Oglio*). Patet 3° ex decretis S. R. C. quae mox afferentur.

V. Si tamen oleum de olivis difficile admodum et solum magnis sumptibus (prout in pluribus Galliae Dioecesibus) comparari valeret, tunc alia olea, vel (iis quoque deficientibus) ipsum petroleum (annuente Episcopo) adhibere liceret. S. R. C. (*Decr. 3121*) dixit: « Generatim « utendum esse oleo olivarum: ubi vero haberi nequeat, « remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nu- « triantur ex aliis oleis, quantum fieri poterit, vege- « tabilibus ».

VI. *Ad illuminandam ecclesiam*, S. R. C. prius (nempe *20 Mart. 1869*) decrevit: « Minime adhiberi posse petro- « leum vel aliud oleum ex vegetalibus ad illuminandam « ecclesiam; sed in casu tantum necessitatis ex prudentia « Ordinariorum. Atque ita rescripsit, et servari mandavit ». Sed hoc decretum nunc amplius non viget, tum quia in collectione novissima non invenitur, tum quia S. C. (*4 Iun. 1895, n. 3859*) ad dubium « Utrum lux electrica adhi- « beri possit in ecclesiis? » Respondit: « Ad cultum, ne- « gative. Ad depellendas autem tenebras, ecclesiasque splen- « didius illuminandas, affirmative; caute tamen ne modus « speciem praeseferat theatralem ».

VII. Quod autem ad cultum lumina huiusmodi adhiberi nequeant (seclusa necessitate), patet non solum ex decretis allatis, sed etiam ex aliis: « An super altari praeter can- « delas ex cera tolerari possit ut habeatur etiam illumi- « natio a *gaz?* R. Negative ». An censeri possit vetita « illuminatio electrica in iisdem circumstantiis? R. Affirma- « tive. Ita die *6 Maii 1902* (apud *Monitore XIV 204*).

VIII. Loquendo speciatim **de candelis,** istae (et idem dic de intorticiis) aliae sunt ex cera apum, quae distinguitur inter puram et mixtam cum aliis materiis in minori quantitate. Aliae sunt ex sebo communi. Aliae ex sebo purgato et per calcem et oleum praeparato (vulgo *stearine*). Aliae sunt ex cera valde adulterata, mixta scilicet v. g. cum sebo, amylo, resina, extractibus quorundam

fructuum, foliorum etc. in maiori quantitate. Aliae demum sunt ex cera prorsus ficta, dum scilicet cerae similitudinem quidem sed de vera cera nihil habent.

IX. Per se loquendo, in ecclesiis *candelae et intorticia debent esse ex cera apum.* Patet ex perpetuo atque universali Ecclesiae usu, atque ex rubricis quae, dum candelas indicare volunt, *cereos* aut *luminaria cerea* dicunt. Cf. v. g. Missale (*die 2 Febr. et Tit. X n. 1 de defect. in ministr.*).

Patet etiam ex mysticis significationibus; apes enim ceram conficientes sunt omnes virgines (apis enim mater seu regina, atque apes quae illam faecundant, non laborant); lumen autem cereorum significat ipsum Christum Dominum qui est lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et qui ex purissima Virgine Maria natus est; onde Bened. XIV in tract. *de Festis* (*Fest. Purif.* § 2) scripsit: « Ivone « Vescovo di Chartres nota che la cera raccolta dai fiori dell'ape, *virginis* « *videlicet animantis, cuius (sicut legitur) sexum nec masculi violant nec* « *foetus quassant,* è simbolo di quel parto divino, il quale *nec in conci-* « *piendo nec in egrediendo matris integritatem violavit* ». Patet denique ex plurimis decretis aliisque positivis documentis, quae infra indicabuntur.

X. Oportet etiam ut cera candelarum et intorticiorum, sive propter deteriorem qualitatem, sive speciatim propter mixturam sebi etc., percolationi ita non subiiciatur, ut tobaleas vel corporalia in altaribus, aut vestes sacerdotum, aut etiam (prout accidere posset si essent in luminaribus pensilibus, vulgo *lumiere*) vestes fidelium, conspurgare possint.

XI. Dixi ceram apum exigi *per se loquendo,* inspecta scilicet rei natura; aliud enim esse potest per accidens et inspectis particularibus circumstantiis. Excusare quippe potest necessitas, sed aliter et aliter; aliud enim est de casu raro et aliud de usu (in loco) ordinario; aliud est etiam si candelae sint ex sebo communi, et aliud si essent decentiores, cuiusmodi certe sunt candelae falsificatae quidem, sed ita ut verae cerae ad amussim assimilentur neque percolationem, neque fumum, neque foetorem etc. producant, atque insuper veram ceram in parte contineant.

XII. Imprimis difficillimum est quod licite adhiberi possint candelae ex sebo communi. S. Ligorius (*VI 394*) dicit: « Communiter doctores docent esse *mortale* (cele- « brare Missam cum candelis ex sebo communi), quia talis « usus est indecentissimus, et prorsus alienus a generali

« Ecclesiae consuetudine ». Hoc tamen intellige secluso casu magnae necessitatis. Scripsit De Herdt: « Commu-« niter dicitur, in necessitate licitum esse celebrare cum « lumine ex sebo vel oleo..., v. g. ut detur Viaticum « moribundo, aut ut populus audiat Sacrum de praecepto »; non vero solum ad celebrandum ex devotione, ut advertit idem S. Lig. (*VI 394*). Loquendo autem non de casu extraordinario, sed de consuetudine (in loco) generali utendi huiusmodi candelis ex sebo, S. R. C. iussu Pii IX (*Decr. 3063*) respondit Episcopo Carolinopolitano, abusum esse eliminandum, idque quamvis in illa Dioecesi cera nonnisi magno pretio comparari valeret, et ecclesiae paupertate laborarent.

XIII. Candelae *ex stearina* paulo facilius adhiberi poterunt pro casu raro necessitatis; sed non pro usu ordinario. In una Massiliensi (*Decr. n. 2865*) S. R. Congreg. edidit decretum sequentis tenoris: « Resolutiones dubio-« rum super usu novarum candelarum *ex stearina* con-« fectarum. Instantibus nonnullis episcopis, permultisque « cereorum fabricatoribus..., rescriptum fuit: *Consulantur « rubricae* ». « Si autem rubricae consulantur (subdit « Martinucci), lumina cerea adhibenda esse apparebit ».

XIV. Quaestio itaque reducitur ad usum candelarum neque ex sebo neque ex *stearina* (saltem ex toto) sed ex aliis materiis vegetabilibus (sive in parte sive etiam in toto) confectarum, quae in praxi bene deserviant. Decisio pendet ex necessitate quae in loco adsit. Enimvero S. C. de P. F. Vicario Ap. Coreae (ut dicit Scavini *IX 351*) indulsit ut, durante necessitate, adhiberi posset (etiam pro Missis) cera a quadam arbore defluens.

Sed quid de nostris locis? Certum est quod cera sive stearina, sive utcumque nihil verae cerae continens, adhiberi non potest, quamvis cerae similitudinem haberet. Patet ex vetito Pii IX (*7 Iul. 1868* apud Scavini *l. c.*), et ex *Decr. 3376* (*4 Sept. 1875*). Si autem loquamur de illa cera, quae iam communissime hodie apud nos in omnibus ecclesiis adhibetur, de eiusdem licito usu non est dubitandum.

Rationes sunt sequentes 1° S. R. C. pluries interrogata nihil amplius dixit in contrarium, sed solum laudavit pietatem et zelum Episcoporum qui hoc etiam in puncto strictam sacrae liturgiae observantiam procurant (Cf. *Avvisatore ecclesiastico an. IX pag. 258*). Fuit qui paucis ab hinc annis proposuit S. C. ut exigeret ceram veram saltem pro Missis; sed E.mi Patres nihil decernere voluerunt. 2° Usus generalis iam invaluit ut cera huiusmodi vendatur, ematur atque in sacris functionibus omnibus sine distinctione adhibeatur, quin scrupulum ullum aliquis sibi faciat. 3° Systema apiculturae nunc est valde mutatum; et mutatio efficit ut, dum mellis abundantia crescit, e contra copia cerae quam maxime diminuatur; unde conficere candelas et intorticia ex cera legitima in quantitate sufficienti ad omnes sacras functiones peragendas, nedum difficile sed impossibile esset. 4° Hodie cera legitima in commercio vix invenitur; et pauca illa quae emi posset pretio adeo magno valet, ut iam in usu esse nequeat. Adde 5° quod fideles in consuetis oblationibus afferunt ceram quae in commercio invenitur et parum valet: adde denique 6° quod huiusmodi cera nullam percolationem nullumque malum effectum producit, imo longe melius quam antiqua cera (quae ut plurimum deterioris qualitatis erat) ad sacras functiones deservit. Dictum atque etiam typis impressum fuit, culpam aliquam superesse etsi solum venialem; sed rationes allatae probant nihil prorsus culpae intervenire.

CIRCA ALTARE.

401. I. Debet esse consecratum, vel saltem **petrâ sacrâ** munitum. Oportet ut petra sacra tam ampla sit, ut hostiam et saltem maiorem partem calicis capiat *(Rubr. Missalis. XX)*.

Petra sacra *consecrationem amittit* si fractum fuerit Reliquiarum sepulchrum, vel eiusdem operculum, aut etiam tantummodo si hoc amotum (et denuo repositum) fuisset (*Decr. 2291*). Idem dic si operculum, non obstante fractione, immotum prorsus certe remansisset (*Decr. 3497*). Si tamen operculum nec fractum nec amotum fuisset, et solum firmitatem amisisset, tunc (stante certitudine quod sepulchrum apertum non fuerit) consecratio perduraret (*Decr. 3379*). Secus, si de aperitione dubitaretur (*Decr. 2011*). Vide etiam *Monitore* (*III.* 1 *157*). Consecrationem amitteret quoque petra sacra, si (etsi intacto sepulcro) ipsa fractionem subiisset. Non tamen quaelibet modicissima fractio (v. g. in extremitate angulorum) sufficeret; bene vero oporteret ut divisa remansisset in aliqua ex iis partibus in quibus aliqua sacra unctio fuerit adhibita, vel subtiles candelae accensae, vel thus crematum. Cf. Gardellini (*not.* ad Decr. C. G. *n. 4577*).

Celebrare autem in altari dissacrato, **mortalis culpa** est, S. Lig. *(n. 373)*. Excipe nisi magna necessitas celebrandi Missam die festo (alio altari deficiente) urgeret, neque prius provideri potuisset. (Gousset).

II. Oportet ut sub altari **corpora defunctorum** sepulta non fuerint. Imo, si aliqua sepultura prope altare adesset, oporteret ut ista saltem tribus cubitis (scilicet uno metro) ab altari ipso (etsi non a praedella) distaret. Secus vel corpora essent exhumanda et alibi sepelienda, vel a celebratione Missae in huiusmodi altari sub gravi foret abstinendum, si tamen alterutrum sat facile fieri posset. (Decr. *3339*).

III. Ut Missa in altari celebrare liceat, oportet etiam ut in medio illius intra candelabra adsit **Crux**; et haec omnino debet esse tam Sacerdoti quam populo adeo *visibilis et conspicua*, ut Passio D. N. I. C. memoriae de facili occurrere possit; unde *exiguae* Cruces positae super tabernaculum vel iconem secundarium certe non sufficiunt.

Cf. Bened. XIV Const. *Accepimus*, et Decr. S. R. C. *(n. 2621)*, quod sic prostat: « An et quibus remediis removendus sit abusus collocandi « parvam crucem vix visibilem, vel supra tabernaculum vel supra aliquam « minorem tabulam sitam in medio altaris, loco Crucis collocandae inter « candelabra, ut rubrica praescribit? Reprobandum abusum; et, ubi in- « valuit, Ordinarius loci provideat iuris et facti remediis. Quod si ob « aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, « alia tempore sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam cele- « branti quam populo.... Sanctitas sua.... decretum expedire et publici « iuris fieri mandavit: locorum Ordinariis stricte praecip'ens ut omnimo- « dam illius observantiam urgeant ».

CIRCA ECCLESIAM.

402. I. Parochi, qui **restaurationes** necessarias non procurant, vel munditiei atque decori propriae ecclesiae non consulunt, peccant certe, atque interdum mortaliter. Neque se excusent paupertate; si enim pretiosa non possunt, saltem munda et nitida procurent. Pauperes sunt Cappuccini, eorumque ecclesiae pauperculae, sed quam mundae, quam nitidae sunt!

II. In qualibet Ecclesia **sacrarium** adesse debet. De Herdt (*I.* 1 *54*).

III. Habitare diu noctuque et etiam dormire in cameris aedificatis super Ecclesia vel Capella, in quibus quotidie celebretur, omnino prohibetur. *Decr. 756.*

IV. Fenestra, ianua, odeum in pariete etiam divisorio Ecclesiae vel oratorii publici non licet privatis *laicis* sine indulto Apostolico. In dubio tamen de hoc indulto, si magnae adessent difficultates, tolerari possent. Vide decreta apud Appaltern *Manuale liturgicum. Tom. I pag. 33.*

V. Vetantur illae **tabellae votivae,** in quibus partes minus honestae repraesentantur. Decr. apud Acta *XIV 93.*

V. De **sacris accademiis** et similibus, quae in ecclesiis peragantur, decretum in contrarium, quod aderat in collectione Gardelliniana *(n. 3322),* in collectione novissima non reperitur.

N. B. De pluribus aliis circa Ecclesias et Oratoria sermo habebitur infra, ubi *De Sacrificio Missae.*

CIRCA ORGANUM, CYMBALA, ET HARMONIUM.

403. I. Tempore adventus et quadragesimae organum regulariter pulsari nequit. Excipe 1° Dominicas *Gaudete* et *Laetare.* 2° Festa solemnia eo tempore occurrentia, v. g. Annuntiationis et S. Iosephi. 3° Feriam quintam in Coena Domini, et Sabbatum Sanctum. 4° Occasiones magnae laetitiae, v. g. ad ingressum et discessum episcopi qui solemniter celebraturus sit, vel etiam alterius episcopi aut cardinalis quem episcopus dioecesanus sic honorare voluerit. Ita caeremoniale episcoporum (*I.* XXVII).

II. Sonitus organi *in missis et exequiis defunctorum* est contra idem caeremoniale episcoporum, quod dicit *(L. I. C. 28):* « In missis et officiis defunctorum nec « organo, nec musica utimur, sed cantu firmo ». Nihilominus apud nos iamdiu efformata fuit *consuetudo* in contrarium, dummodo in tono minori sonitus et musica adhibeatur; idque proinde licitum ab omnibus reputatur.

In collectione Gardelliniana (*n. 807*) adest sequens decretum: « Lectae « fuerunt litterae Archiepiscopi Ianuensis respondentis, in sua Metropoli « ab immemorabili tempore solitum esse in missis mortuorum adhiberi « etiam organum, sed sono quodam moesto et lugubri; quibus stantibus « S. R. C. respondit, id etiam posse permitti in ecclesia Savonensi, non « obstante prohibitione Ordinarii ». Decretum istud, eo quod non repe-

riatur in collectione novissima, certe abrogatum fuit. Sed hoc nihil obstat; in Dioecesi enim Savonensi non aderat consuetudo, atque insuper Ordinarius se opponebat; quibus proinde in circumstantiis S. C. amplius non vult ut decretum valeat.

III. Quomodo autem sonitus organi non debeat esse profanus, nec quidquam ineptiae, scurrulitatis, levitatis (maxime vero lasciviae) praeseferat, statim dicam.

404. *Quid de* ***cymbalis*** *et de* ***harmonio?***

I. Quoad cymbala (it. *pianoforte*), Motus Proprius (*22 Nov. 1903*) SS.mi D. N. Pii X dicit quod in Ecclesia illis uti non licet.

II. Quoad harmonium, notari debet quod in hebdomada maiori illo aut aliis instrumentis (v. g. *violini*, *contrabassi* etc.) pro lamentationibus, responsoriis, psalmo *Miserere* etc. uti non licet; ut patet ex decretis *20 Mart. 1903*, et *8 Ian. 1904* (apud *Monitore Vol. XV p. 494*).

CIRCA CANTUM FIRMUM.

405. De cantu isto (qui est sine metro, et dicitur etiam Gregorianus, vel planus, et qui, si plures cantent, est semper unissonus), refero imprimis nonnulla documenta.

I. Tridentinum *(Scss. XXIII Cap. XVIII)* dicit, clericos cantum sacrum addiscere debere. Et SS.mus D. N. Pius X in Motu Proprio *22 Nov. 1903*, dicit: « In Seminariis clericorum et in conventibus ecclesiasticis, « iuxta Tridentini decreta, magna cum diligentia et studio cantus grego- « rianus, quem transmisit traditio, colatur, et illum colentibus iuvenibus « Superiores omni modo faveant ».

II. *(De Guadalaxara)*. Rev.mus Archiepiscopus Guadalaxarensis in Mexicana Republ. exponit S. R. Congregationi.

« Dubium I. Non attendere in Missae celebratione ad cantum in « Missali expressum, sed quamdam cantilenam traditionalem cantare nul- « libi adnotatam, ideoque ad arbitrium variabilem, estne ut usus legitimus « retinendus, vel ut corruptela extirpanda?

« Dubium II. Quatenus affirmative ad secundam partem, qualis cantus « in Missa adoptandus; an Romanus Gregorianus in Pontificalibus et uni- « formiter in Missalibus Mechliniae, vel Hispanus diversimode in Hispa- « nicis Missalibus impressus?

« Sacra porro eadem Congregatio propositis dubiis rescribere rata est:

« Ad primum, negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

« Ad secundum, adhiberi debere editiones a S. R. Congregatione « adprobatas, vel exemplaria quae authentico Ordinariorum testimonio « cum illis cohaerent ». Atque ita rescripsit et servari mandavit. *Die 21 Aprilis 1873 (n 3292)*.

(Romana) A S. Rit. Congregatione postulaverunt plurimi: « An « intonationes Hymni Angelici ac Symboli, nec non singulae modulationes

« a celebrante in Missa cantata exequendae, videlicet Orationum, Praefa-
« tionis, Orationis Dominicae et cum relativis responsionibus ad chorum
« pertinentibus, ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali, an
« mutari potius valeant iuxta consuetudinem quarundam Ecclesiarum?

« Et eadem S. R. C. audito voto Commissionis Liturgicae, reque
« mature perpensa, censuit rescribendum: Affirmative ad primam partem;
« negative ad secundam; et quamcumque contrariam consuetudinem esse
« eliminandam iuxta Decretum *21 Aprilis 1873*. Atque ita rescripsit et
« servari mandavit », *Die 14 Martii 1896* (*n. 3891*).

III. Alio autem Motu Proprio *(25 Aprilis 1904)* idem SS.mus D. N. Pius X dicit; « Ut vero inceptum opus, veluti decet, perficiatur, et nostra
« Romana Ecclesia omnesque eiusdem ritus Ecclesiae communem textum
« melodiae liturgicae gregorianae habeant, typis nostrae officinae Vaticanae
« libros liturgicos cantum S. Romanae Ecclesiae a nobis restitutum conti-
« nentes decernimus... Volumus ut pro hac editione redactio partium can-
« tum continentium, praecipue monachis... monasterii Solesmensis detur...
« Adprobatio a Nobis et a Nostra SS. Rituum Congregatione danda libris
« cantus ita exaratis atque editis, huiusmodi erit ut in posterum nemini
« liceat libros liturgicos adprobare, si hi etiam in partibus cantum respi-
« cientibus, sive non sint omnino conformes editioni a Typographia Vaticana
« editae nobis auspicantibus, sive non sint, iuxta commissionis iudicium,
« adeo similes eidem, ut introductae variantes a bonis aliis codicibus gre-
« gorianis provenire ostendantur... Nobis et Successoribus nostris facultа-
« tem reservantibus aliter disponendi ».

406. Ex his sequentia deducuntur.

Adest obligatio 1° docendi et addiscendi cantum Gregorianum. 2° Typis non imprimendi Missalia, Pontificalia et libros chorales (nempe Gradualia, Antiphonaria et Vesperalia), nisi sint prorsus conformes editioni typicae et authenticae quae a Typographia Vaticana evulgabitur. Missalia tamen, Gradualia etc., quae nunc habentur, tolerantur, donec a S. Sede aliud non statuatur. 3° Evitandi prorsus (non obstante consuetudine) in missis cantatis modulationes sive arbitrarias sive traditionales, quae neque in futura editione typica, neque in missalibus dioecesanis prostent.

407. Denique circa cantum firmum summus Pontifex in dicto Motu Proprio ait: « *Praesertim apud populum*
« *cantus Gregorianus est instaurandus, quo vehementius*
« *Christocolae, more maiorum, sacrae liturgiae sint rur-*
« *sus participes* ».

CIRCA MUSICAM FIGURATAM ET ALIA SIMILIA NOTATU DIGNA.

408. Musica figurata est quae (ad differentiam cantus plani) tempore semper aequali (it. *a battute eguali*) mensuratur, atque ut plurimum est harmonica seu polifona,

vel etiam notis chromaticis (scilicet *subdivisis*) peracta, quae saepe cantu simul et sonitu (sive organi sive aliorum instrumentorum), et interdum solo sonitu vel solo cantu perficitur.

Musica figurata est duplicis generis; alia enim propius accedit ad cantum gregorianum, pro usu ecclesiastico solemniori invecta fuit, et operâ praecipue celeberrimi Joannis Petri Aloysii Praenestinensis (vulgo *Palestrina*) magnam perfectionem obtinuit, atque ab illo nomen sumpsit. Alia autem pro usu profano initium habuit et modo atque stylo valde diverso perficitur, et moderna appellatur.

409. Mens summi Pontificis est ut Musicae Praenestinianae magna praeferentia detur, eaque, ubi media non deficiant, practice adhibeatur. Motus proprius dicit: « Clas- « sica poliphonia (praenestiniana) optimo exemplo musicae « sacrae cohaeret; quam ob rem simul cum cantu gregoria- « no accepta fuit in solemnioribus liturgiis Ecclesiae, quae « sunt illae *Pontificiorum musicorum* (della cappella pon- « tificia). Instauranda est igitur et ista in maximis basi- « licis, in ecclesiis cathedralibus, in seminariis aliisque « ecclesiasticis conventibus, in quibus media deficere non « solent ». Et musica ista utique pulcherrima est. Pius IV, illâ auditâ, exclamavit: *Queste sono le armonie del cantico nuovo, che l'Apostolo S. Giovanni udì risuonare nella celeste Gerusalemme, e che un altro Giovanni terreno fece ora sentire nella Gerusalemme terrestre.*

410. Admittitur etiam musica moderna, dicente eodem Motu Proprio illam quoque ostendere compositiones talis bonitatis, serietatis et gravitatis, ut liturgicarum functionum nullatenus indignae sint.

411. Attamen musica ista moderna, quae non iam pro Ecclesia (sicut praenestiniana), sed pro usibus profanis (et maxime theatralibus) invecta fuit, ut domui Dei bene deservire possit, cautelis indiget omnino necessariis; quae sunt speciatim sequentes.

I. Oportet ut musica sacra **nullatenus sit scandalosa.** Motus Proprius dicit: *Nihil in ea det motivum scandali.* Et prius Tridentinum (*XXII De observ. et vit. in Miss.*

celebr.) dixerat: « Ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive or-
« gano sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur...
« arceant (Episcopi) ».

Hinc cavendum ne musica excitet ideas eroticas et sensus amatorios: prout facile contingeret si in ea adessent melodiae, quae vel ab operibus theatralibus (utique ordinarie eroticis et amatoriis) extractae fuissent, vel ad choreas deservirent. S. R. C. in Ordinatione (it. *Regolamento* apud *Acta S. Sedis* Vol. XVII. pag. 340) ad Episcopos missa (*24 Sept. 1884*) dixit: « Severissime inhibetur sonitu in Ecclesia referre quamlibet etsi « minimam partem vel (ut aiunt) reminiscentiam concentuum, qui in thea- « tris, sive in drammate peragendo sive in choreis sociandis dirigendisve, « cuiuscumque generis sint, fieri consuererunt, cuiusmodi sunt *Polke*, « *Walzer*, *Mazurche*, *Minuetti*, *Rondò*, *Scottisch*, *Varsoviennes*, *Quadri-* « *glie*, *Gallopp*, *Contradanze*, *Lituane ecc.* ». Sic enim de choreis et theatris, nec non de rebus peioribus quae eis connectuntur, nedum recordatio sed etiam desiderium facile excitaretur.

II. Oportet ut musica non sit **profana.** Motus Proprius dicit. *Debet excludere quamlibet profanitatem.* In Ecclesia enim omnia sacra esse debent: imagines sacrae, vasa sacra: indumenta sacra: eloquentia sacra: functiones sacrae, etc.; ergo musica quoque debet esse sacra. Hinc necesse est ut musica devotionem conciliet, atque ad alios usus non deserviat; divinae enim Maiestati non congruunt ea quae ad profanos usus inserviunt; unde musica, propria, originaria et cultui exclusive accomodata, esse convenit. Patet etiam ex Caeremoniali Episcoporum dicente (*I.* XXVIII): « Cavendum ne proferantur cantus... profani ».

Huiusnodi essent sonitus, qui pro hymnis nationalibus, canticis popularibus, et itineribus militaribus (it. *marcie militari*) adhibentur.

III. Oportet ut **conveniat decori et maiestati domus Dei.** Motus Proprius dicit: *Nihil in templo sit quod SS. Rituum decus offendat, ideoque orationis domo et Dei maiestate minime sit dignum.* Cavendum itaque ne musica sacra (ut monet etiam Caerimoniale Episcoporum) contineat scurrilitates, vel cantus ludicros, vel ineptias, vel ioculos (etsi pulcherrimos); aut sit concinnata modis nimis levibus mollibusque, cuiusmodi sunt quae dicuntur v. g. *cabalette.* Quid si ageretur de canticis seditiosis, vel prorsus trivialibus etc., eisque sanctissima et augustissima verba Missae substituerentur? Motus Proprius dicit, hoc esse *rursus dare*

Domino flagella, quibus olim Iesus Christus e templo expulit profanatores.

IV. Oportet ut **verba bene intelligantur.** Motus Proprius dicit: *Textum liturgicum debet cani semper modo christifidelibus intelligibili.* Prius autem Caerimoniale Episcoporum dixerat: « Vocum harmonia sit devota, distincta, ac intelligibilis ». Et Benedictus XIV. (Const. *Annus*) subiuxit: « Illud imprimis curandum, ut verba perfecte pleneque intelligantur ».

Verba autem reddi possunt parum vel nihil intelligibilia duabus de causis.

Prima est si, propter nimium organi vel instrumentorum fragorem, quasi sepulta remaneant. Motus Proprius dicit: *Cantus vocalis superesse debet; organum et musica instrumenta eum tantum substineant, non opprimant. In Ecclesia uti non licet tympano* (tamburo), *magno tympano* (gran cassa), *catillis* (piatti), *tintinnabulis* (campanelli), *et similibus.*

Secunda causa est si, propter verborum omissiones, transpositiones, nimias repetitiones, syllabarum obtruncationes etc., confusio inducatur. Motus Proprius dicit: *Textum liturgicum prout iacet in libris absque verborum mutatione vel postpositione, vel nimiis repetitionibus et absque syllabarum obtruncatione, semper cani debet.*

V. Oportet ut musica **nec taedium nec fastidium ingeneret;** quod quidem sive propter malam compositionem sive propter malam executionem provenire posset. In hunc finem Motus Proprius dicit: *Fastidii occasionem non praebeat.... Praedita sit bonitate formarum.... Sit ars vera... nec solum in se bona sit, sed etiam bene executioni demandetur.* Ut autem executio bona sit, necesse est ut 1° musici sint idonei, et saltem (si laici forent) vitae probitate ita praediti ut ab iisdem nihil indecori timeri possit. 2° Musica illa particularis eorum viribus sit proportionata. 3° Experimenta (quae ordinarie prorsus necessaria sunt it. *prove*) praemittantur.

VI. Oportet ut **distractioni et murmuri occasionem non praebeat.** Motus Proprius dicit: *Nihil sit quod pietatem et devotionem fidelium turbet vel minuat.* Huius

autem mali effectus occasiones solent esse duae. Prima est quando non a multis simul sed ab uno prolixe (instrumentis fere prorsus tacentibus) perficitur ; idque maxime si nimis artificiose et curiose (magis scilicet gutture quam ore utendo) procedat. Secunda est si in *Kirie,* vel *Gloria,* vel *Credo* plures partes fierent atque intervallis seiungerentur. Haec enim facile distractionem atque in intervallis murmur excitare solent. Hinc Motus Proprius dicit : *Musica servare debet formam chori. Non equidem prorsus excluditur vox sola, sed haec nunquam debet esse praedominans; sed videatur potius simplex indictio melodica, et cum compositione stricte colligatur.*

Dicit etiam: *Kirie, Gloria, Credo, habeant unitatem compositionis ; nec liceat partes separatas conficere, quasi singulae perfecta in se compositio videantur.*

VII. Oportet ut liturgiae praeiudicium non inferat *nec cogat ut sacerdos plus quam conveniat ad altare remanere cogatur.* De hoc praeceptum facit etiam Motus Proprius, qui subiungit : « Iuxta ecclesiastica decreta *Sanctus* Missae ante elevationem perficiatur; ideoque etiam « Sacerdos celebrans cantorum rationem habeat. *Gloria* « et *Credo,* iuxta gregorianam traditionem brevia satis « sint. Generatim est omnino damnandum, ut malus usus, « in sacris solemnibus liturgiam inferiorem locum habere, « quasi musicorum ancilla esset. ».

VIII. In omnibus oportet ut musica sacra *ad scopum proprium tendat,* ut scilicet fideles cum maiori devotione, facilitate et gustu spirituali, concipiant affectus, quae ritui verborumque significationi correspondent. Motus Proprius dicit : *Eius praecipuum munus est concentu opportuno verba liturgiae exornare, ut fideles illa melius intelligant, et facilius ad devotionem excitentur.*

Quod tamen sensui verborum correspondere debeat, non ita stricte accipi debet, sed nulla unquam exceptio sit facienda ; ut enim dicitur in Motu Proprio : « In hymnis « Ecclesiae forma traditionalis hymni ipsius servetur ; unde « non licet, v. g., *Tantum ergo* ita componere ut prior « stropha un' *adagio,* et secunda un' *allegro* videatur ».

412. *Quid de musica urbana*, (*it.* banda)?

Motus Proprius dicit: *Musicae urbanae usus rigorose prohibetur in Ecclesia; et solum in aliquo casu speciali cum consensu Ordinarii, poterunt admitti aliqua instrumenta vocalia* (*it.* a fiato), *iudicioso delectu et in proportione loci, dummodo omnia composita sint in stylo gravi etc.*

In processionibus tamen licebit illam admittere: annuente Episcopo, dummodo compositiones nullatenus sint profanae.

413. *Quid de obligatione Episcoporum, ut in Dioecesi sua musica sacra bene procedat?* Motus Proprius iubet 1° ut in hunc finem societatem (it. *commissionem*) instituant, quae provideat et vigilet. 2° Ut in seminariis nedum colatur cantus gregorianus, sed etiam adsit *schola cantorum* pro sacra poliphonia. 3° Ut eadem schola in praecipuis quoque Dioecesis locis et ecclesiis instituatur. 4° Ut in scholis primariis (v. g. liturgiae, theologiae etc.) instructio circa principales, quae hic expositae fuerunt, musicae sacrae regulas non praetermittatur.

414. *An actu quo benedicitur populus cum SS.mo Sacramento aliquid cantari possit?* S. R. C. respondit: « In benedicendo populum cum SS.mo Sacramento cele- « brans nihil dicere, cantores et musici nihil quoque ca- « nere interim debent, ad praescriptum Ritualis Romani « et Caerimonialis Episcoporum, non obstante quacumque « contraria consuetudine. Atque ita rescripsit ac servari « mandavit » (*Decr. n. 2464*). Aliud esset de consuetudine aliquid cantandi immediate post benedictionem (*Decr. 2698*). Idem dic (ut omnes norunt) de obligatione tacendi momento elevationis in missa.

415. *Quid de canticis quae non latino sed* ***nationali sermone*** *in ecclesiis adhibeantur?* Motus Proprius dicit: « *Ecclesia latinâ linguâ utitur. In sacris igitur « liturgiis prohibetur quidlibet vulgari sermone canere* ». Hoc tamen intellige quoad functiones stricte liturgicas, et quatenus cantica functionum ipsarum partem constituant atque a celebrantibus vel a choro perficerentur. In casu diverso enim consuetudini stari posset. Hac de re habemus imprimis decretum (sub *n. 3124*) sequentis tenoris:

« Utrum tolerari possit consuetudo canendi hispano (scil. *nationali*) « idiomate carmina aliosque similes modos musicos coram exposito SS.mo « Sacramento aut in eius processionibus....: an potius, quamquam populus « moestaretur, evellenda sit? Et quatenus negative ad primam partem: « num saltem consuetudo cantandi carmina vulgari sermone in ecclesiis, « non exposito Sacramento, esto divina officia celebrentur, necne, servari « possit? R. Attenta consuetudine, tolerari posset ». Ex hoc decreto (et alio simili *31 Ian. 1896* apud Acta *Vol. XXVIII pag. 505*) patet quod praxis apud nos vigens italico sermone cantandi laudes sacras, etiam tempore Missae pro praeparatione ad communionem generalem etc., certe licet.

Vetatur itaque solum ne cantica vernacula ipsius functionis strictae liturgicae partem constituant, ut puta, si in Missa solemni cantores (qui chorum constituunt) huiusmodi cantica exequerentur; qua de re valet etiam sequens decretum (*n. 3496*): « Utrum tolerentur cantica in lingua verna- « cula etiam in Missis quae cum cantu celebrantur, salvo semper remanente « usu cantandi *Introitum, Gloria, Credo, Sanctus,* et *Agnus Dei?* » Respond. « Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et officiis liturgicis « non esse toleranda, sed omnino prohibenda; extra functiones liturgicas « servetur consuetudo ».

416. *Possuntne etiam* ***mulieres*** *tamquam cantatrices in Ecclesia adhiberi?* Motus proprius dicit: « *Cantoris in* « *Ecclesia liturgico munere funguntur, ideoque mulieres,* « *cum huius muneris non sint capaces, admitti non pos-* « *sunt ad chorum vel ad musicos* ». Chorus enim spectat ad Levitas vel ad illos laicos qui ex consuetudine ecclesiastica Levitarum vices supplent. Et hoc in puncto habemus etiam decretum (*n. 3964*) quo mulieribus et puellis omnino interdicitur ne intra vel extra chorum cantent in Missis solemnibus, non obstante consuetudine quae quam primum et prudenter eliminari deberet. Vide Scavini (*Vol. IV n. 335*) ubi valde reprobatur consuetudo quod in Gallia, Helvetia, Germania et Anglia mulieres sive solae sive una cum viris in orchestra (etsi per crates a conspectu fidelium subductae) divina officia cantent.

Adest etiam decretum *29 Nov. 1901* (apud *Monitore Vol. XIV pag. 50*), in quo probatur quidem usus ut mulieres cantent in processionibus (quando tacet clerus) post statuam B. Virginis aut alicuius Sancti; sed non intra Ecclesiam.

Si tamen consuetudo esset ut etiam intra Ecclesiam sacra functione a sacerdotibus nondum incepta aut illa iam absoluta (v. g. occasione mensis mariani, vel sacrae missionis, speciatim ruri etc.) mulieres cantarent, neque Episcopi unquam se opposuerint, Parochi aliique Ecclesiarum Rectores id permittere possunt, ut dicit etiam *Monitore* (*Vol. XVI pag. 42*).

417. *An quae circa cantum gregorianum et musicam sacram in Motu Proprio SS.mi D. N. Pii X statuuntur vere obligent et* ***vim legis habeant?*** Affirmative; in

illo enim expresse dicitur: « *Hanc nostram Instructio-* « *nem in lucem edimus, cui, quasi codici iuridico musi-* « *cae sacrae ex plenitudine nostrae Apostolicae auctori-* « *tatis volumus ut vis legis detur, et mandamus ut omnes* « *illam exacte servent* ». Adde S. R. C. Decretum generale Eiusdem iussu emissum die *8 Ian. 1904.*

N. B. Textum authenticum *Motus Proprii* italico idiomate exaratum fuit, et prostat apud *Acta S. Sedis (Vol. XXXVI pag. 329).*

CIRCA SACRAS IMAGINES.

418. In una eademque Ecclesia exponi nequeunt duae imagines aut statuae, quae eundem Sanctum, aut B. Virginem sub eodem titulo, repraesentent. Cf. *Decr. 23 Febr. 1890* (apud Acta *Vol. XXII pag. 501*), et litteras encycl. ad Episcopos (*20 Maii 1890 l. c. pag. 739*).

Tempore Passionis sacrae imagines cooperiendae sunt iuxta Rubricam, nec exceptio fieri posset quoad imaginem Sancti Titularis aut S. Iosephi, si tunc eorundem festum recurreret (*Decr. 926* et *3396*). Attamen Statua B. V. Dolorum, iuxta consuetudinem, exponi potest sive feria V et VI maioris hebdomadae, sive feria VI post dominicam Passionis, ut patet ex decretis *2375* et *2682 ad 52.* Idem dicendum videtur de Imagine SS.mi Crucifixi, quae ostendi solet in fine concionis Passionis D. N. I. C., et a Missionariis ad contritionis sensus magis magisque in populo excitandos, ut dicit *Monitore* (*III.* III *29*). Utcumque notandum quod in quibusdam circumstantiis, quae iustam causam constituant tunc aliquam imaginem detegendi, a S. R. C. dispensatio (petente Episcopo) obtineri poterit.

CIRCA RELIQUIAS

419. Ut sacrae reliquiae possint publice exponi, exigitur ut sint authenticae et ab Episcopo loci approbatae, debitisque sigillis munitae (Gardellini *not. ad Decr. C. G. 4542*); vel ut *ab immemorabili* cultus iisdem praestitus fuerit. (Cf. *Monitore III.* III *141*).

Reliquiae, quae inter candelabra poni solent, tegendae sunt, nisi saltem duo lumina ante ipsas ardeant; quod

semper necessarium est ut Reliquia detecta exponi possit; idque verum esset quamvis ad modum ornamenti tantummodo ibi reliquiae tenerentur: *Decr. 3029 ad 13.*

Reliquia SS.mae Crucis in theca debet esse sola; si enim esset simul cum aliis reliquiis, publice exponi non posset. Vide *Monitore* (*XIV. 537*).

CIRCA VEXILLA.

420. « Non esse benedicenda vexilla, nisi earum so-» cietatum, quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica « adprobata fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant, et « aliquod religionis signum, nullum autem emblema repro-« bandum praeseferant ». Vide Rituale.

« Quoad vexilla in ecclesiam introducenda, non esse « admittenda, nisi vexilla confraternitatum, et ea quae « benedicta fuerint, ut supra ». S. C. S. O. (*3 Oct. 1887*) ».

Ne vexilla quidem Municipii, Gymnasii, Universitatis, Institutorum etc. recipi possunt. Decr. S. R. C. *14 Iul. 1887* (sub *n. 3679*).

Parochus, praevidens casum, deberet admonere antecedenter; et, si admonitio inutilis evaderet, a sacra functione (iuxta idem decretum) abstinere deberet.

CIRCA BAPTISTERIUM.

421. Fontis baptismalis benedictio in sabbato ante Pentecosten omnino renovanda est. (*Decr. 2878*).

Duae stolae (violacea una, alba altera) exiguntur; nec regulariter una versicolor pro duabus sufficit. (Cf. Baruffaldi *X.* XVI et *XI.* XVI).

Cavendum ne pro veste candida linteolum longe aliter quam candidum adhibeatur.

CIRCA CONFESSIONEM.

422. Sedes confessionalis in ecclesia loco patenti adesse debet. (*Rit.*).

Tempore nocturno confessiones mulierum excipi nequeunt. S. C. Epp. (*21 Ian. 1631*) apud S. Lig. (*Prax.*

119) sic decrevit: « Confessarii sine necessitate audire « non debent mulierum confessiones post crepusculum ve- « spertinum et ante auroram ». Occurrente autem necessitate, lumina apponantur, et ecclesia omnibus pateat aut saltem aliquae personae adsint. De Herdt (*III.* VI *12*).

Confessarius monialium ingrediens monasterium excipiendus est a duabus monialibus senioribus, quae illum euntem et redeuntem recta via comitentur, manentes in cellae apertae ianua, ita ut confessarium et infirmam non quidem audire sed videre possint. S. C. C. (*10 Maii et 5 Iul. 1727*). Si tamen monialis infirma esset surda, aut si ianua nimis propinqua foret, tunc hoc decretum cum mica salis intelligi deberet.

In administrando Sacramento Poenitentiae in confessionali adhiberi debet stola iuxta consuetudinem; sed, si in Dioecesi non adesset consuetudo illam adhibendi, etiam sine illa administrari posset. Rituale et *Decr. 31 Aug. 1867* sub *n. 3158*. Vide *Monitore* (*XVI 41*).

CIRCA OLEUM SANCTUM.

423. Nova olea (feria V in Coena Domini) sumi et deferri debent per sacerdotem, aut clericum (si fieri possit) in sacris. *Decr. 3879.*

Quod remanserit de oleis in ampullis, ponitur in lampadibus Ecclesiae ante Sacramentum ut comburatur. Reliquum autem quod est in capsulis cum bombyce, igne comburatur. *Pontif. Rom.*

Oleum infirmorum non domi sed in ecclesia, sub clave diligenter custodienda, retineri debet; excepto dumtaxat casu in quo sacerdos curam animarum habens ab ecclesia valde distaret; tunc enim ille in loco tuto atque decenti Sacrum Oleum etiam domi retinere poterit. *Decr. 2650.*

Sacerdos debet per se ipsum atque decenter S. Oleum deferre; et, seclusa necessitate, cavebit ne laici illud deferant; et ne in domo infirmi illud relinquat.

S. Oleum apud infirmum super mensam mappa candida coopertam poni debet.

Administrandum est non solum cum stolâ sed etiam cum superpelliceo.

Antequam administretur, candelam ceream accendere, Crucifixum infirmo osculandum praebere, atque adstantes ut pro infirmo orent admonere oportet.

Bombacii globuli, quibus loca inuncta fuerunt abstersa, ad ecclesiam reportari debent, ut suo tempore comburantur cineresque in sacrarium mittantur (*Rituale*).

CIRCA COMMENDATIONEM ANIMAE.

424. Superpelliceum et stola violacea adhiberi debent.

Aspersio, cum aquâ benedicta, osculum Crucifixi, et accensio candelae exiguntur.

Litaniae recitari possunt quamvis agonia adhuc non incoeperit ; sed oratio *Proficiscere* recitanda est solum quando mors proxima esse videatur. Orationes, quae stricte praescribuntur, sunt *Proficiscere, Deus misericors*, *Commendo te, Suscipe Domine, Commendamus tibi*, et *Delicta iuventutis*. Reliqua autem, nempe Evangelium, Passio etc. sunt solum de consilio. Sunt tamen de praecepto verba quae in expiratione praescribuntur (*Rituale et Doctores communiter*).

CIRCA BENEDICTIONEM IN ARTICULO MORTIS.

425. I. Haec potest dari etsi mors non adhuc foret imminens, dummodo infirmus in periculo mortis versetur. S. C. Indulg. *10 Dec. 1885* (Cf. *Monitore IV.* II *8*).

II. Antequam haec benedictio tribuatur, oportet ut saltem Sacramenta Poenitentiae et SS.mi Viatici administrata fuerint, ut patet ex formula concessionis (Cf. *Avvisatore An. IV pag. 208*). Si tamen haec Sacramenta sive inculpabiliter sive etiam culpabiliter administrata non fuissent, et tempus et modus illa administrandi amplius non suppeteret, benedictio dari posset. (Decr. auth. S. C. Indulg. *n. 237*).

III. Unica benedictio cum indulgentia plenaria (non vero plures, etsi a diversis sacerdotibus vel ex diverso

titulo, v. g. ratione alicuius confraternitatis) moribundis dari potest, eodem permanente mortis periculo (Decr. auth. *n. 286 et 362*); nec obstat, si benedictione concessa, infirmitas adhuc valde perduraverit (*Decr. 263*); aut si aegrotus in peccato mortali illam recepisset, vel postea relapsus fuisset (*Decr. 257*); indulgentia enim lucratur momento mortis: non vero quando benedictio dătur (*Decr. n. 9*).

IV. Si aegrotus sit compos sui, tunc ad benedictionis valorem est de essentia, ut ille saltem corde (si ore non possit) *Iesus* nomen invocet, et Dei voluntati ita se committat, ut mortem quoque (si ita Deo placeat) patienter sufferat in satisfactionem poenarum quas peccando promeruit. Ita ex Rit., ex formula concessionis, et ex Bened. XIV Bulla *Pia Mater*.

V. Haec benedictio ex praecepto (et quidem etiam pueris si sint doli capaces, iuxta Decr. S. R. C. *n. 2650 in fin.*) dari debet si facultas habeatur: sin minus, adhortandus erit infirmus ut alias indulgentias consequatur.

CIRCA BENEDICTIONEM NUPTIALEM ET MATRIMONIUM.

426. I. Benedictio nuptialis tempore vetito (scilicet Adventus et Quadragesimae) necnon solemnis sponsae traductio ita interdicitur, ut Episcopus dispensare nequeat. Simplex autem matrimonii celebratio iustis de causis ab Episcopo approbandis tunc etiam permittitur. S. R. C. *14 Augusti 1858* (*Decr. 3079*).

II. Benedictio nuptialis certe dari nequit nisi in ecclesia; et solum dari potest intra Missam (*Decr. cit.*).

III. Si matrimonium sine benedictione nuptiali celebretur, tunc ius commune non praecipit, sed solum suadet ut in ecclesia celebretur. Ferraris (v. *Matrim. n. 57*) et Baruffaldi (*XLI 169*).

IV. Benedictio nuptialis (quae consistit in orationibus *Propitiare, Deus qui*, et *Deus Abraham* quae sunt in Missa pro sponso et sponsa) prohibetur nedum tempore vetito (ut supra), sed etiam si mulier sit vidua (*Decr. 2461*). Hoc tamen intellige si in primis nuptiis benedictionem receperit; secus enim esset, si tunc illam non rece-

pisset. S. C. S. O. *31 Aug. 1881* apud Acta S. Sedis *Vol. XIV pag. 513.*

V. Missa *pro sponso et sponsa* celebrari nequit 1° si benedictio nuptialis non sit danda; et tunc ne simplex quidem eiusdem Missae commemoratio fieri potest (*Decr. 2797*). 2° In diebus dominicis, in festis de praecepto, et in duplicibus primae vel secundae classis. Tunc tamen facienda erit commemoratio de Missa pro sponso et sponsa, et sumendae erunt orationes ex eadem Missa pro benedictione nuptiali. Reliquis diebus (ut dicit Rubrica Missalis) celebrari poterit Missa pro sponso et sponsa (sine *Gloria,* sine *Credo,* cum *Benedicamus Domino*, necnon cum secunda et tertia oratione diei currentis. Color albus).

Quamvis autem Missale dicat *reliquis diebus celebrari posse Missam istam,* tamen Decretum *n. 2619* excipit etiam Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecosten, et Octavam Corporis Christi (si in loco sit privilegiata et excludat duplicia infra annum occurrentia). A Carpo autem (*1 40*) dicit excipi debere insúper Octavam Pentecosten (ob paritatem rationis).

VI. Si pro pluribus sponsis unica dicitur Missa, nihil immutari debet. (Del Vecchio *II 1023 not. 1*).

VII. Ad celebrandum matrimonium, sacerdos superpelliceum et stolam induere debet. Si autem immediate sequitur Missa, tunc praeter albam et stolam induere debet etiam planetam. (*Decr. 3158*).

VIII. Si sponsi sine benedictione nuptiali matrimonium contraxissent, illam recipere possunt postea. Nec obstaret si matrimonium ipsum iam consummassent et longum tempus iam elapsum fuisset. Oporteret tamen semper ut infra Missae celebrationem et extra tempus vetitum illam reciperent. Ita ex decreto S. C. S. O. (*31 Aug. 1881.* Apud Acta *Vol. XIV pag. 513*).

CIRCA ALIAS BENEDICTIONES.

427. I. *Cum quibus indumentis?* Rituale dicit: « *In « omni benedictione* extra missam Sacerdos saltem super- « pelliceo et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter « in missali notetur ». In *Decr. 3697* ad quaesitum: « Utrum « licite fieri possint *privatim* aliquae minores benedictio- « nes Ritualis Romani cum sola stola absque superpelliceo? »

Responsum fuit: *Servetur Rituale.* A Carpo (cum aliis Rubricistis) dicit: « In benedictionibus quae fiunt in altari « Sacerdos utitur pluviali... In *omni* autem alia benedi- « ctione extra missam, sacerdos saltem superpelliceo et « stola coloris officio convenientis (nisi aliter in Missali « vel Rituali notetur) indutus erit ».

Hoc tamen certe restringi debet ad benedictiones, quae cum aqua benedicta perficiuntur, ridiculum enim foret quod dum benedicitur mensa aut datur benedictio moniali illam ad collocutorium more solito petenti, superpelliceum et stola adhiberi debeat. Passim autem in Dioecesibus consuetudo est ut etiam quaedam aliae benedictiones sive in domibus privatis sive etiam in ecclesia dentur (adhibita quoque aqua benedicta) absque superpelliceo sed cum sola stola et quidem ordinarie quin respiciatur color diei. Equidem consuetudo ista a sola ratione expeditius procedendi atque incommodum declinandi introducta fuit, et reapse corruptela est; sed donec Episcopi illam non eliminent, parochi et sacerdotes usui communi se uniformare poterunt.

II. *Qua formula?* In benedictionibus uti formulis diversis ab illis quae sunt in Missali et Rituali (nisi constet a S. C. fuisse approbatas) non licet. (*Decr. 2689 et 2725 ad 9*).

Formulae approbatae reperiuntur in Rituali Rom., quod S. Sedis auctoritate cum Appendice, seu cum nova collectione benedictionum, editum fuit. Attamen quoad aliqua desunt omnino; et tunc adhibetur benedictio ad *omnia*, pro quo S. C. (teste a Carpo) probavit servandam sequentem.

Adiutorium nostrum etc.

OREMUS

Deus, cuius verbo sanctificantur omnia, bene✠dictionem tuam effunde super creaturam istam (vel creaturas istas), et praesta; ut quisquis ea (vel *eis*) *secundum legem et voluntatem tuam cum gratiarum actione usus fuerit, per invocationem Sanctissimi Nominis tui, corpori sanitatem et animae tutelam, te auctore percipiat. Per Christum D. N. Amen.*

III. *Qua auctoritate?* Benedictiones Episcopis reservatae, quae scilicet absque speciali illorum delegatione dari nequeunt, sunt sequentes; nempe supellectilis ecclesiae et vasorum sacrorum; Crucis atque sacrarum Imaginum (intellige si publice exponi debeant, ut ait A Carpo *V. 105*); Ecclesiae, oratorii, aut coemeterii novi vel polluti; habitus clericalis; telegraphi; contra mures aliaque animalia nociva; benedictio in articulo mortis; exorcismi circa personam a Daemone obsessam (intellige solemnes nempe in forma Ritualis, non vero privatos) Cf. S. Lig. (*III*, II *Cap. 2 App. De Adiuratione*) et Bened. XIV (Const. *Sollicitudini* et Const. *Magno*).

IV. Aliquae benedictiones ad parochos spectant exclusive et dicuntur mere parochiales (cuiusmodi est v. g. benedictio domorum in paschate); aliae autem mere parochiales minime sunt, et proinde ab aliis quoque dari possunt, cuiusmodi est v. g. benedictio mulieris post partum. (*Decr. 2123 ad 6*). Attamen benedictiones etiam nemini reservatae in aliena ecclesia, parocho vel rectore contradicente, dari nequeunt.

V. Circa *benedictionem domorum in Paschate,* duo sunt notanda.

Primum est quod abusus omnino eliminandas esset si, expleta benedictione per parochum, vice-parochus secundam perageret, neque valeret si Parochiani illam quoque requirerent. *Decr. 2270.*

Secundum est quod ad quaesitum: « Quum ob paroeciae extensionem parochus non possit in Sabbato Sancto « Paschae omnes fidelium domos perlustrare aspergendo « eas aqua Fontis, num valeat haec tam necessaria perlustratio anticipari iam inde a quarta Dominica Quadragesimae cum aqua de more solito benedicta? » S. R. C. (*20 Nov. 1885 n. 3645*) respondit: « Benedictio domorum « in casu fieri nequit ante Sabbatum Sanctum; poterit « vero fieri durante hebdomada Octavae Paschatis ».

Attamen, speciatim ruri, iusta et prorsus rationabilis consuetudo in contrarium adesse potest; et tunc utendum erit formula benedictionis domorum extra tempus paschale. Vide *Monitore* (*Vol. XV 318*)

VI. Circa *benedictionem mulieris post partum* S. C. Concilii (*18 Iun. 1859* apud Acta *I 349*) decrevit: « Ad « benedictionem ius tantummodo habere mulieres quae ex « legitimo matrimonio pepererunt ».

Benedictio autem esset danda quamvis proles sine baptismo decessisset. Decr. S. R. C. *19 Maii 1896* apud Acta (*Vol. XXVIII pag. 747*).

CIRCA SEPULTURAM ECCLESIASTICAM.

428. *Sepultura ecclesiastica in quo consistit?* In duobus: 1° In inhumatione cadaveris in coemeterio seu loco sacro. 2° In exequiis et coeremoniis a rituali praescriptis.

429. *Quinam sunt illi quibus sepultura ecclesiastica est deneganda?*

I. Infantes mortui sine baptismo et quilibet infideles.

Quoad infantes intellige 1° si sint nati vel per operationem caesaream extracti, non vero si intra uterum matris mortuae adhuc essent. 2° Habendos esse ut baptizatos, quamvis in dubio sub conditione baptizati fuissent. 3° Apud nos certe non baptizatos sepeliendos quidem esse extra, sed prope coemeterium. 4° Expedire ut intra coemeterium ipsum adesset pars aliqua non benedicta pro his parvulis reservata.

II. Haeretici et schismatici (ex secta)

Sacerdos catholicus non posset se praestare, quamvis minister haereticus deesset, et quamvis nec cadaver ad Ecclesiam esset deferendum nec campanae pulsari deberent. Acta (*Vol. XVIII pag. 343*).

III. Publici excommunicati, vel utcumque publici peccatores: attamen iuxta explicationes sequentes.

Stando in puncto iuris, sepultura ecclesiastica his denegari deberet quando ita mortui fuissent ut de eorum poenitentia nemo fidem faceret, eo quod in actu peccati vel in statu peccati (v. g. meretricii, concubinatus, officii illiciti etc.) non vocato sacerdote, obiissent; sed hodie apud nos haec denegatio restringitur ad paucissimos, cuiusmodi sunt sequentes.

a) Qui in morte recusaverint Sacramenta ex firma voluntate sic impie moriendi, idque iam notorium evaserit; quod practice quantum fieri potest, impediendum est, curando ut impoenitentia remaneat acculta; in quem finem deservire potest si, v. g. sacerdos de illa nihil dicat, et administrationen Viatici aliquo praetextu declinet; aut visitet moribundum dum in extremis iam amplius loqui nequit, et (si possit) dicat aliquod bonum signum animadvertisse etc.

b) Magni Ecclesiae persecutores; de quorum rescipiscentia ante mortem secuta nullatenus constet.

c) Qui, sive cum signis massonicis vel similibus, sive comitantibus sectariis (ut aiunt, in corpore), ad sepulturam deferri vellent; aut cum vexillis non benedictis in ecclesiam essent introducendi.

d) Illi, quorum cadaver ex eorundem voluntate esset cremandum (1).

---

(1) Circa casum *in quo cadaver esset cremandum* adest decretum S. C. S. O. (*15 Dec. 1886*) sequentis tenoris: « Quoties agatur de iis, « quorum corpora non propria ipsorum voluntate sed aliena voluntate cre- « mationi subiiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi possent tum « domi tum in Ecclesia, non autem ad cremationis locum, remoto scandalo. « Scandalum removeri etiam poterit si notum fiat, cremationem non pro- « pria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis qui pro- « pria voluntate certe et notorie usque ad mortem perseveraverunt.... « cum iis iuxta normas Ritualis Romani Tit. *Quibus non licet dare sepul- « turam ecclesiasticam.* — In casibus autem particularibus, in quibus du- « bium vel difficultas oriatur, consulendus erit Ordinarius, qui accurate « perpensis omnibus adiunctis id decernet quod magis expedire in Domino « iudicaverit ».

Circa casum in quo *emblemata massonica* in feretro apposita fuissent, adest decretum S. Poenitentiariae (in collectione *29 Mart. 1885*) in quo

e) Illi publici peccatores, quibus, si ecclesiastica sepultura concederetur, haec adeo malam impressionem faceret, ut iam omnes de sacerdotibus illam concedentibus valde scandalizarentur. Sed scandalum istud, praescindendo a casibus antecedenter expositis, apud nos vix unquam accidit, et certe ex hoc capite nemini, inconsulto Episcopo, sepultura denegari deberet. Facilius contingere potest quod pompae atque solemnitates exequiarum vitari debeant; quod scilicet in numero sacerdotum, sonitu campanarum etc. notabilem modicitatem (intellige relativam) adhibere oporteat.

IV. Suicidae, dummodo certe constet quod non opera aliorum vel casu involuntario mors evenerit, et dummodo etiam dementiae signa non dederint.

Si autem haec signa fuissent dubia, vel si bonae fidei indicia extitissent, sepultura concedi deberet, sed cum modicitate, ut supra.

V. Duellantes, si in loco duelli vel ex vulnere recepto in duello obiissent.

Bulla *Detestabilem* Bened. XIV sepultura acclesiastica eos privat quamvis poenitentes et absoluti obiissent; sed a rigore isto hodie facile recedendum est non solum si consuetudo in contrarium adesset, sed etiam si (attentis loci et temporis circumstantiis) severitas huiusmodi malam impressionem faceret, et religioni odium provocaret, ut bene docet Génicot *(Vol II. n. 628)*. Et ego dicèrem quod in omnibus casibus Episcopus consuli deberet.

CIRCA COEMETERIUM.

430. *An coemeterium cessare possit esse sacrum: et tunc quid agendum?*

I. Cessat esse sacrum quando evadit pollutum iuxta terminos iuris; quod accidit 1° per sepulturam infidelis

---

ad quaesitum an tunc dari possit sepultura ecclesiastica, respondet: « Ne« gative, si ipsi (defuncti) postulaverint sepeliri adhibitis signis sectae, « nisi hanc voluntatem postea retractaverint. Quod si perversa aliorum « voluntate contra defuncti votum emblemata sectae feretro apposita fue« rint, cognita eorum appositione, statim amoveantur, et omnino ante asso« ciationem cadaveris ». Idem dic si vexilla minime benedicta (etsi massonica) introduci vellent, ut patet ex decreto S. R. C. *(14 Iul. 1887 sub n. 3679)* dicente: « Non licere admittere nisi vexilla religiosa et pro « quibus habetur formula benedictionis in Rituali Romano.... Intimatione « facta antecedenter iuxta mentem S. Congregationis, parochus se absti« neat. Atque ita rescripsit et servari mandavit ».

Circa casum *sectariorum ad cadaveris associationem concurrentium*, adest responsum Rev.mi Commissarii S. Officii sequentis tenoris: « Si dicti « sectarii interveniant prout dici solet in corpore ut societas massonica, « *negative*. Si interveniant ut aliae quaelibet privatae personae, tunc cle« rus funeri intervenire potest.

(cuiusmodi, iuxta multos, non censentur infantes mortui sine baptismo si ex christianis parentibus nati fuerint). 2° Per sepulturam excommunicati vitandi ; non vero si sepelirentur haeretici, vel alii, ut supra; tunc enim coemeterium violeretur quidem sed non pollueretur. 3° Per effusionem sanguinis (ex vulnere delictuoso) vel homicidium. 4° Per effusionem seminis, v. g. fornicationem, mollitiem etc. (Intellige si haec essent non solum gaviter peccaminosa et loco sacro iniuriosa, sed etiam notoria). 5° Per pollutionem Ecclesiae (dummodo sit contigua); polluta enim ecclesia (propter praedicta), pollutum censetur etiam coemeterium. Cf. D'Annibale *(III 18)*, Vecchiotti *(II § 56)* et Baruffaldi *(Tit. LXXIII n, 46)*.

II. Si coemeterium evasisset pollutum, modo a rituali praescripto reconciliari deberet. Si tamen ad normam iuris canonici aliqua exhumatio fieri deberet, haec sine auctoritatis civilis licentia (quae difficile obtineretur) peragi non posset. Donec autem coemeterium pollutum remaneret, foveae singillatim benedici deberent.

III. Coemeterium muro aut saltem densa sepe et cancello ita clausum esse debet, ut nulla animalia ipsum ingredi possint. Berengo *(n. 174)*.

IV. Nullae arborum vel herbarum consitiones in illo admitti valent : herbae autem sponte succrescentes recidi, ibique cremari debent *(l. c.)*.

V. Sine licentia Ordinarii (Rit. et Baruffaldi *Tit. IV n. 128)* atque (ut supra dixi) auctoritatis civilis (apud nos), nullum cadaver exhumari potest.

VI. Curandum est ut in coemeteriis adsit pars non benedicta pro infantibus non baptizatis et utcumque pro non catholicis (quod hodie apud nos, etiam civiliter, exigi potest). Iure autem canonico in area benedicta locus distinctus pro parvulis, pro clericis et pro monialibus (si fieri posset) exigeretur.

CIRCA FUNERA ET ALIA OFFICIA MORTUARIA.

431. *Debetne cadaver deferri ad ecclesiam antequam ad coemeterium deferatur?* Affirmative iuxta Rituale. Equidem alicubi in civitatibus quoad pauperes contrarius est mos. Si tamen familia baiulos feretri compensatura esset, atque exoptaret ut defunctus ad ecclesiam deferretur, consuetudo pro tali casu non valeret et tamquam abusus considerari deberet. Decretum S. R. C. (*21 Apr. 1873 sub n. 3291*) dicit: « R.mum Episcopum esse cohor-
« tandum ut inductum abusum ea qua praestat prudentia
« evellere curet, ac Ritualis Romani praescriptum instau-

« rare, ut, quoad fieri potest, fidelium cadavera ad Eccle-
« siam deferantur, pro exequiis celebrandis ».

432. *Teneturne parochus curare ut una saltem Missa, praesente cadavere, celebretur?* Rituale dicit: « Quod « antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit, « retineatur, ut missa, praesente corpore defuncti, pro eo « celebretur, antequam sepulturae tradatur ». Et in fine subdit: « Missa vero, si hora fuerit congruens, ritu pro « defunctis, ut in die obitus, non omittatur, nisi obstet ma- « gna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat ».

433. *Quid de devotione in emortualibus functionibus adhibenda et procuranda?* Rituale dicit: « His ita- « que praestandis, (parochi) qua par est modestia et devo- « tione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem simul- « que ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non « ad quaestum, eiusmodi ritus sancti istituti esse videan- « tur.... Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari « debent usque ed ecclesiam ». Si distractiones voluntariae etiam in privatis precibus evitari debent, nunquid (ut alibi dicebam) haec obligatio cessabit quia eleemosyna recipitur, aut quia preces sunt publicae et sacerdotum evagationes scandalum ingerunt? Parochus itaque scandalum istud impedire curabit. In hunc finem maxime deservire possunt sequentia: 1° Si ipse et vicarius bonum exemplum praebeant. 2° in cadaveris delatione psalmi, sin minus continue prorsus, saltem ita frequenter recitentur ut ineptae loquacitates locum habere nequeant. 3° Si sacerdotes non turmatim, sed bini incedant. 4° Si in choro, data necessitate, nutus aliquis fiat ut silentium servetur; aut saltem (ad scandalum minuendum) chorus ipse tentoriolis clausus teneatur. 5° Si sacerdotes nimiae garrulitati dediti quanto minus fieri possit invitentur.

434. *Quid si rurі aliqui sacerdotes ad cadaveris associationem se conferre non possent, aut functione non adhuc persoluta abire indigerent?* Ordinarie familiae id aegre ferunt; atque insuper non est aequum ut sacerdotes qui laborem associationis sustinuerunt, aequiparentur aliis qui domi remanserunt. Nihilominus rigor absolutus variis de causis alicubi hac in re servari non potest. Interdum tamen,

attenta nimia distantia et difficultate itineris, necnon praevisione quod multi associationis laborem declinaturi erunt, expedit omnino ut stipendium associationis a stipendio Missae et exequiarum distinguatur et sacerdotibus annuntietur. Licentiam autem abeundi antequam exequiae persolutae sint, parochus non facile concedat, et solum ad casus raros verae necessitatis illam reservet.

435. *Quid de consuetudine quod parochi ad cadaverum associationem interveniant solum pro divitibus; quoad pauperes vero non interveniant, et nihilominus quasi intervenissent stipendium exigant?* Si exigerent stipendium praecise pro interventu ad associationem (non praestito), de iniustitia manifesta res esset; et proinde consuetudo pro corruptela haberi deberet nihilque suffragaretur.

436. *In cadaverum associatione possuntne erigi plures cruces?* Negative non obstante consuetudine in contrarium. Unica (quamvis intervenirent Regulares) debet erigi crux. Haec autem erit Ecclesiae funerantis, nisi interveniret Capitulum cathedralis, quo casu crux erit cathedralis ipsius, et mansionariis simul cum canonicis praecedentia debebitur supra parochos *(Decr. Gen. n. 3854 et 2357)*.

437. *Si ad cadaveris associationem confraternitates aut regulares invitarentur, ubinam isti coadunari deberent?* Non ad ianuam domus defuncti; sed in ecclesia parochiali, vel etiam in alia iuxta consuetudinem. S. C. Epp. et Regg. *28 Novemb. 1642* et plura decreta S. R. C. Vide indicem generalem (v. *Funus*).

438. *Quid de usu non a longo tempore invecto, ut florum corona in feretro quoque personae coniugatae ponatur?* Rituale statuit ut corona ex floribus adhibeatur pro pueris *in signum integritatis carnis et virginitatis*. Hinc profluit consuetudo huiusmodi corona insigniendi feretrum etiam illorum adultorum, qui a vinculo matrimonii soluti usque ad mortem perdurarunt, quique proinde virgines praesumuntur. Utique haec consuetudo laudabilis est. Quod autem nunc eadem corona pro coniugatis quoque adhibeatur, contra Ecclesiae sensum est, atque in evangelici consilii praeiudicium vergit, et proinde ubi (v. g. ruri) in usu adhuc non esset, permitti non deberet; ubi e contra (prout speciatim in civitatibus contingere solet) iam generalissime adhiberetur, a parochis (silente Episcopo) tolerari posset.

439. *Quid si defunctum comitarentur etiam societates laicae cum propriis vexillis?* Iam vidimus supra *n. 420* quod non licet admittere intra Ecclesiam, nisi vexilla religiosa, et benedicta, et quod intimatione facta antecedenter, si nihilominus introduci vellent, Clerus ab opere suo praestando se abstinere deberet. Attamen si vexilla emblemata vetita non praeseferrent, tolerari possent, dummodo solum per viam feretrum sequerentur.

440. *Potestne parochus concedere ut laudatio funebris fiat a laico in coemeterio?* Neg., nisi de licentia expressa Episcopi. Del Vecchio *(I 54)*. Quae licentia exigeretur etiam si a Sacerdote in Ecclesia legenda esset.

441. *Potestne permittere, ut inscriptiones emortuales pro libitu in coemeterio ponantur?* Negative; sed hae quoque de iure ab Episcopo prius approbari debent. Del Vecchio (*l. c.*)

442. *Potestne in feretro vel tumulo exponi imago defuncti, dum pro illo exequiae fiunt, sive praesente sive absente cadavere?* Negative; et contrarius abusus eliminandus est. S. R. C. *(Decr. 3898).*

443. *Possentne in parietibus Ecclesiae aut publici oratorii coronae mortuariae suspendi?* Negative. S. R. C. *(Dec. 3909).*

444. *Missa de requie in die vel pro die obitus quandonam cantari potest, et quandonam impeditur?* R. Hodie non amplius fit distinctio cadaveris praesentis, vel absentis (sive non sepulti, sive sepulti). Bene vero standum est decreto generali *2 Dec. 1891 (n. 1751)*, in quo regula pro praesente cadavere ad alios casus extenditur: et est sequentis tenoris.

« I. Missam unam solemnem vel cum cantu, in die « vel pro die obitus, praesente cadavere, fieri posse quan- « documque non occurrat aliquod ex festis duplicibus pri- « mae classis solemnioribus..... Quibus in festis compre- « henduntur etiam ultimum triduum maioris hebdomadae « (non autem feriae II. et III Paschae et Pentecostes): « pro particularibus vero Ecclesiis dies dominica, in quem « solemnitas festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex « indulto transfertur, modo celebretur a populo: necnon « ubi et donec Eucharistia solemniter exposita habeatur. « Reliquis autem quibuscumque diebus eadem Missa per- « mittitur in omnibus Ecclesiis, illis tantum exceptis in « quibus unicus est sacerdos; dum tamen, aut Missa pa- « rochialis aut conventualis dicenda est, aut Missa Roga- « tionum vel vigilia Pentecostes, quae transferri non « possunt ».

« II. Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso « aut alia gravi causa, cadaver in ecclesia praesens esse « nequeat, imo etsi iam terrae mandatum fuerit, praefata « Missa celebrari quoque poterit in altero ex immediate « sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo « si cadaver esset praesens ».

« III. Denique eadem Missa celebrari poterit pro pri- « ma tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis « dissitis nuntium, die quae prima occurrat non impedita « a festo duplici primae et secundae classis, vel a festo

« de praecepto: quo etiam in casu Missa dicenda erit ut « in die obitus ».

445. *An pro paupere defuncto, cuius familia impar sit solvendo expensas Missae exequialis cum cantu, haec Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus praefata Missa cum cantu conceditur?* « Affir- « mative; seu permitti posse, in casu, Missam exequialem « lectam, loco Missae cum cantu; dummodo in Dominicis « aliisque festis de praecepto non omittatur Missa officio « diei currentis respondens ». S. R. C. *9 Maii 1899* (*n. 4014*).

446. *An hodie quoque, sicut non ita pridem, verum sit quod die funeris in duplicibus potest quidem cantari una Missa de die obitus (ut supra); sed aliae Missae debent legi de festo currenti?* Negative; bene vero illae quoque possunt esse *de requie, exceptis duplicibus primae classis, dominicis, aliisque festis de praecepto.* Patet ex celebri decreto *Aucto* S. R. C. *19 Maii 1896* (*n. 1901*). Oportet tamen ut funus celebretur cum Missa exequiali, atque ut praedictae Missae privatae applicentur pro eodem defuncto. S. R. C. *(Decr. 13 Ian. 1897 n. 3944).*

447. *Quid de* ***anniversario, et de tertia, septima atque trigesima?*** Pro his regula sumitur ex cit. decreto generali *2 Dec. 1891 (n. 3753)* sequentis tenoris.

I. Anniversaria, seu Missae cum cantu, pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die; sive privata ad petitionem viventium dummodo pro die obitus.... *prohibentur tantum* in duplicibus primae et secundae classis; in dominicis ac festis de praecepto; infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SS.mi Corporis Christi; nec non Feria IV Cinerum: maiori Hebdomada; in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes; sicut et tempore expositionis solemnis SS. Eucharistiae in respectivis Ecclesiis tantum.

II. Eadem Anniversaria, si in diem impeditam incidant, vel in proximam diem liberam transferri possunt, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari: dies

autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur.

III. Quae statuta sunt de diebus anniversariis pro defunctis, extendenda sunt *ad dies* 3, 7 et 30 ab obitu vel depositione, sive quoad Missam de requie cum cantu, sive quoad translationem si impediantur.

IV. S. C. declarat, diem anniversarium, nec non dies 3, 7 et 30, tam a die obitus quam a die depositionis computari posse.

V. De speciali vero gratia permittitur ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a religiosis communitatibus, a canonicorum collegiis, a confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus pro defunctis semel in anno fieri solent; nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis.

448. *Quid de anniversariis, quae ex pecunia in concione pro animabus Purgatorii collecta (v. g. die sequenti) celebrari solent?* Haec tamquam vera anniversaria neque ex natura propria, neque ex privilegio (quod utique non habent), neque ex consuetudine, considerari possunt. S. R. C. *9 Aug. 1835 (n. 2733).*

449. *Circa* ***Missas quotidianas de requie,*** *hodie estne aliquid notandum?*

Notandum I. quod in sacellis sepulcretorum, et a fortiori in eorundem coemeteriorum ecclesia vel oratorio principali (non vero in ecclesiis parochialibus) Missa *de requie* celebrari potest etiam in duplicibus, exceptis tantummodo illis primae vel secundae classis, dominicis et festis de praecepto, necnon feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. S. R. C. *Decr. Aucto (n. 3803)*; et *12 Ian. 1897* (*n. 3944*); et *28 Apr. 1902* (apud *Monitore XIV 152*).

Notandum II. quod in Missis quotidianis lectis orationes sunt: 1ª pro uno vel una vel pluribus iuxta intentionem offerentis eleemosynam; 2ª ad libitum; 3ª pro omnibus defunctis. Cf. *Decr. gener. 30 Iun. 1896* (*n. 3920*).

ARTICULUS V.

De sacrosancto Missae Sacrificio.

Hic agendum est 1° De loco. 2° De tempore (in quo Missae celebrari possunt). 3° De rebus ad Missam celebrandam requisitis. 4° De personalibus sacerdotis celebrantis dispositionibus. 5° De kalendario sequendo et observando. 6° De praestandis a sacerdote proxime ante Missam. 7° De observandis tempore Missae. 8° De casibus fortuitis qui in celebratione Missae occurrere possunt. 9° De fortuita impossibilitate servandi rubricas. 10° De Missae applicatione et stipendio. 11° De obligatione celebrandi Missas aut speciales circumstantias servandi. 12° De reductione Missarum et sanatoriis. 13° De binatione.

PUNCTUM I.

De loco in quo Missae celebrari possunt.

450. Regulariter celebrari possunt solum in Ecclesiis aut oratoriis sive publicis, sive semipublicis; exceptionaliter autem sive ex privilegio, sive ex consuetudine, sive ex necessitate, etiam alibi. Sed haec sunt explicanda.

§ I.

De ecclesiis et oratoriis sive publicis sive semipublicis.

451. I. Quid sint oratoria publica et semipublica declaratum fuit *Vol. II (n. 602.)*

II. Oportet ut Ecclesia fuerit sive consecrata ad normam Pontificalis: *De ecclesiae dedicatione;* sive saltem benedicta ad normam Ritualis: *Ritus benedicendi novam Ecclesiam.* Pro oratoriis autem semipublicis vel privatis sufficit simplex benedictio *loci.* Appeltern (*Manuale liturgicum Vol. I pag. 35*).

III. Oportet ut Ecclesia (et idem dic de oratorio publico, sed non semipublico vel privato, ut dicit Appeltern *l. c.*) non evaserit polluta (quo casu reconciliatio, seu expiatio, ut infra explicabitur, exigeretur). Oportet insuper ut non evaserit exsecrata. Oportet praeterea ut non fuerit

interdicta, vel subjecta cessationi a divinis, vel suspensa; nec fuerit in perpetuum cultui sublata; nec ad tempus evaserit inepta propter aliquam indecentiam transeuntem, vel propter praesentiam excommunicati vitandi. Sed haec quoque sunt explicanda.

452. *Quibus in casibus Ecclesia evadit* ***polluta***, *seu violata?* Non quaevis profanatio inducit veram pollutionem seu violationem Ecclesiae (secus enim nimis frequenter divina officia suspendi, Ecclesiae claudi, et reconciliationes fieri deberent); sed a sacris Canonibus determinati fuerunt casus, ultra quos pollutio non extenditur (De Angelis *III*, xl *4*): et sunt quinque, nempe homicidium, effusio sanguinis, effusio seminis, sepultura excommunicati vitandi, sepultura infidelis. Haec autem sic explicantur.

I. *Homicidium*, dicente Cap. *Proposuisti* (De Consecr. Eccl.): « Venientibus ad Ecclesiam ... peregrinis, et vigilantibus aliis ab aliis per « contentionem et rixas altaria de nocte custodiam vendicare, homicidia « contingunt non interdum, et aliquando vulnera inferuntur.... R. Quod, « manente Ecclesia in altari, et ipsa reconciliari poterit ». Scilicet: Ecclesia remanet polluta sed non exsecrata (exsecraretur enim solum si parietes corruissent, ut infra explicabitur), unde non indiget nova consecratione: bene vero sola reconciliatio sufficit.

II. *Effusio sanguinis*, dicente Cap. *Si Ecclesia* (eod. tit.): « Si Ecclesia non consecrata, cujuscumque seminis fuerit aut sanguinis effusione « polluta, aqua prorsus exorcizata lavetur, ne divinae laudis organa su« spendantur ». Si autem Ecclesia fuisset consecrata, tunc sola benedictio cum aqua exorcizata non sufficeret, sed vinum, cineres, atque alia (ut infra n. 457 explicabitur) exigerentur.

III. *Effusio seminis*. Patet ex textu mox allato.

IV. *Sepultura excommunicati*, dicente Cap. *Consuluisti* (eod. tit.): « Coemeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, re« concilianda erunt ». Quod dicitur de coemeterio, a fortiori et certissime intelligitur etiam de Ecclesia. Excommunicatus autem debet esse *vitandus*; quia post Concil. Constantiense communicatio cum toleratis sive vivis sive mortuis permittitur.

V. *Sepultura infidelis*; dicente Can. *Ecclesiam* (*De Consecr. D. I*): « Ecclesiam, in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque « Missas in ea celebrare; sed ejicere foras et mundari oportet ». Quod autem dicitur de pagano, S. C. C. (*an.* 1592) censuit esse intelligendum de sepultura cujuslibet hominis diversae religionis, et proinde extendendum esse quoque ad haereticos (ex secta). Ita Pallottini (v. *Ecclesia in genere § III n. 1*): sed Canonistae hoc minime dicunt.

453. *Cur casus praedicti solummodo Ecclesiam remanere pollutam et inidoneam efficiant propter causas praedictas; et quid notandum circa eosdem tam in genere, tam in particulari?*

I. Ratio est, quia res hujusmodi talem in bonis Christifidelibus inducunt horrorem, atque loco sacro reverentiam ita imminuunt et devotio-

nem turbant, ut divina officia, reconciliatione non praemissa, continuare non expediat.

II. In genere notandum 1° quod facinora praedicta (ob rationem mox allatam) debent esse *publica vel notoria*; unde si aliquis sacerdos tale quid perpetratum fuisse cognoscat, non ideo tenetur illud publicare aut a Missa celebranda abstinere. 2° Quod homicidium, effusio sanguinis, atque effusio seminis debent esse *graviter peccaminosa*; quoad sepulturam autem sive excommunicati sive infidelis etc. nihil refert an bona an vero mala fide acciderit. Non itaque Ecclesia pollueretur ex occisione aut percussione cum sanguinis effusione etc., quae casu et sine malitia, aut ex iusta defensione, aut ab amente, aut ex rixa puerorum (in quibus peccatum mortale non supponitur) evenisset; item ex stupro quod a mente capto perpetratum fuisset. 3° Quod, si praedicta perpetrarentur in Sacristia, vel in turri, vel super tectum etc.; tunc Ecclesia non pollueretur.

III. In particulari, iuxta communiores theologorum sententias, notanda sunt sequentia.

1°) Quoad homicidium et sanguinis effusionem, non sufficit si quis percussus extra Ecclesiam, intra illam se conferret ibique moreretur vel sanguinem effunderet; bene vero sufficit si percussus intra Ecclesiam, extra illam sanguinem effunderet vel moreretur. Sufficere etiam dicunt si quis extra Ecclesiam (v. g. sclopeto) occidat alium qui in Ecclesia degat. Glossa (cit. Cap. *Si Ecclesia*) et Salmanticenses docent, suicidio quoque (vel sanguinis proprii effusione) Ecclesiam polluit. Sanguinis autem effusionem copiosam, non vero paucarum (v. g. viginti) guttarum, esse debere docent; nec sufficere sanguinem (etsi copiosum) qui a naribus exeat, nisi ictum graviter fuisse iniuriosum constet; sanguis enim a naribus parvo etiam ictu effluere potest. Cf. S. Lig. (*VI 365*).

2°) Quoad effusionem seminis, non interest sive adulterio evenerit, sive fornicatione, sive stupro, sive sodomia, sive etiam simplici pollutione (dummodo semper gravis reatus notorius intercesserit). Quaestionem faciunt *de copula coniugali*, et dicunt illâ quoque Ecclesiam pollui, quia actus huiusmodi (etsi innocens in se) absque gravi sacrilegio exerceri non potest. Excipe casum vix practicum, in quo duo coniuges in Ecclesia clausi diu detinerentur, et secus in periculo incontinentiae versarentur.

454. *Quid faciendum si ecclesia polluta remanserit nec adhuc reconciliata fuerit?*

Debent statim suspendi sub gravi *(non vero sub ulla poena)* divina officia, ita ut cessent Missae, psalmodiae, distributio Eucharistiae, conciones etc.

Administratio tamen baptismi et poenitentiae permittitur.

Retentio SS.mi Sacramenti permitteretur solum pro Viaticis, et si non adesset alia ecclesia vicina. Vide Clericatum *(De Sacrificio Missae Decis. XLVI n. 62 et seqq).*

Attamen conceditur etiam ut diebus festis una vel altera Missa celebretur, ad satisfaciendum praecepto, si commode alibi Missae haberi nequirent. Scavini *(I. 261).*

Sed his in rebus standum esset mandatis Episcopi. (Scmalzgrueber *V.* XL *65).* Excipe nisi necessitas urgeret et tempus illum interpellandi deficeret. (Salmant *V.* IV *64).*

Si pollutio ecclesiae accideret dum sacerdos celebrat; tunc (iuxta rubricam) si nondum consecrasset, deberet discedere. Attamen Gousset censet dari posse casus, in quibus Missa utcumque incoepta continuari possit, si nempe ageretur de die festo, illamque non prosequendo maius scandalum pertimesci deberet.

455. *Quid si Ecclesia stationibus militaribus subiecta fuisset?* Pro hoc casu practico sedulo notandum quod Ecclesia quae militaribus stationibus (quamvis brevi tempore, v. g. per biduum) deserviverit, tamquam **profanata** consideratur; atque adeo reconciliatione indiget ad cautelam (*Decr. n. 2938 et 2612*). Reconciliatio autem tunc fiat prudenter, privatim et sine populi concursu (*Decr. 2612*).

456. *Quandonam Ecclesia execratur; et quinam sunt execrationis effectus?*

I. Ecclesia exsecratur quando parietes sive ex toto sive ex parte maiori corruerint, vel destructae fuerint; etsi forte pars nobilior (v. g. Presbyterium) intacta mansisset, ut dicit Scavini *(I. 621).*

Si tamen pars minor fuisset destructa et reaedificata, tunc consecratio non cessaret, quia maior pars trahit ad se minorem ; neque (iuxta plures, aliis vivide contradicentibus) officeret si, ex industria et intentione totam Ecclesiam reaedificandi, paullatim (interiectis tamen inter partiales destructiones intervallis notabilibus) sic factum fuisset. Idem dic si pars minor illi adiuncta fuisset (Cf. Schmalzgrueber *V.* XL *23-29),* vel si pedetentim, aliis et aliis partibus (per intervalla) adiunctis, etiam duplo maior evasisset. Nihil pariter officeret si solum tectum corruisset ; consecratio enim non tecto sed parietibus inhaeret.

Notandum quod ecclesia consecrata (secus ac olim dicebatur) consecrationem non amitteret, quamvis totaliter et eodem tempore *decrustaretur* crucesque delerentur. Consecrationem amitteret solum si (ut dixi), muris ipsis destructis, nova ecclesia aedificaretur. (*Decr. 4 Maii 1882 n. 3545*).

II. Effectus autem destructionis parietum est quidem quod ecclesia consecrationem amittit; sed quoad altaria exinde nihil mutatur, quae consecrata remanent sicut prius; idque ad differentiam pollutionis; polluta enim Ecclesia,

polluta evadunt etiam altaria (etsi postea, reconciliando Ecclesiam, eo ipso reconcilientur etiam altaria); sed, execrata Ecclesia non execrantur altaria; quod equidem ab omnibus admittitur et certissimum est.

Sed ex hoc Clericatus (*De Sacr. Miss. D. XLVI 14*), contra alios (v. g. Scavini *I 621*), deducit « quod, licet execratio huiusmodi auferat consecrationem Ecclesiae, ita ut opus sit iterum illam consecrare, nihilominus non est prohibitum in execrata Ecclesia celebrare, si altaria intacta et firma consistant », dummodo Ecclesiae ipsius pars divinis officiis adhuc apta remaneat. Ut consequentia ista esset legitima, oporteret ut amissio consecrationis non involveret amissionem benedictionis; ita scilicet ut Ecclesia execrata remaneret benedicta. Equidem Ecclesia, quando consecratur, simul benedicitur (et quidem abundantissime); nec per demolitionem parietum, cessat benedictio, quae principaliter non parietibus sed solo inhaerere communiter dicunt; et aliunde non est opus ut (secus ac in casibus pollutionis) divina officia suspendantur, dummodo pars quae remanet adhuc decens sit; tunc enim Christifideles nullum horrorem concipiunt, et in sua devotione nihil offenduntur.

457. *Quid exigitur ut Ecclesia execrata vel polluta in statum pristinum restituatur?*

I. Si fuerit *execrata*, patet quod in statum pristinum praecise restitui nequit, nisi iterum ab Episcopo consecretur. Dixi *praecise:* quoad divina officia enim celebranda in parte superstite, si supponamus per execrationem amitti quoque benedictionem, certum est nihil obstare quominus Episcopus facultatem illam benedicendi sacerdoti concedere possit. Scavini (*I. 621).*

II. Si fuerit *polluta*, distinguendum est inter Ecclesiam solum benedictam, et consecratam. Si fuerit solum benedicta, tunc sacerdos (in aliqua dignitate constitutus) cum consueta aqua lustrali illam reconciliare poterit; attamen delegatio Episcopi exigeretur, ut patet ex Rituali, et Decreto S. C. R. (*n. 246)*; quae tamen delegatio pro licito solum, sed non pro valido exigitur, ut patet ex decreto *904.* Si autem fuerit consecrata, tunc (etsi nova consecratio non exigatur) solus Episcopus, aut (cum aqua, simul cum vino et cinere, ab Episcopo ipso benedicta) sacerdos delegatus a Summo Pontifice, illam reconciliare poterit; et haec est ratio cur paucae Ecclesiae consecrentur, ut notat Clericatus (*De Sacr. Miss. D. XLII 1).*

458. *Quid notandum circa celebrationem Missae in ecclesiis* ***interdictis?*** Si interdictum sit locale speciale,

Missae celebrari nequeunt, praeter unam singulis hebdomadis ad renovandum SS. Sacramentum pro infirmis. Si vero sit locale generale, tunc Missae (Clero non interdicto) celebrari poterunt, sed ianuis clausis, Cf. Bucceroni *(De censur. 124)*. Violatio autem interdicti (quod est vera censura) per exercitium Ordini Sacris, atque adeo per Missae celebrationem, nedum peccatum mortale, sed etiam (ad differentiam ecclesiae pollutae) irregularitatem secum fert, ut Canonistae communissime notant.

459. *Quid de celebratione Missae in ecclesia* ***subiecta cessationi a divinis?*** Cessatio a divinis, quae indicitur ob insignem iniuriam Ecclesiae ipsi illatam atque in signum maeroris, non est praecise poena et censura; et proinde eius violatio peccatum mortale quidem inducit, sed non irregularitatem.

460. *Quid de ecclesia* ***suspensa?*** Ecclesia (et idem dic de oratorio) dicitur suspensa, quando, sive ex lege sive ex speciali decreto Episcopi, declaratur inepta ad cultum, sive quia intra annum integrum tres Missae consuetae ibi celebratae non fuerint, sive propter necessitatem alicuius restaurationis, aut aliam causam rationabilem, unde leges liturgicae vel decentia non permittant officia divina. Haec suspensio non est censura; unde peccatum mortale quidem, sed non irregularitatem inducit.

461. *Quid de ecclesia* ***in perpetuum cultui sublata*** *et reddita profana?* Casus contingit, quando iustis de causis (v. g. evanescente spe illam decenter conservandi) Episcopus suppressionis decretum emittit (*Trid. XXI* VII). Tunc, si in illa celebraretur Missa, perinde esset ac si in loco, qui semper profanus fuisset, celebraretur.

462. *Quid si, dum Missa celebratur,* ***excommunicatus vitandus ecclesiam ingrederetur?*** Supposito quod ille non solum ecclesiam ingrediatur, sed etiam palam faciat se gerere velle, non iam tamquam curiosus inviscendi ecclesiam ipsam etc., bene vero tamquam unus ex assistentibus ad aliquam Missam; tunc neque fideles assistentes ad Missam ipsam, neque sacerdos illam celebrans, possunt cum illo communicare; et proinde, si vitandus discendere nollet, discendere tenerentur ipsi. Si tamen

sacerdos consecrationem iam fecisset, deberet prosequi usque ad consummationem, et caetera in sacristia absolvere.

463. *Possuntne contingere* ***alii casus,*** *in quibus, quamvis ecclesia neque cessaverit esse sacra vel benedicta, neque polluta neque interdicta evaserit, nihilominus Missae et officia divina in illa celebrari nequeant?* Affirmative, si nempe propter necessitatem perficiendi in illa generalem restaurationem, vel propter magnos tumultus excitatos, maxime vero propter copias militares illam occupantes, equos, spurcitias etc., iam tolerari nequiret, ut, rebus huiusmodi durantibus, Missae et officia divina celebrarentur.

464. *Quid si, super ecclesiam vel aediculam vel oratorium, essent cubiculi?* Iam dixi supra (*n. 402*) hoc prohiberi; sed in quibusdam casibus idipsum permitti potest de licentia Episcopi, et posita duplici concameratione (*doppia volta*) aut baldachino. *Decr. 12 Sept. 1840 n. 2812.*

§ II.

De oratoriis privatis et aliis locis in quibus exceptionaliter Missa celebrari potest.

465. *Quid de* ***oratoriis privatis?***

I. Oratorium dicitur privatum quando intra privatae domus perietes atque ad alicuius privatae familiae commodum, erigitur, ideoque non habet aditum in communi via etiam populo apertum et cuicumque liberum.

II. In oratorio privato Missa celebrari non potest nisi ex indulto Apostolico, et praevia inspectione Episcopi qui certior fieri debet ne dormitorium super ipsum adsit, et ne prope illud vel in illo aliquid indecens reperiatur. Secluso indulto Apostolico, Episcopum non posse huiusmodi licentiam concedere nisi pro aliqua vice (non vero habitualiter) et solum ex magna et urgenti necessitate, patet ex Decr. S. C. Concilii *20 Dec. 1885* (cui consonat Decr. S. R. C. *n. 2404*). Hinc Scavini (*I 621*) non approbat Frassinetti dicentem quod Episcopus dare potest facultatem celebrandi domi, durante infirmitate alicuius, praesertim

sacerdotis, qui aliter non posset Missam audire. Vide etiam cl. Gennari *Consultazioni Vol. II Cons. X.*

III. Oportet ut oratorium privatum fuerit a sacerdote ex delegatione Episcopi benedictum (*benedictione loci vel domus novae*).

IV. A licentia Missam ibi celebrandi Indultum Apostolicum excipere solet quosdam dies solemniores, scilicet Nativitatis et Epiphaniae Domini, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis, Immaculatae Conceptionis, S. Ioseph, SS.rum App. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, et Patroni Civitatis vel Dioecesis.

V. Absque praesentia alicuius ex principalibus indultariis (qui a tergo eiusdem indulti proprio nomine nuncupantur) Missa celebrari non potest. (Cf. A Carpo *I 59*).

VI. Notandum quod dictae exceptiones non apponuntur pro sacerdote, cui *propter infirmitatem* in sacello domestico Missam celebrare concessum fuisset. Tunc indultum dicere solet: « Pro singulis anni diebus, ipsis non « exceptis solemnioribus, in quibus domo egredi nequeat « absque gravi suae valetudinis incommodo ». Fit quaestio an, cessante causa (scilicet infirmitate) habitualiter, ita cesset privilegium, ut causa redeunte, novum exigatur indultum? Videtur affirmandum, dummodo tamen infirmitas certe, totaliter, et sine ullo verisimili periculo recidivae evanuisset; nulla enim est ratio cur gratiae huiusmodi (ut patet etiam a casibus similibus. Vide supra (*n. 15 IV*) perdurare debeant cessante causa.

466. *Quid de celebratione Missae extra ecclesiam vi* ***consuetudinis*** *vel* ***privilegii*** *vel* ***necessitatis?***

I. Consuetudines rationabiles hac in re adesse possunt et adsunt reapse, v. g. quoad milites in castris; quoad Principes defunctos (in aula ubi exponuntur, quae vulgo dicitur *camera ardente*) etc.

II. Dicunt privilegium esse Principum, ut in cubiculo ubi degunt infirmi, Missa celebretur. Scavini (*III 261*).

III. Necessitas celebrandi extra ecclesiam, et forte etiam sub dio, contingere posset v. g. eo quod ecclesiae non adessent, vel ruinam minitarentur, vel populum capere nequirent; tunc tamen (quatenus fieri possit) oporteret ut

Episcopi licentia petita et obtenta fuisset. Bucceroni (*l. c. 148*).

467. *An* ***in mari*** *quoque Missae celebrari valeant?* In navibus Missae celebratio non licet, nisi ex indulto Apostolico, quod conceditur sub conditione Missam celebrandi solum quando mare sit tranquillum, coelum serenum, et navis sit a littore remota; dummodo insuper alius sacerdos vel diaconus assistat vigilans ne calix subvertatur; et denique in navi adsit Capella propria pro missis aut saltem omnia sint ita disposita ut nihil indecens vel indecorum sequi possit. Decretum S. C. de Propaganda Fide *1 Mart. 1902* apud Monitore (*XIV 157*).

PUNCTUM II.

De diebus et horis, in quibus Missae celebrari possunt.

468. *Suntne* ***tempora vel dies,*** *in quibus Missae celebrari non possint?*

I. Celebrari non possunt (ut supra dicebam) tempore interdicti, si nempe interdictum afficeret etiam Clerum, aut aliqua ecclesia esset specialiter interdicta etc. Idem dic de tempore cessationis a divinis.

II. Celebrari non possunt in secundo triduo maioris hebdomadae. Attamen in Sabbato Sancto potest celebrari unica Missa, dummodo cantetur, non solum in cathedralibus sed etiam in collegiatis, matricibus etc. iuxta consuetudinem. Feria quinta autem *in Coena Domini,* in ecclesiis ubi fiunt reliquae functiones hebdomadae sanctae potest cantari unica Missa; imo in paroeciis ruralibus, etsi functiones ipsae fieri nequeant, unica Missa lecta ad populi commoditatem et iuxta consuetudinem celebrari poterit, petita quotannis (intellige si aliqua ratione haec petitio exigeretur) venia Episcopi (*Decr. 2616*). Si autem festum Annunciationis B. V. vel S. Iosephi in eandem feriam quintam incideret; tunc Episcopus concedere deberet Missarum celebrationem, in numero sufficienti ut populus praecepto satisfacere posset. (*Decr. Generale n. 1883*).

469. *Quibus* ***horis*** *Missae celebrari valent?* Ab aurora usque ad meridiem; et sufficit si haec puncta attingantur, si nempe puncto aurorae Missa finiat, aut puncto meridiei incipiat. Gury (*II 381*).

Horâ integrâ anticipare aut posticipare, sine causa rationabili et sine indulto, peccatum grave censetur.

Causa rationabilis a quavis culpa excusare poterit; ut puta, si id necessarium esset ad Viaticum moribundo ministrandum (quo casu liceret etiam statim post mediam noctem celebrare); vel si mos alicubi vigeret ante auroram Missam celebrandi ad opificum et famulorum commoditatem. Idem dic occasione magnae solemnitatis, aut magni funeris, vel publicae supplicationis; denique occasione itineris pro aliquo casu raro. S. Lig. (*VI 344*) et Gury (*n. 382*).

PUNCTUM III.

De rebus ad Missam celebrandam requisitis.

470. Res ad Missam celebrandam requisitae (praeter hostiam ex farina triticea et vinum de vite, de quibus sermo habebitur infra ubi de materia Eucharistiae) sunt sequentes.

I. Altare (Cf. *n. 401*).

II. Crux cum Crucifixo (*l. c. III*).

III. Duae (et non plures) candelae ex cera confectae, iuxta dicta (*n. 400 XIV*).

IV. Calix et patena (Cf. *n. 399*).

V. Corporale, palla, tobaleae altaris tres (ita tamen ut una plicata pro duabus deservire possit), amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula, purificatorium, bursa, velum calicis, missale cum pulvillo, ampullae vitreae, et manutergium (Cf. *n. 399 I-X*, et Baller.-Palm. *X 331 et seqq.*).

VI. Minister.

471. *Quid de gradu culpae si aliquid ex praedictis deficeret, aut ineptum vel indecens esset?*

I. Mortale est celebrare 1° sine altari consecrato; 2° sine calice consecrato aut sine patena consecrata; 3° sine corporali benedicto; 4° sine ulla tobalea; 5° sine stola, vel sine manipulo; et multo magis sine alba, vel sine casula; maxime vero sine ullis vestibus sacris; 6° sine ullo lumine; 7° sine ministro; 8° sine missali, saltem cum gravi periculo errandi. Idem dic si corporale esset valde immundum, aut vestes sacrae valde sordidae, laceratae etc.

II. Difficile est quod necessitas sit talis ac tanta, ut, aliquo ex praedictis deficiente, Missa celebrari possit. Attamen, remoto scandalo, casus aliqui contingere possunt, in quibus vel causa gravis ad excusandum sufficiat, vel causa gravissima exigatur.

III. Leve est celebrare sine palla, vel sine purificatorio, vel sine velo, vel sine manutergio, vel sine bursa, vel sine pulvillo, vel sine amictu, vel sine cingulo, vel non observando colorem paramentorum, vel cum unica tobalea, vel cum tobaleis non benedictis, vel (ut dicunt) etiam sine cruce. Cf. Bucceroni (*n. 153-163*).

472. *An Missa celebrari possit, foemina inserviente?* R. Certe foemina ad altare accedere nequit. Caeterum ad quaesitum: « Potestne sacerdos, omnibus sibi prius com-« mode dispositis, quae ad Sacrificium occurrere possunt, « ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris « tantum pro responsis? ». S. R. C. (*Decr. 2745 ad 8*) dixit: « Affimative, urgente necessitate ». Sed haec necessitas quanta esse debet? Ephemeris *Il Monitore ecclesiastico* (*II.* 1 *pag. 124*) respondet: « Quamlibet levem ne-« cessitatem sufficere existimamus ». Porro si hoc sine causa factum (ut ait S. Lig. *VI 392*) quid leve esset; iam causa mediocris sufficere debet ut licitum prorsus evadat; idque speciatim ruri, diebus ferialibus, quoad parochum, qui nullatenus aut non facile alium inservientem habere possit; et speciatim si nemo aut fere nemo in ecclesia adsit. Cf. Lugo (*De Euch. XX 103*), Laymann (*de Sacrif. miss. VI 13*) et S. Lig. (*VI 392*).

PUNCTUM IV.

De personalibus sacerdotis celebrantis dispositionibus.

473. *Quaenam dispositiones in sacerdote celebrante exiguntur?* Exigitur 1° ut sic ieiunus; 2° ut sit in statu gratiae acquirendo per confessionem; 3° ut sit immunis a censuris et irregularitatibus; 4° ut pollutioni a brevi tempore subiectus non fuerit.

§ I.

De necessitate ieiunii.

474. I. Exigitur ieiunium naturale; sed de illo agam ex professo in tractatu *De Sacramento Eucharistiae.*

II. Dari possunt aliqui casus in quibus sacerdos non ieiunus celebrare, aut Eucharistiam sumere potest; et sunt sequentes.

1°) Ad complendum Sacrificium, iuxta infra dicenda (*Punct. VIII*).

2°) Ad consummanda fragmenta a se consecrata, iuxta ibidem dicenda; idque sacerdos facere potest etiam in sacristia dummodo sacris vestibus sit adhuc indutus. Si vero vestes deposuisset, vel si fragmenta essent diversi Sacrificii, tunc ea sumere posset solum si non adesset modus illa reverenter servandi. Scavini (*III 140*).

3°) Ad declinandum scandalum; si nempe Missae celebratio sine gravi scandalo declinari nequiret, ut puta, si sacerdos (qui fama sanctitatis non gauderet), Missa iam incoepta, praesente populo, recordaretur se non esse ieiunum (id aliis ignorantibus), et timeret ne casus manifestatio pro praetextu haberetur, et suspiciones de gravi illius peccato occulto conciperentur; quod equidem ordinarie et facile accideret. Scavini (*l. c.*). Idem dicendum videtur de casibus similibus (intellige tamen semper si fractio ieiunii fuisset occulta) v. g. si inadvertenter contigisset neo-sacerdoti primam Missam celebraturo, dum iam invitati

convenerunt et omnia sunt parata. Item si hoc accidisset parocho vel alteri sacerdoti die festo, ita ut magna populi multitudo sine Missa remanere cogeretur. Item si in festo solemni Missa cantata deficere deberet, dum iam esset praesens qui ad illam cantandam fuit destinatus, et pariter, populo expectante, omnia essent parata etc. Ita Croix (*De Eucharist. n. 572*). Porro evitatio scandali (quod ad legem naturalem pertinet) legi ecclesiasticae praevalere debet.

4°) Si celebratio Missae ad consecrandam hostiam pro moribundo necessaria esset. Lugo (*XV 67*) scripsit: « Negari non potest hanc esse sententiam probabilem ». Et idem dicit S. Lig. (*n. 286*).

475. *Quid de parocho qui ob nervismum aut aliam infirmitatem, quamdam medicinam etiam post mediam noctem sumere cogeretur ita ut secus dormire non posset?* Casus necessitatis pro missa celebranda ad solos dies festivos de praecepto (et tunc quoque deficiente alio sacerdote) restringeretur; et, si res huiusmodi foret habitualis, dispensatio (ratione praecavendi scandalum) ad cautelam peti deberet.

§ II.

De necessitate status gratiae per confessionem acquirendi.

476. I. Status gratiae necessario exigitur; secus enim nedum grave sed gravissimum sacrilegium committeretur. Sed quid si ex una parte urgeret necessitas statim celebrandi vel Missam prosequendi, et ex alia sacerdos difficultatibus ita angeretur, ut contritionem non tam cito concipere posse crederet? De hoc casu vide dicta (*Vol. II n. 401*).

II. Non sufficit ut sacerdos ope contritionis in statum gratiae se constituat; sed debet confiteri. Tridentinum (*XII.* VII) dicit: « Communicare volenti evocandum est « in memoriam eius (Apostoli) praeceptum: Probet se « ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, « eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi *con-* « *scius mortalis peccati,* quantumvis sibi contritus videa- « tur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram « Eucharistiam accedere debeat; quod... etiam a sacerdoti-

« bus... haec S. Synodus perpetuo servandum esse decrevit, « *modo non desit illis copia confessoris:* quod si, ne- « cessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione « celebraverit, *quamprimum confiteatur* ».

477. *Danturne casus, in quibus sacerdos, memor alicuius peccati mortalis commissi et non confessi, absque confessione Missam celebrare possit?* Affirmative, et sunt sequentes.

I. Si ageretur de peccato dubio.

Qui enim dubitat, proprie non est conscius ; maxime vero si esset scrupulosus, quo casu (ut confitendi obligatione obstringeretur) oporteret ut iurare posset se mortaliter peccasse et confessum non fuisse. (S. Lig. *VI 473-477*).

II. Si sacerdos iam confessus fuisset, sed inculpabiliter peccatum illud reticuisset.

Tunc enim, non obstante tali reticentia, ope confessionis gratiam Dei assecutus esset, et sic fini legis aeque tuto satisfecisset ; unde ne ad contritionis quidem actum eliciendum tunc teneretur. S. Lig. (*VI 257*).

III. Si ex una parte in celebrandi necessitate versaretur, et ex alia confessarii copiam non haberet.

Sedulo notari debet quod, in determinando gradu huius necessitatis et incommodi, theologi recentiores valde rigide loquuntur. Theologi antiqui e contra (v. g. Sotus, Richardus, Sylvester, Henriq. Tabiena, Paludanus, Rosella, Victoria, Armilla etc.) non adeo subtiliter rem hanc introspiciebant et valde mitius loquebantur. Hae veterum sententiae forsan plus aequo a recentioribus spernuntur ; Tridentinum enim dicit quod lex de qua loquimur ab ecclesiastica consuetudine determinatur; qualis autem tempore Tridentini haec consuetudo fuerit, forte melius ab antiquis quam a recentioribus sciri poterit. Adde non esse certum quod de lege divina agatur; Scotus enim et Scotistae illam esse mere apostolicam et ecclesiasticam decernunt ; omnesque fatentur quod solum propter *maiorem* Sacramenti reverentiam instituta fuit; unde D'Annibale (*III 287*) dicit quod aliis legibus facile cedit ; imo Mastrius (*XVIII 56*) sensit quod si quis non iam sibi videretur contritus (prout loquitur Tridentinum), sed contritionem perfectam certissime haberet, hac lege non comprehenderetur ; atque in tantum confessionem semper exigi, in quantum practice haec certitudo vix unquam haberi poterit. Aliunde, quum agatur de casu heu nimis practico, et quum adeo difficile sit ut sacerdotes misere lapsi ad Missae celebrationem relinquendam se inducant, omnino melius erit ut sciatur quousque benignitas iuxta diversas theologorum opiniones protendi valeat.

478. *Quandonam igitur verificabitur* ***necessitas celebrandi?*** Casus sunt sequentes.

I. *Periculum infamiae, suspectuum, dicteriorum et scandali;* ut puta, si populus vocatus, ad ecclesiam iam convenisset et aliae Missae non adessent. Nec referret si

pauci essent praesentes; durum enim esset cogere sacerdotem ut etiam apud paucos se infamare sineret; et semper periculum subsisteret, ne isti pauci rem propalaturi forent. (Gousset *II 190*).

Neque ad fingendum deliquium teneretur; et idem dic de aliis praetexibus qui a mendacio vix separari possunt, vel suspicionem ingerunt. (Viva, Tamburini, Gousset etc.) Sed quid si de sola admiratione ageretur, eo quod, v. g. non equidem populus adhuc vocatus fuisset, sed sacerdos Missam omittere nequiret, quin haec omissio, nova prorsus et insolita, aliorum (ut vulgo dicitur) oculos percelleret? Multi dicunt, solam admirationem non sufficere; sed theologi antiqui (Cf. Diana *I.* III *159*) illam sufficere censebant, eo quod in praxi vix unquam suspectibus locum non daret; et ipse Suarez (Cf. Croix *VI.* I *526*) fatetur quod periculum, ne, ex hominum levitate, temeraria iudicia efformentur et sinistra dicteria fiant, (quum agatur de sacerdote vel parocho, cuius honor plurimi fieri debet) satis excusat.

II. *Quaecumque alia specialis et notabilis necessitas a parte sacerdotis;* et speciatim 1° Si esset pauper, si nempe ex sola vel fere sola missae eleemosyna victum sibi comparare posset. Ita Henriq. (*46. 6*), Tabiena (v. *Missa, 31*), Giribaldi (*IX 32*); et pro casu magnae paupertatis id concedunt theologi passim atque ipse S. Lig. (*n. 259*). 2° Si longo tempore (qui tamen casus vix practicus esse potest) absque missae celebratione remanere cogeretur. Mazzotta (*De Poen. I.* I *Cap. 4*). 3° Si obligationem celebrandi tali die et in tali ecclesia contraxisset, nec facile se eximere aut per alium supplere valeret; ne scilicet, deficiendo, fide indignus reputari inciperet. Imo aliqui theologi antiqui, nempe Sylvester, Henriquez et Leander apud Dianam (*I.* III *Res. 157. 5*) absolute dicebant, quod sacerdos, qui missae quotidianae onus haberet, vel, accepta iam eleemosyna, die sequenti pro nuper defuncto celebrare promisisset, sufficienter in celebrandi necessitate versaretur; idque verum videtur si ex una parte supplere nequiret, et ex alia adimplementi rationem reddere deberet. Alii idem dicunt pro casu in quo sacerdos, nonnisi celebrando, missam die festo audire aut praecepto paschali satisfacere posset. Huic sententiae Laymann quoque (*VI 6*) in parte consentit.

III. *Specialis satisque gravis necessitas ex parte proximi;* et maxime 1° Si populus aut pars populi sine missa die festo remanere cogeretur; idque sufficeret quam-

vis sacerdos nec esset parochus nec alio modo missam celebrandi onus suscepisset; ut tenent Tamburini, Lessius, aliique non pauci apud Dianam (*I.* III *Res. 151*), qui agens de parocho et vicario idem sentit, etsi festum non esset de praecepto, si populus ex devotione speciali concurrere soleret missamque eo die desideraret. 2° Si missae celebratio exigeretur ad consecrandas particulas pro communione ministranda sive infirmo sive aliis personis specialem communicandi necessitatem habentibus, v. g. ad lucrandum iubilaeum aliamve extraordinariam indulgentiam quae in posterum lucrari nequiret. Intellige semper nisi alius sacerdos substitui posset. Gousset (*l. c.*). 3° Idem dic pro casu matrimonii celebrandi cum missa; aut funeris pro quo familia defuncti missas desideraret, nec parochus aut vicarius a celebratione se eximere posset, eo quod pauci sacerdotes inveniri potuissent, speciatim si nullus esset qui missam cantaret. Gousset (*l. c.*).

479. *Quandonam verificabitur* ***deficientia confessarii?*** Casus sunt sequentes.

I. Si confessarius, consideratis circumstantiis (v. g. propter distantiam, brevitatem temporis, occupationes, valetudinem, aetatem, intemperiem, periculum suspicionum etc.) moraliter loquendo adiri nequiret. Croix (*VI.* I *224*).

Quoad solam distantiam, notat Lugo (*De Euch. XIII.* IV *83*), hanc facilius excusare si casus esset frequens, et difficilius si rarus. Plures (apud S. Lig. *VI 264*) censent quod iter pedestre unius horae ad excusandum ordinarie sufficeret. Aliud autem esset de itinere in curru aut in via ferrea.

II. Si sacerdos, missa iam incoepta, pravae cogitationi misere consensisset aut peccati mortalis prius commissi tunc solum recordaretur; quo casu, etsi commode confiteri posset (quod utique vix unquam accideret), ad hoc non teneretur.

Scripsit Victoria (*n. 79*): « Quamvis Archiep. Florentinus dicat, quod « si ante consecrationem recordetur, et possit sine scandalo quaerere con« fessorem, debet illum quaerere; sed non credo hoc esse verum ». Reapse ad minus missae ordo turbaretur, et rubrica, nulla (quoad hunc casum) facta distinctione, dicit: « Si in ipsa celebratione missae sacerdos recordetur « se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito quamprimum con« fitendi ». Cf. D'Annibale (*III 287. 12*). Bona quoque ratio esse videtur quod quando aliquid praecipitur, eo modo praecipi intelligitur quo communiter praestari solet; unde scripsit Diana (*III.* I *Res. 102. 11*): « Quando

« lex non potest servari eo modo quo communiter solet servari, desinit obligatio ».

III. Si sacerdos sacris paramentis iam indutus de peccato mortali recordaretur, nec sine infamia (quae tunc vix deesset) confessionem facere posset, ut recte notat Frassinetti.

IV. Si confessarius in promptu quidem esset, sed repugnantia invincibilis obstaret, quominus apud illum confessio fieret.

Quid enim si patruus apud nepotem probrosissimi peccati confessionem facere cogeretur? Patrui apud nepotes confessionem facere non solent; et proinde ageretur de medio nimis abnormi, et applicari posset principium supradictum nimiae et extraordinariae difficultatis. Caeterum, contra Gury (*Cas. cons. II 287*) et alios qui hoc in puncto rigidissimi sunt, mitius loquitur speciatim Gousset (*n. 193*) inquiens: « Confessarius deesse censeretur « quando... talis dumtaxat sacerdos praesens foret, apud quem confessio, pro- « pter repugnantiam plus minusve legitimam sed ineluctabilem, fieri nequi- « ret: ut puta, si merito vel immerito tamquam extra modum severus, im- « prudens etc. existimaretur ». Inter theologos antiquos autem reperiuntur qui absentiam proprii confessarii, cum magna repugnantia confitendi apud alium, sufficere existimabant. Citantur Richardus, Armilla, et Sylvester, apud Dianam (*I. III Res. 177. 4*) et Salmanticenses (*VII 42*). Ego dicerem quod verecundia vere extraordinaria et moraliter invincibilis sufficiat, ut necessitate urgente, cum sola contritione missa celebrari possit aliqua vice cum proposito adeundi proprium confessarium quamprimum; nec valet ratio quod sola verecundia nunquam sufficiat ad dimidiandam confessionem; facilius enim concedi potest quod aliqua missa cum sola contritione (dum peccatum quamprimum certe accusabitur) celebretur, quam quod motivo verecundiae confessionibus dimidiatis aditus aperiatur. Scripsit S. Th. (*Suppl. VIII. IV ad 6*): « Multi sunt adeo infirmi, qui potius sine confessione « morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur ». Quid demum si miser sacerdos in casu adeo stricto, ad infamiam (cum scandalo) subeundam aut ad alia inconvenientia permittenda esset paratus, potius quam ad sacrificium adeo durum tolerandum?

V. Si sacerdos peccatum confiteri nequiret quin complicem quoque manifestaret, et haec esset persona confessario nota.

Enimvero multi theologi (quibus consentit Ballerini *II not. 499 not. b*), probabiliter docent, hanc esse rationem sufficientem, ut peccatum in tali circumstantia reticeri nedum possit, sed debeat. (An autem tunc sacerdos ad integritatem formalem recurrere teneatur, confitendo nempe alia peccata illudque reticendo, statim videbimus). Idem dic a fortiori si vicarius cum sorore aut nepte parochi peccasset, atque apud parochum ipsum confiteri deberet, ita ut, crimen suum patefaciendo, parochus intelligere aut graviter suspicari posset quod de sorore vel nepte sua agatur; unde ille in angustias et tricas gravissimas (etiam propter sigillum) coniiceretur.

Inter Antiquos, Rosella (apud Salmant. *l. c.*) idem docuit de religioso, qui peccatum propriae Religioni valde probrosum sacerdoti saeculari manifestare cogeretur; sed hoc nimis laxum mihi videtur.

VI. Si ex una parte necessitas celebrandi immineret, et ex alia confessio adeo longa necessaria esset, ut tam brevi tempore peragi nequiret. Tambur. (*Met. Comm. I 37*).

VII. Si (stante semper necessitate celebrandi) sacerdos v. g. propter occasionem proximam vel consuetudinem peccandi etc., absolutionem obtinere non potuisset. Ita Gousset, et Scavini (*III 257*) cum S. Lig. qui (*Confess. diretto II.* XXII *46*) scripsit: « Casu quo (sacerdotes ha- « bituati) vere abstinere nequirent (a celebratione missae), « dicat eis (confessarius) quod possunt celebrare cum actu « contritionis ».

VIII. Si peccatum a misero sacerdote commissum esset reservatum, et confessarius ad reservata approbatus deesset.

480. Obiicies. *Si sacerdos, propter repugnantiam invincibilem, vel manifestationem complicis, vel prolixitatem confessionis, vel reservationem, peccatum aliquod confiteri nequeat, nonne debebit nihilominus accusare ea peccata quae absolutioni subiicere potest (ad integritatem formalem sic recurrendo), potiusquam cum sola contritione celebrare licitum ei sit?* R. Si praeter illud mortale peccatum sola venialia habeat, tunc certe confiteri non tenetur, ut communiter theologi apud S. Lig. (*VI 265*) fatentur; confessio enim, in qua peccatum mortale reticetur, est defectuosa; causa autem defectum istum excusans esset ut reverentia maior Eucharistiae praestetur; et sic, ad melius consulendum uni sacramento, poneretur defectus in alio; idque in casu licere quidem (ordinarie) sed non sub obligatione cadere poterit. Si autem praeter peccatum illud alia mortalia adsint, tunc multi dicunt, dimidiatae confessionis praeceptum remanere; sed non video qua cohaerentia id asserant; et certe probabile est quod huiusmodi confessionis ne tunc quidem obligatio superstit. Ita senserunt S. Antoninus, Victoria, Gerson, Sylvester, Richardus, Armilla, aliique veteres passim; quibus Vasquez pluresque alii, etiam recentiores, adhaerent. Et opinionem istam S. Lig. (*VI 265*) probabilem esse censet.

481. *Quid si sacerdos conaretur quidem contritionem perfectam elicere, sed valde timeret ne illâ de facto careret, solumque crederet se esse attritum?* R. Iuxta sententiam iam hodie communiorem, hic forte scrupulus est; actus enim amoris erga Deum non valde difficilis esse debet, prout *Vol. II* (*n. 85*) explicavi.

Caeterum Diana (*I.* III *Res. 158. 4*) refert theologum quemdam sic dicentem: « Dum sacerdos adigitur necessitate ad communicandum sine con- « fessione, tunc debet conteri quantum sibi possibile est... Sed... videtur « mihi sustentabile, ut cum sola attritione cognita... possit accedere, si « per ipsum non stet, atque doleat de peccato quantum potest pro illo tunc; « et iudicet se esse in statu gratiae de propinquo, imo in istanti Commu- « nionis quando debet esse in gratia, quod tunc eam oblinebit: nam sic « est in ultima dispositione ad eam ». Quem equidem casum notavit etiam S. Th. (*III.* LXXIX *3*) inquiens: « Forte enim primo non fuit sufficienter

« contritus ; sed devote et reverenter accedens, consequetur per hoc sacra-« mentum (*Eucharistiae*) gratiam charitatis, quae contritionem perficiet « et remissionem peccati ».

482. *Sacerdos qui sic,* ***confessione non praemissa, celebravit ad quid tenetur ?*** Si die sequenti missam celebrare velit aut debeat, tunc certe tenebitur quoque ante ipsam confiteri, et quidem tempestive providendo si possit; et, si non possit, tunc redeunt supradicta. Si autem non ita cito ad missae celebrationem redire vellet ; tunc esset iterum distinguendum. Si celebravisset cum conscientia peccati mortalis et cum sola contritione, urgente necessitate et deficiente copia confessarii; tunc adstrigeretur praecepto Tridentini confitendi quamprimum. Dixi *praecepto*, ut patet ex prop. *XXXVIII* ab Alex. VII damn. quae dicebat: « Mandatum Tridentini « factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato « mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non prae-« ceptum ».

Sed verbum istud *quamprimum* quomodo interpretari debet? Heic habemus aliam prop. damn. ab eodem Pontif. *(XXXIX)* quae dicebat: « Illa particula *quamprimum* intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur ». Probati theologi autem censent verbum istud significare *intra tres dies* et advertunt, sacerdotem posse obligari statim, si statim occasionem haberet, illam amplius (intra tres dies) non habiturus. Si vero missam dixisset sive oblitus de mortali commisso, sive necessitate non urgente, sive confitendi commoditate non deficiente; tunc Tridentini praeceptum de confessione intra triduum facienda, illum proprie non adstringeret. Vide Croix (*VI.* 1 *533)* et S. Lig. *(VI 266 et 267*).

§ III.

De necessitate ut sacerdos celebraturus sit immunis a censuris et irregularitatibus.

483. Si casus sit occultus et miser sacerdos absque infamia aliove gravi detrimento a celebratione abstinere nequeat; tunc (si tempestive absolutionem obtinere non

possit) missam celebrare ei licebit. Ecclesia enim non obligat cum gravi incommodo.

Idem dic si sacerdos, quamvis excommunicatus, suspensus vel irregularis ex delicto, tamen sit toleratus, simulque fideles missae celebrationem ab eo petant expresse, aut saltem tacite. Petitio tamen tacita non admittitur, nisi in vera necessitate, ut puta, si populus die festo missâ illius sacerdotis omnino indigeret. Ratio est quia Christifideles possunt communicare cum personis qualibet censura affectis, nisi publica denunciatio personalis locum habuerit, ut patet ex constitutione Martini V *Ad evitanda;* unde arguitur quod fideles possint quoque petere ab iis res divinas, quae quidem petitio inutilis esset, si rogati petitioni obsecundare nequirent. Ita docent theologi passim cum S. Lig. (*VII 158. 169. 140).*

Ab his autem duobus casibus praescindendo, missae celebratio a gravi peccato seiungi nequiret; imo si forte sacerdos, missâ iam incoeptâ, recordaretur se esse excommunicatum vel suspensum, ab altari recedere deberet, si ex una parte scandalum non interveniret, et ex alia ante consecrationem de hoc recordaretur. Rubr. miss. *n. VIII.* Cf. Tamburini *(Meth. comm. I 44)* et Ballerini *(II 960).*

§ IV.

De obligatione abstinendi a missae celebratione propter carnalem pollutionem antecedenter secutam.

484. Pollutio, paullo ante (antiqui dicebant intra praecedentes horas 24) secuta, sub levi celebrationem impedit 1° si fuerit graviter culpabilis; neque tunc sufficeret confessio; 2° si magnam mentis perturbationem reliquisset. *(Rubr. Missal. IX).*

Si tamen necessitas aut specialis causa rationabilis ad celebrandum impelleret, tunc (maxime de consilio confessarii) levis illa culpa evanescere posset. Scavini *(III 137).*

PUNCTUM V.

De kalendario sequendo et observando.

485. *Quod sacerdos ante missae celebrationem kalendarium observare et missam reperire debeat, per se manifestum est; sed quid si kalendarium ecclesiae, in qua missa est celebranda, sit diversum ab illo quo sacerdos uti debet pro officio?*

R. Sublatis regulis antecedentibus (de missa officio conformanda) S. R. Congreg. *(Decreto Urbis et Orbis 9 Iulii 1895 n. 3862)*, generalem regulam in posterum ab omnibus observandam sic constituit: « Omnes et singuli sacer-
« dotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam con-
« fluentes vel ad oratorium *publicum*, missas quum Sancto-
« rum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino
« celebrent officio eiusdem ecclesiae vel oratorii conformes;
« exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

« Si vero in dicta ecclesia vel oratorio, officium ritus
« duplici inferioris (scilicet *semiduplicis* vel *simplicis*)
« agatur, unicuique liberum sit missam de requie pera-
« gere, vel votivam, vel etiam de occurrenti festo; iis
« tamen exceptis diebus, in quibus praefatas missas rubri-
« cae missalis romani vel S. R. C. decreta prohibent ».

Notandum 1° Quod decretum loquitur de oratorio publico; in oratorio enim privato tenenda esset regula quod missa cum officio concordare debet. Notandum 2° Quod capellae Episcoporum et Communitatum, si sint principales, considerantur ut publicae; ad quaesitum enim: « Utrum...
« kalendario loci, an vero celebrantis respondere debeant missae, quae cele-
« brantur in capellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, Piarum
« Confraternitatum, Hospitalium et Carcerum? » S. R. C. *(22 Maii 1896
« n. 3910)* respondit: Dummodo agatur de capella principali, quae instar
« oratorii publici ad effectum memorati decreti habenda est, *Affirmative*
« ad primum, *Negative* ad secundum ».

PUNCTUM VI.

De praestandis a sacerdote proxime ante missam.

Exigitur mundities, vestis talaris, manuum lotio, et praeparatio.

486. *Quid de munditie?* Sacerdos missam celebraturus peccat certe si manibus sordidis, calceis lutosis, aut non sine aliis immunditiis vel deformitatibus accedat.

487. *Quid de veste talari?* Rubrica vestem talarem exigit. Ruri tamen (apud nos ex consuetudine et quadam necessitate) vestis talaris in celebraturis *extra propriam ecclesiam* non exigitur.

488. *Quid de lotione manuum?* Rectores ecclesiarum aquam cum manutergio in sacristia asservare debent pro se aliisque sacerdotibus, qui, commoditate non deficiente, si lotionem omittant, ab aliqua culpa excusari nequeunt. S. Lig. *(VI 409)*.

489. *Quid de praeparatione et gratiarum actione?* Quamvis orationes pro praeparatione in tabella indicatae praecise non obligent, tamen sacerdotes qui prorsus sine ulla praeparatione missam celebrare solent, certe peccant. Idem dic de gratiarum actione. S. Lig. (*VI 410 et Prax. n. 156*). Culpa autem, si sacerdos habitualiter ita se gereret, utique propter grave scandalum, mortalis esse posset. *Monitore (XIV 178)*.

PUNCTUM VII.

De quibusdam praecipue observandis tempore missae.

490. Imprimis magna observanda est **modestia**; sacerdos scilicet accedere debet ad altare oculis demissis; et hanc modestiam, dum ad populum se vertit, semper servabit *(Rubr. missal.)*.

491. *Quid de tempore* ***durationis*** *missae?* Missa neque plus aequo longa, neque nimis brevis esse debet. Mediam horam excedens taedio adstantes afficeret; ad

tertiam vero horae partem non pertingens (*20 minuti*) decenter vix celebrari poterit; et, si quadrante brevior esset, a mortali excusari nequiret. (S. Lig. *l. c. 400*).

492. *Quinam sunt defectus magis communes quoad* ***caeremonias*** *in celebratione missae?* 1° Genuflexiones dimidiatae, et non genuflectere *in plano* in primo accessu et in ultimo recessu, si in altari servetur SS.mum Sacramentum (*Decr. 2682 ad 47*). 2° Oscula a longe iactata. 3° Reverentiae omissae aut sine ullo discrimine factae (reverentiae enim aliae debent esse corporis sive mediocres sive profundae; aliae vero capitis, sive parvae sive mediae sive profundae). 4° Caeremoniae anticipatae vel posticipatae (v. g. osculando librum Evangelio non finito; aut dicendo *Offerimus tibi Domine calicem...*, dum calix adhuc in manu non habetur etc.); et cruces male peractae. 5° Verborum mutilationes vel omissiones. 6° Secreta aut partim omittere, aut illa (speciatim verba consecrationis) elevata voce proferre etc. Defectus huiusmodi communissimi et plus vel minus culpabiles sunt.

Notandum quod gradus culpae non solum a re in se, sed etiam (imo praecipue) ab eiusdem sensu et necessitate, v. g. si patena non purificaretur, vel guttulae aquae in vinum non infunderentur etc.

493. *In missis privatis potestne permitti ut minister missale aperiat et calicem detegat? Et quid si minister male responderet?*

Ad primum negative; et notandum quod, quamvis minister esset sacerdos, permitti non posset ut calicem in fine post ablutionem abstergeret (*Decr. 2572 ad 5 et 6*). Hoc tamen intelligerem si absque incommodo et turbatione id impediri posset.

Quoad secundum, S. Lig. (*VI 391*) dicit: « Celebrans non faciat scru-« pulum si minister male pronunciet, nec facile corrigat errorem, ne turbet « seipsum, vel circumstantes, vel ordinem missae ». Attamen rectores Ecclesiarum providere deberent.

494. *Corporale potestne relinqui extensum super altare usquedum missae successivae celebrentur?* Negative; sed unusquisque sacerdos illud bursae inclusum ad sacristiam cum calice reportare debet. (*Decr. 2146*).

495. *Quid de collectis, orationibus et de psalmo Iudica?*

I. Collectae ab Ordinario indictae recitandae sunt, nec quisquam potest ab iis cessare autequam revocentur. (*Decr. 2613*).

II. Quando ritus tertiam orationem *ad libitum* non permittit, nulla oratio (praeter collectas imperatas), sine indulto apostolico, addi potest. (*Decr. 2766*).

III. Si praecipiatur tertia oratio *ad libitum*, collecta imperata eius locum tenere nequit; sed haec post orationem *ad libitum* recitari debet. (*Decr. 2198 ad 2*).

IV. Collecta imperata (quamvis pro re gravi) in duplicibus primae classis debet omitti; et in duplicibus secundae classis potest omitti in missis privatis, et debet in solemnibus. (*Decr. 2597 et 3009 ad 2*).

V. Psalmus *Iudica* omittitur non solum in missis defunctorum, sed etiam a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive; exceptis tamen festis Sanctorum et missis votivis quae forte eo tempore celebrentur.

PUNCTUM VIII.

De praecipuis casibus fortuitis, qui in celebratione missae accidere possunt, et de respectivis regulis.

496. **Missae interruptio.** Ad missam interrumpendam *ante offertorium* sufficit causa non adeo gravis (unde v. g. explicatur evangelium, fiunt proclamationes etc.); *post offertorium et ante consecrationem* exigitur causa gravior, ut puta, si expectari deberet magna turba peregrinorum die festo accessura nec alia missa postea adesset, vel si tunc accideret casus pollutionis Ecclesiae vel adventus excommunicati vitandi. Denique *post consecrationem et ante communionem* exigitur causa gravissima, v. g. si moribundus sacramentis strictae necessitatis sine mora indigeret nec alius sacerdos accurrere posset.

Missa autem interrupta, si celebrans brevi redeat, resumenda est ab eo loco ubi interrupta fuit. Sin post horam, videndum an consecratio facta fuerit, necne. Si primum, incipiendo a loco ubi fuit interrupta; si secundum, missa resumenda erit ab initio. Poterit etiam missa resumi ab initio si magna turba peregrinorum advenisset (ut supra), ut scilicet missam integram audire possint. Cf. Bucceroni *n. 167*.

N. B. Quae sequuntur ex rubricis missalis (fere omnia ad litteram) desumpta sunt.

497. **Alii casus in quibus sacerdos missam interrumpere cogatur.** I. Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante canonem, dimittatur missa; si post canonem, non dimittatur.

II. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur missa; post consecrationem vero sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

III. Si sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur, praetermittitur missa. Si post consecrationem Corporis tantum, missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non ieiunum. Si autem

non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia hostia consecrata, sacerdos qui missam supplet, dividat hostiam; et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur missam, et super eundem calicem repetat integram formam ab eo loco: *Simili modo postquam coenatum est,* vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre, et hostiam primi sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, et deinde calicem relictum semiconsecratum.

498. **Defectus panis seu hostiae.** I. Si celebrans ante consecrationem adverterit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam; remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.

II. Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam paterctur;* et illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit; quia praeceptum de perfectione sacramenti maioris est ponderis, quam quod a ieiunis sumatur.

III. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua, et facta prius oblatione ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie:* ac statim sumat utrumque, et prosequatur missam, ne sacramentum remaneat imperfectum et ut debitus servetur ordo.

IV. Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo: *Qui pridie quam paterctur,* facta eius prius oblatione, ut supra.

499. Quid si post consecrationem utriusque speciei sacerdos adverteret pyxidem necessariam (v. g. ad communionem populi die Paschatis) vel hostiam magnam pro benedictione (pariter necessariam) non fuisse consecratam, possetne illam consecrare (sine consecratione alterius vini)? Videtur affirmandum, se gerendo ut supra.

500. **Defectus vini et aquae.** I. Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice; debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo* etc.

II. Si post verba consecrationis, advertat vinum non fuisse positum, sed aquam: deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis: *Simili modo* etc.

III. Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel huiusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel si missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi caetera.

IV. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice.

Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti.

501. **Casus in quo hostia aut vinum deficiens nullo modo haberi posset.** Si materia quae esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi; si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, alterâ iam consecratâ; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et missa absolvenda, ita tamen ut praetermittantur verba, et signa quae pertinent, ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum.

502. **Casus in quibus hostia aut vinum propter nauseam aut venenum sumi non possint.** I. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem, ante consecrationem, sacerdos proiiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in calice, misceat parum aquae, offerat, ut supra, et prosequatur missam. Si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, et fiat nausea sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino; finita missa comburat, et combustio ac lotio huiusmodi in sacrarium proiiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

II. Si aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecradum: et finita missa, Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium proiiciatur.

III. Si aliquod venenatum contingerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat eo modo, quo dictum est, et illa servetur in tabernaculo (loco separato) donec species corrumpantur, et corruptae deinde mittantur in sacrarium.

503. **Casus in quibus propter negligentiam aut vomitum etc., sacrae species in terram aut alibi cadant.** I. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, linguâ lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium proiiciatur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium; linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium proiiciatur. Quod si in ipso solum corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium proiici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra.

II. At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco: *Simili modo postquam coenatum est* etc., facta prius tamen calicis oblatione, ut supra.

III. Si sacerdos evomat Eucharistiam, si species integrae appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat; tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur; et postea in sacrarium proiiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.

IV. Si hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio huiusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.

504. **Varii alii casus.** I. Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ab labium calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum et sumat.

II. Si hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis hostia consecretur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur: quod si illius hostiae iam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram, fieri poterit.

III. Si propter frigus vel negligentiam, hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum, sed sacerdos missam prosequatur, faciendo caeremonias, et signa consueta, cum residua parte hostiae, quae non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, et sumat pariter Corpus, et Sanguinem, signans se cum calice dicens: *Corpus et Sanguis Domini* etc.

IV. Si in hyeme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis; si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.

V. Si aliquae hostiae (non consecratae) ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat (cum non intendat consecrare nisi quas videt): item si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecratae: atque ideo quilibet sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes quas ante se *ad consecrandum positas* habet.

VI. Si sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint sive magnae, quia ad idem sacrificium spectant.

VII. Si vero relicta sit hostia integra consecrata, eam in tebernaculo cum aliis reponat. Si hoc fieri nequit, sequenti sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra corporale decenter opertam, sumendam, una cum altera quam est consecraturus, relinquat. Si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur. Quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.

505. *Quid si in altari vel in terra inveniatur particula, de qua dubitetur vel certe sciatur fuisse consecratam?*

I. Si (prout contingere posset quando in terra fuisset pedibus conculcata) propter foeditatem sumi non posset,

reponenda et servanda esset in tabernaculo iuxta regulam supra (*n. 502 III*) expositam; et si tabernaculum (v. g. in oratorio privato) non adesset, ad aliquam ecclesiam deferri deberet etc.

II. Praescindendo ab hoc casu, particula sumenda esset post sumptionem Sanguinis. Si vero inventa fuisset post ablutionem, applicari deberet regula mox supra (*n. 504 VII*) exposita; ita tamen ut, si de eiusdem consecratione dubitandum esset, cum aliis particulis consecratis confundi non posset.

PUNCTUM IX.

De fortuita impossibilitate servandi rubricas.

506. *Quid de sacerdotibus, qui in ecclesiis, ubi ad missam celebrandam pergunt, apparatus immundos aut alia sacris ritibus non conformia inveniant?* Sacerdotes ut plurimum dissimulare atque missam celebrare poterunt; de re enim nimis frequenti scrupulisque nimis obnoxia ageretur. Dixi *ut plurimum;* secus enim dicendum esset si apparatum mundum aliaque ritibus conformia obtinere facile possent (attenta, v. g. familiaritate cum Rectore ecclesiae), aut si de re prorsus intolerabili (v. g. de calice perforato) ageretur. Cf. Suarez (*LXXI.* III) et *Mon. Eccles.* (*II.* II *pag. 83, et VI.* II *165*).

Rectorum ecclesiarum conscientia facilius et gravius in rebus istis oneratur.

507. *Quid de sacerdote qui propter corporalem defectum aliquas rubricas observare nequeat?* R. Si agatur de re neque permanenti neque magni momenti, ut puta, si quis rheumate correptus perfecte genuflectere nequeat; aut pro aliqua vice pileolo indigeat sine scandalo, v. g. in oratorio privato (speciatim excepto canone), tunc scrupuli iniici non debent. Gury (*II 404. 409*). Si vero defectus esset perpetuus et cum notabili deformitate, ut puta si una tantummodo manu hostiam elevare posset, tunc indultum peti deberet (*Decr. n. 1202*). Pro praxi notandum quod apostolica dispensatio exigitur 1° Ut coma

ficta (vulgo *parucca*) adhiberi possit, qua de re vide Scavini (*I 567*). Excipe nisi loci consuetudo ferret ut sine dispensatione haec coma adhiberetur (Gury *409*). 2° Ut sacerdos coecutiens missam B. M. V. quotidie dicere valeat.

Haec missa dici debet semper cum planeta alba, et adiungendo dumtaxat duas orationes, nempe de Spiritu Sancto et pro Ecclesia vel pro Papa, non vero alias, et nequidem collectas a Superiore imperatas. Missa erit semper sine *Credo*. Erit quoque sine *Gloria*, exceptis sabbatis. Die Nativitatis D. N. I. C. unica tantum missa celebrari poterit (*Decr. 3146*). Missa tamen B. M. V. varianda erit iuxta Missalis rubricam, nempe iuxta tempus. Si autem miser sacerdos ex coecutiente omnino coecus evasisset, tunc novum indultum exigeretur (*Decr. 2560*), eoque obtento poterit semper dicere eandem missam quae indicatur a Pentecosten usque ad Adventum.

Assistentia tamen alterius sacerdotis nedum in isto, sed etiam in aliis casibus exigeretur, nempe toties quoties adesset periculum ne calix subverteretur, aut aliud grave inconveniens accideret, aut demum si sacerdos Sacram Hostiam frangere nequiret.

PUNCTUM X.

De obligatione celebrandi missas, et servandi requisitas circumstantias particulares.

508. *Quotuplici ex capite potest esse obligatio celebrandi missas?*

I. *Ratione ipsius* ***ordinis sacerdotalis;*** etsi enim non desint qui dicunt sacerdotem non teneri unquam missam celebrare; sententia omnino sequenda est quod (secluso legitimo impedimento) saltem ter vel quater in anno, scilicet in solemnitatibus principalibus Sanctissimi Natalis, Paschatis et Pentecostes, sub gravi ad hoc teneatur.

Patet 1° ex verbis Christi (Luc. *XXII*): « Hoc facite in meam com- « memorationem », quae (ut dicit Trid. *XXII*, 1) verum praeceptum continent. Patet 2° ex Apostolo (*Hebr. V*) dicente: « Omnis Pontifex ex « hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad « Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ». Patet 3° ex sensu

communi fidelium, qui graviter scandalizarentur, si aliquem sacerdotem nunquam missam celebrare rescirent. Patet 4° quia principale officium sacerdotum est celebratio missae. Patet 5° ex D. Thoma, qui huic quaestioni sic respondet: « Quidam dixerunt quod sacerdos potest omnino a celebra-« tione missae abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare « pro populo... Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur « uti gratia sibi data...: unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam ani-« marum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur quod « celebrare teneatur in praecipuis festis, et maxime in quibus fideles com-« municare consueverunt ». Patet 6° ex Decr. S. C. C. (*Nov. 1696*), ubi dicitur quod qui sine iusta causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab episcopo puniri. Neque culpa veniali careret sacerdos qui, etsi pluries quam ter vel quater in anno, tamen raro celebraret.

Observandae sunt etiam circumstantiae, nempe si populus valde missa indigeret diebus festis, aut si episcopi mandatum interveniret, dicente Tridentino (*XXIII,* XIV): « Curet episcopus, ut ii (presbyteri) sal-« tem diebus dominicis et festis solemnibus; si autem curam animarum « habuerint, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent ».

II. *Ratione* ***obligationis celebrandi pro populo vel pro benefactoribus;*** si nempe sacerdos esset episcopus vel parochus, qui ex officio missam pro populo celebrare deberet (prout explicatur in *Theologia Pastorali n. 76 et seqq.*); vel si de missa conventuali (in cathedralibus, collegiatis, atque ecclesiis monasteriorum) ageretur.

In Cathedralibus et Collegiatis scilicet una missa conventualis sub gravi quotidie, et in quibusdam diebus duae vel tres missae conventuales, pro benefactoribus celebrari debent, et quidem cum cantu et sub poena amittendi distributiones, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, sumendo eleemosynam ex massa distributionum. Et his de rebus vide Benedictum XIV Constit. *Cum semper* et Decreta S. R. C. *n. 522. 571, et 2351 ad XI.*

In Monasteriis autem Regulares et Moniales (si ad chorum teneantur) missam conventualem (sed non cantatam) procurare tenentur. Cf. Piat *Vol. I. pag. 322. 324. 327, n. 10. 13. 17.*

III. *Ratione* ***capellaniae,*** *vel* ***beneficii,*** cui missarum celebrandarum onus adnectatur.

Notandum quod Capellani ex tabulis fundationis non obligati ad celebrandum diebus festivis, aut hora fixa, non possunt a rectoribus ecclesiae vel ab episcopo ad id obligari. Cf. Pallottini (v. *Capellanus* § *3 n. 2*). Hoc tamen intellige nisi magna adesset populi necessitas. Cogi tamen possunt ut non celebrent horis ita incongruis, ut parochiales functiones turbent. Cf. De Bonis (*n. 72*).

IV. *Ratione* ***specialis obligationis contractae,*** si nempe missae adventitiae, aut onera (sive perpetua sive temporanea) missarum acceptata fuerint. Hoc in puncto notanda sunt sequentia.

1°) Bulla *Nuper* Innoc. XII. *11 Innii 1695* (Apud Scavini *IV 416*) iubet ne missarum onera perpetua acceptentur sine licentia Ordinarii in scriptis concedenda, et (quoad Regulares) sine licentia saltem Provincialis. Iubet insuper ut capitalia pro iisdem destinata statim in tuto ponantur, nec alienentur etc.

2°) S. C. C. (in declarationibus eiusdem Bullae *23 Dec. 1697*) prohibet ne acceptentur missae adventitiae, nisi infra modicum tempus iisdem satisfieri possit; ita tamen ut dilatio permitti valeat si oblatores de re ista certiores fiant et consentiant.

3°) Oportet ut sacerdos non se exponat periculo oblivionis, quod evitabit si, dum missas acceptat et dum illas celebrat, statim et rite adnotationem faciat.

4°) Quamvis certus esset, v. g. talem defunctum, pro quo Sacrificium petitur, eius fructu gaudere non posse, nihilominus illud pro aliis ad libitum applicare nequiret, nisi sub conditione quod nullo modo obligationi suae defecturus sit. Probabile est enim quod, si missa illi defuncto non prosit, Sacrificii fructus eius propinquis devolvatur. Scavini (*III 183*).

5°) De circumstantiis temporis, loci etc. agam mox infra.

509. *Quid si sacerdos missas quidem celebrasset, sed postea advertisset illas fuisse invalidas aut dubie validas? Deberetne omnino eleemosynas receptas restituere aut alias missas celebrare?* Ad hoc teneretur ex iustitia si sensus contractus (quod interfuit inter sacerdotem et oblatores eleemosynarum) fuisset non solum ut missae celebrarentur, et sacerdos partem suam poneret, cavendo ne ex sua negligentia essent invalidae aut dubie validae; sed etiam ut eleemosynas restituere aut alias missas celebrare deberet, si utcumque et ex casu quoque prorsus ab illo independente, defectus obventurus esset. At vero quod talis sit sensus contractus, merito dubitari potest, speciatim si (prout practice accideret) non de certa sed solum de dubia invaliditate ageretur, et maxime si sacerdos pauper foret. Ita profecto sentiunt plures magni nominis theologi.

Audiantur aliqui. Lugo (*De Euch. XIX 249*): « Qui promisit Sacrum « applicare pro aliquo (*utique recepto stipendio*), satisfaciet applicando ap- « plicatione probabili (*intellige supposita bona fide et credulitate appli- « cationis certae*) ». Ballerini (*Op. ih. Tr.* x *n. 230*): Cum hinc quidem « probabile sit sacrificium valere: inde vero stipendium non sit pretium « missae sed oblatio ad sustentationem sacerdotis, videtur non absurde « praesumi posse, quod eleemosynam tribuens nihil ulterius exigat; id « enim aequitati, maxime si sacerdos sit pauper, congruum est ». Gury (*Casus Vol. II n. 149*): « Peracto Sacro (*dubie valido propter defectuose « prolatam consecrationem panis*), non debuit aliud pro stipendio accepto « celebrare. Imo nec deberet aliam missam celebrare etiamsi illa prior « consecratio (panis) esset certo invalida, quia probabiliter consecratio

« unius speciei sufficit ad essentiam Sacrificii ». *Monitore* (*Vol. VII.* II *282*): « Non v'ha obbligo di restituir lo stipendio, ovvero di celebrare « una nuova messa, quando si conosca che incolpevolmente fu celebrato il « S. Sacrificio con una sola specie valida ».

Caeterum rectissime monet Ballerini (*l. c.*): « Praxis est ut, si quando « plura sacrificia imperfecta remansisse deinceps constet, recurri soleat « ad S. Sedem pro remedio ».

510. *Quid si sacrista vel rector ecclesiae bona fide quidem processisset, sed dubitaret ne in applicationibus errores accidissent?* Adhibita morali diligentia ut res bene procederent, de erroribus subsecutis non teneretur; secus enim quisnam huiusmodi officia (quae ut plurimum cum tenuissima retributione adimplentur) acceptaturus esset, maxime in ecclesiis ubi plurimis et diversis missarum celebrationibus prospici debet, et valde facile est quod aliqua inadvertentia vel confusio non raro accidat?

511. *Quaenam esse possunt circumstantiae particulares in missarum celebratione servandae?* Possunt esse loci, temporis, solemnitatis, personae et qualitatis.

512. *Quid de circumstantia* ***loci?*** *Et quid si de loco nihil dictum fuisset?*

Circumstantia loci est si ab offerente eleemosynam determinatum fuisset qua in ecclesia, vel in quo altari, vel ante qualem Imaginem missa celebrari deberet.

Etsi de loco nihil dictum fuisset, intentio posset esse praesumpta, idque contingeret si missae deferrentur ad talem vel talem ecclesiam, maxime si illa esset coemeterii vel sanctuarii.

De missa pro populo in ecclesia parochiali celebranda, vide *Theol. pastor.* (*n. 92*).

513. *Quid de circumstantia* ***temporis?*** *et quid si de tempore nihil dictum fuisset?*

Circumstantia temporis est si offerens eleemosynam petiisset missam pro tali die, vel in tali hora, vel pro tali festo, vel in sabbato in honorem B. V. etc.

Intelligitur autem missam celebrandam esse statim, si petita fuisset pro nunc defuncto, vel pro causa urgenti, v. g. pro moribundo, vel instante praelio, vel imminente sive sententia iudicis, sive conscriptione militari, sive partu difficili etc.

Nihil dico si ab offerente eleemosynam aut eleemosynas expressum fuisset, missam aut missas intra tale tempus esse celebrandas; vel e contra libere iuxta commoditatem celebrari posse.

Praescindendo ab his casibus, regula ordinaria est, ut missa adventitia celebrari debeat *infra mensem*, iuxta responsum S. Congr. Concilii (*17 Iul. 1755*).

S. Lig. (*VI 317*) id restringebat ad missam pro defunctis; et probabile reputabat « nequaquam peccare sacer-« dotem qui dicit missam promissam infra *duos men-« ses* ». Imo Gousset (*II 229*) absolute dixit: « Si (quod « saepe evenit), ille qui eleemosynas dedit, intentionem « suam non manifestaverit, si nullum tempus pro celebra-« tione missarum constituerit, communis (*in Gallia*) est « opinio, sufficere si intra duos menses celebrentur ». Passim etiam dicebant theologi, in hoc locorum consuetudines (quae propter penuriam vel multitudinem sacerdotum legitime variare possunt) esse considerandas

514. Sed hodie decretum *Ut debita sollicitudine* S. C. C. *11 Maii 1904* (Acta *Vol. XXXVI*), rem hanc valde dilucide declarat simulque auctoritative definit distinguendo an de unica missa an vero de pluribus missis agatur; et dicit: « Utile tempus ad manualium missarum obligationes « adimplendas esse *mensem pro missa una, semestre pro « centum missis*, et aliud longius et brevius temporis spa-« tium plus minusve iuxta maiorem vel minorem numerum « missarum » (1). Sed quid de gradu culpae si dictae

(1) *Quaenam sunt missae manuales seu adventitiae?* Decretum sic dicit: « Declarat imprimis S. Congregatio manuales missas intelligi et « haberi eas omnes, quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, « cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu sive in testamentis, hanc « stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel « talem ac tam diuturnam, ut tamquam perpetua haberi debeat. — Pariter « inter manuales missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae « patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla ecclesia sunt « constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfa-« milias arbitrio, satisfieri potest.

« Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae « vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac « illave de causa applicari non possunt; et ideo, aut de iure aut cum « S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent, ut iisdem satisfiat ».

missae celebratio ultra mensem procrastinaretur? Gury (*II 369*) respondet quod dilatio, quae tres vel quatuor menses excedat, merito gravis censeri potest.

Dicunt etiam quod missae citius celebrari deberent si non uni sacerdoti sed religiosorum communitati traditae fuissent, quia tunc committentium intentio talis esse praesumeretur.

Si autem de missis non adventitiis sed fixis et perpetuis ageretur intra annum celebrandis, tunc advertendum quod nedum posticipari, sed nequidem (cum periculo inferendi damnum successoribus) anticipari possent.

515. *Quid de oblationibus quae in capsulis animarum purgantium a christifidelibus reponuntur, aut occasione concionis pro defunctis offeruntur?* Non est necesse ut infra mensem in missis erogentur. Id tamen intellige quatenus loci consuetudo (de cuius honestate iam nemo dubitet) maiorem latitudinem permittat. Certe tamen ad minus intra annum omnia erogari debent. Scavini (*III 266*).

516. *An oblationes eleemosynarum pro missis, quae magna in copia ad sanctuaria occasione solemnitatis afferuntur, possint acceptari, quamvis non nisi post plures menses erogari queant?* Si haec dilatio iam in populo notoria esset, tunc affirmative; secus negative. Patet ex dictis (*n. 508 IV 2°*).

517. *Quid si rectores ecclesiarum, aut alii quilibet obligati ad missarum oneribus satisfaciendum, haberent in fine anni missas quibus adhuc satisfactum non fuisset?* Hac de re decretum *Vigilanti studio* (*25 Maii 1893*) dicit: « E.mi Patres.... sub gravi obedientiae praecepto « decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli « ubique locorum beneficiati et administratores piarum « causarum, aut utcumque ad missarum onera implenda « obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet « anni, missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus non- « dum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant iuxta mo- « dum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas mis- « sarum intentiones cum adnexo stipendio primum distri- « buent inter sacerdotes sibi subiectos qui eis indigere « noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis

« committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum « dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione « maiores, et legitima documenta edant inter praefixum « congruum tempus, quibus de exacta earumdem satisfa- « ctione constet ».

518. Sed hac in re praedictum novum decretum *Ut debita sollicitudine* ait 1°: « Ad tollendas ambiguitates E.mi « Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis (Decreti « *Vigilanti*) praefinitum ita esse accipiendum, ut pro mis- « sis fundatis aut alicui beneficio adnexis, obligatio eas depo- « nendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri « debuissent: pro missis vero manualibus obligatio eas depo- « nendi incipiat post annum a die suscepti oneris, *si « agatur de magno missarum numero ;* salvis praescri- « ptionibus praecedentis articuli pro.... diversa voluntate « offerentium.

519. Dicit 2°: « Qui exuberantem missarum numerum « habent, de quibus sibi libere disponere (quin fundatorum « vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebra- « tionis illarum detrahatur) posse eas tribuere praeter- « quam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quo- « que sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi « notis et omni exceptione maioribus. — Qui missas cum « sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradide- « rint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari: « qui vero missas a fidelibus susceptas, vel utcumque « suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obli- « gatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem « non sint assecuti, adeo ut, si ex eleemosynae dispersione, « ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita « causa, in irritum res cessavit, committens de suo sup- « plere debeat, et missis satisfacere teneatur ».

520. *Quid de circumstantia* ***solemnitatis?*** Haec practice interveniret si missa *cum canto* vel cum diacono et subdiacono celebrari deberet.

221. *Quid de circumstantia* ***personae?*** Contingeret si eleemosyna data fuisset sacerdoti sub conditione quod celebret *personaliter ;* vel (quod in idem recidit) si ageretur de missis quae a parocho (praeter consuetas de

iure *pro populo*) celebrandae essent (pariter *pro populo*) ex legato. *Theol. pastor.* (*n. 97*).

522. *Quid de circumstantia* ***qualitatis?*** Contingeret si imposita fuisset obligatio celebrandi v. g. missam *de requie* (pro uno, vel pro una, vel pro pluribus) aut votiva etc.

Notandum quod, si petita fuisset missa pro defuncto in altari privilegiato, tunc missa *de requie* (si intra hebdomadam ritus permitteret) in eodem altari dicenda esset. Gury (*n. 376*).

523. *Ad quid teneatur qui missam quidem celebravit, sed circumstantias ab oblatore requisitas neglexit?* R. Si circumstantia requisita tanti momenti fuisset, ut, ea non servata, oblator (si id sciret) aliam missam celebrare facere cogeretur; tunc sacerdos ad novam celebrationem vel ad stipendii restitutionem teneretur. Ad hanc restitutionem theologi obligant etiam casu quo missa pro causa urgenti celebrari debuisset, et sacerdos solum postea illam celebrasset; sed in praxi oblatores aegre quidem ferrent quod sacerdos ita negligens fuisset; sed non semper credendum quod, missa pro iis iam tandem celebratà, stipendii restitutionem exigerent. In hoc tamen aliisque casibus, si forte pro adiuncta circumstantia stipendium adauctum fuisset, hoc augmentum sacerdos retinere nequiret, nisi eleemosynis aut aliis piis operibus defectum compensaret.

Notandum quod si missa *in altari privilegiato* celebrari debuisset, idque servatum non fuisset, haec omissio, lucrando indulgentiam plenariam defunctis applicabilem (qualis est indulgentia *Viae Crucis*), compensari posset. Gury et Ballerini (*III 376. 377*).

Quid si iam missae innumerae, circumstantiam istam altaris privilegiati contra fundatoris intentionem prorsus negligendo, celebratae fuissent, prout speciatim ex negligentia Rectorum Ecclesiae contingere posset? De hoc vide infra *Puncto XIV* ubi de sanatoriis.

PUNCTUM XI.

De natura, fructibus et applicatione sacrificii missae.

524. *Quid de* ***natura*** *sacrificii missae?* Missa est renovatio incruenta sacrificii crucis. Inter partes scilicet missae praecipua est Sacrificium, in quo victima est ipse Iesus Christus, qui in altari per sacerdotem se offert suo Aeterno Patri, et mortem, quam realiter in cruce pro nobis passus fuit, sacramentaliter ei repraesentat. Cf. Perrone (*De Euch. 247*) et Lehmkuhl (*Vol. II n. 165*).

525. *In qua missae parte sacrificium proprie consistit?*

Ad essentiam sacrificii certe pertinet *consecratio;* secus enim feria VI in Parasceve, dum sacerdos sine consecratione solum se communicat, sacrificium haberemus. Probabilius ad sacrificium constituendum exigitur consecratio utriusque speciei (qua de re vide Ball.-Palm. *n. 230*); ita tamen ut consecratio unius speciei bona fide et cum intentione aliam quoque consecrandi certe valeat saltem in ratione sacramenti, ut patet ex supra dictis (*n. 500*); sed probabile est quod valeat etiam in ratione sacrificii, ut bene probat ephemeris *Il Monitore* (*Vol. VII.* II 272).

Communio autem sacerdotis certe pertinet ad perfectionem sacrificii, ut patet ex rubrica missalis (Cf. supra *n. 497 III*); sed probabilius non ad essentiam (Ballerini *l. c.*).

Offertorium sacrificii partem substantialem certe non constituit, ut ex rubrica citata apertissime patet; attamen illius veluti inchoatio est.

Oblationem autem, quae fit post consecrationem, ad sacrificium spectare, plures opinantur (Baller. *l. c. 228*).

526. *Quinam faciat et quinam offerat sacrificium?* Qui facit sacrificium est sacerdos agens nomine Christi. Principalis offerens est Christus ipse. Offerentes secundarii sunt 1° Sacerdos. 2° Ecclesia, quae etiam sacrificii celebrationem ei demandat. 3° Ministri qui missae inserviunt.

4° Christifideles assistentes. 5° Qui missam postulant et sacerdoti stipendium dant.

527. *Quotuplicis generis sunt* ***fructus*** *sacrificii missae? Et in quo praecise missae* ***applicatio*** *consistit?*

I. Imprimis fructus alius est ex *opere operato* (scilicet ex meritis Christi), et hic a sacerdotis improbitate aut sanctitate est prorsus independens; unde, attento hoc solo fructu, aeque valet missa sive ab improbo sive a sancto sacerdote celebretur. Alius autem est *ex opere operantis* (scilicet 1° ex devotione sacerdotis, assistentium, et missam committentium; 2° ex meritis Ecclesiae); et ex hoc capite certe eo magis valet missa, quo maior est devotio sacerdotis, assistentium etc.

II. Insuper fructus sunt diversi, quia sacrificium missae est *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium*, *propitiatorium* et *satisfactorium*.

Latreuticum: reddit scilicet Deo cultum supremum. *Eucharisticum*: Deo scilicet reddit gratias pro beneficiis receptis. *Impetratorium*: impetrat scilicet gratias multas. *Propitiatorium:* reddit scilicet Deum propitium magisque propensum ad concedendam veniam peccatorum. *Satisfactorium:* Deum scilicet inducit ad imminuendam poenam peccatis debitam, idque etiam quoad animas in purgatorio degentes. Trid. (*XXII.* II *et* XXV *de Purgatorio*).

In honorem quoque B. Virginis et Sanctorum, atque ad gratias sive ab iisdem petendas sive iisdem agendas, sacrificium missae offerri potest.

III. Fructus missae, quatenus est ex opere operato, partim est necessarius et partim disponibilis iuxta intentionem seu applicationem sacerdotis. Me explico. Sacrificium istud 1° cedit necessario in honorem Dei atque in bonum non solum totius Ecclesiae militantis et purgantis, sed (indirecte) etiam infidelium. (Franzelin *De Sacrif. Miss. Thes. XIII Coroll. 1*). Necessario cedit etiam 2° in bonum ipsius sacerdotis, necnon missae inservientium atque assistentium. Primus dicitur fructus *generalis*, et secundus *specialissimus;* et hi fructus a voluntate sacerdotis minime pendent.

At vero in missa adest etiam fructus, qui a theologis *medius* dici solet, et iuxta specialem sacerdotis intentionem ad talem vel talem finem (v. g. suffragandi aliquem defunctum, vel impetrandi aliquas gratias vel agendi gratiam pro beneficio recepto, vel honorandi B. Virginem aut aliquem Sanctum etc.) dirigitur et applicatur. Et *in hoc fructu medio applicando* ***applicatio missae*** *consistit.*

528. *Quaeritur an sacerdos missam quam, accepto stipendio, applicat, applicare etiam possit pro aliis a quibus stipendium non accepit, ita ut unâ eademque missâ satisfacere possit tum ei qui stipendium dedit, tum obligationi applicandi, v. g. propter missam sive gratuito promissam sive iuxta piae confraternitatis regulas celebrandam?* R. Hoc admitti posset, si sacerdos applicare intenderet pro aliis solum conditionaliter, nempe quatenus sine praeiudicio illius qui stipendium dedit aliqua pro iisdem applicatio subsistere valeret.

Ballerini (*II 352 not. a*) absolutam quoque applicationem tunc licere contendit, quia ex una parte (quum unicum receptum fuisset stipendium) nulla Ecclesiae prohibitio in contrarium adesset, (prohibitio enim adest solum si pluribus acceptis stipendiis unica missa applicetur; unde Alexander VII damnavit propositionem: *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre*); et ex alia longe probabilior (ut ait) sententia est, idem sacrificium ei qui stipendium offert aeque valere, sive pro eo solo, sive pro aliis centum aut mille aut etiam pro omnibus fidelibus vivis ac defunctis simul applicetur. Rationem adducit quod sacrificii valor est infinitus, et quamvis in sua applicatione limitem habeat, tamen haec limitatio non est a parte sui, sed solum a parte obiecti pro quo applicatur, qui qropter suam capacitatem, majorem fructum recipere nequit; unde, si missa offeratur pro uno, hic recipiet fructum per quantum capax est: et, si offeratur pro eo aliisque mille, omnes recipient fructum per quantum capaces erunt; et sic ille primus per aliorum accessionem in nihilo praeiudicaretur.

Sed, si ita esset, tunc ad quid missae applicatio? Cur nempe restringere intentionem et applicare, v. g. pro talibus defunctis, vel pro uno vel pro una, si isti in nihilo praeiudicarentur quamvis applicatio extenderetur ad omnes? Reponunt, applicationem pro hoc vel illo specialiter factam respicere non iam sacrificium eiusque valorem *ex opere operato*, sed solum alias preces quae a sacerdote in missa nomine Ecclesiae recitantur; unde si hae preces, v. g. pro uno specialiter recitentur, ei iuvant magis quam si pro duobus vel tribus recitarentur. Sed (ego dico) si applicatio missae in his precibus consistit, tunc, si forte sacerdos ante consecrationem non applicasset, parum interesset sive actu consecrationis sive etiam postea applicaret. Quid insuper si sacerdos esset excommunicatus; unde nomine Ecclesiae easdem preces offerre nequiret? Nunquid proinde invalide missam applicaret? Ad quid insuper tanta missarum multiplicatio occasione funerum? Ad quid anniversaria? Ad quid tot missae perpetuae, si unica missa sufficit ut defunctus sublevetur per quantum est capax? Strictius autem loquendo de casu nostro, si applicatio missae in dictis precibus consistit; tunc, applicatione facta pro eo qui stipendium dedit, quomodo sine eius praeiudicio applicatio ad alios extendi poterit? Equidem contraria, quam Ballerini tenet, opinio a pluribus theologis sustinetur; sed a plurimis aliis

reiicitur (Cf. Lugo *De Euch. XIX.* XII), illamque et ego, maxime quia ab Ecclesiae sensu nimis abhorrere videtur, reiiciendam esse censeo.

529. Addi possunt sequentia. Damnata fuit a Concil. Constantiensi doctrina Wiclephi dicentis : « Speciales orationes applicatae uni personae « per praelatos vel religiosos non plus prosunt eisdem quam generales ». Obiicitur, aliud esse de orationibus et aliud de sacrificio. Sed idem dicendum esse quoque de sacrificio, patet ex damnatione propositionis *XXX* Synodi Pistoiensis, quae dicebat : « (Synodus) profitetur credere sacrificii « oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit « specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum : pre- « cando Deum peculialiter pro ipsis. Non tamen quod credamus in arbitrio « esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, imo damnamus hunc « errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fru- « ctus sacrificii cui vult et secundum mensuram quae ei placet ; unde et « consequenter traducit velut falsam opinionem invectam in populo, quod « illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret « unam missam, specialem fructum ex ea percipiant ». Haec autem doctrina « sic intellecta ut, praeter peculiarem commemorationem et oratio- « nem, specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote « non magis prosit, caeteris paribus, illis pro quibus applicatur, quam « aliis quibuscumque, quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali « applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus « faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro « ovibus suis, quod velut ex divino praecepto descendere a Tridentina Sy- « nodo diserte est expressum, ut falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae « iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wiclepho » proscri- bitur in dogmatica Constitutione *Auctorem Fidei.* Et Benedictus XIV (Encycl. *Cum semper*) dixit : « (Parochos) non modo sacrificium missae ce- « lebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso ap- « plicare debere, nec illum pro aliis applicare ». Sed cur non applicare etiam pro aliis, si haec applicatio his aliis prodesset et populo nihil obesset? Vide plura alia apud Perrone *(De Euch. III Prop. V).*

Dicendum est itaque quod, quamvis valor sacrificii missae sit infinitus in se, tamen non est talis in applicatione ; et Christus, eo ipso quod voluerit sacrificium istud innumeris vicibus quotidie per totum mundum et consummationem saeculi iterari, statuit ut illius fructus modo limitato applicaretur ; si enim unica missa plene iuvare posset omnibus vivis atque defunctis ; tunc christifideles de missis petendis et speciatim de sacrificiis renovandis, maxime vero de legatis perpetuis ad hoc faciendis, multo minus essent solliciti ; et sic sacerdotes (non sine maximo Ecclesiae detrimento) sustentatione carerent. Quali autem mensura fructus applicetur, et an et quantum variare possit, haec soli Deo nota sunt ; et solum ex praxi Ecclesiae arguitur quod fructus unius missae magis iuvat alicui si illi soli, quam si aliis simul applicetur, et magis deservit ad finem aliquem (v. g. obtinendi gratiam) quam si simul ad alios quoque fines (v. g. honorandi Sanctum, suffragandi defunctos etc.) dirigeretur.

Hinc, obligatione contracta celebrandi missam, v. g. pro uno defuncto vel in honorem alicuius Sancti, vel ad gratiam obtinendam etc. non liceret (etsi stipendium acceptum non fuisset) illam applicare etiam pro aliis vel ad alios fines. Si quis autem de veritate huius doctrinae dubium aliquod haberet, et applicationem extendere vellet, saltem teneretur adiicere conditionem : *Dummodo absque detrimento prioris obligationis id facere possim.*

530. *Quid exigitur* ***ut applicatio sit valida?*** Exigitur ut saltem ante aut actu consecrationis (scilicet ad minus ante finem verborum *Sanguinis mei*) intentio efformetur; secus, stipendium percipi nequiret.

Sufficit tamen applicatio *habitualis*, nempe prius efformata et nunquam retractata. Item *implicita*, dicendo, v. g.: fructus missae cedat cui cedere debet (nempe (iuxta intentionem parochi vel sacristae etc.); vel: applico pro eo cui, iuxta meas susceptas obligationes, applicare debeo etc. Item *conditionalis*, v. g.: si sacrista intentionem efformavit, pro ea applico; secus, talem aliam intentionem efformo.

531. *Quid si sacerdos, decem missas pro decem diversis intentionibus celebrare debens, illas celebraverit, sed quin determinaverit cui intentioni unumquodque Sacrum cedere deberet?* R. In praxi intentio huius sacerdotis est ut missae applicentur prout applicari debent; id enim subintelligitur (Gury *II 357*); unde sic distinguendum. Si dictae missae datae fuerint a diversis personis successive, tunc (iuxta axioma *qui prior est tempore potior est iure*) de facto ita applicatae fuerunt ut primo prima, secundo secunda etc. cederet. Si autem eodem tempore pro decem diversis intentionibus ab unica persona datae fuerint, tunc unumquodque sacrificium, pro rata, omnibus cessit. Excipe nisi altare vel dies vel aliquid aliud speciale pro aliqua designatum fuisset.

532. *An valide et licite applicari possit missa antequam petatur?* R. Si actu celebrationis subsistat causa, propter quam missa postulabitur (v. g. si sacerdos celebret pro iam defuncto, pro quo cras invitabitur, celebrationem sic anticipando); tunc applicatio valida et licita erit. Si vero fiat in genere pro primo offerente, seu pro causa quae hic et nunc forsan subsistit et forsan non subsistit, tunc periculum frustrationis aderit, et proinde huiusmodi applicationes illicitae erunt. S. Lig. (*VI 337*) et Ballerini (*II 337 q. 19 not. a*).

533. *Quid de sacerdotibus, qui applicare debentes iuxta mentem sacristae, dubitant an eo mane intentionem adhuc efformaverit?* R. Valide applicant, si celebrare

intendant iuxta praesentem aut mox futuram intentionem sacristae Deo cognitam, quae intentio iam implicite aderit, si intendant applicare prout applicare possunt et debent. Dixi: *aut mox futuram intentionem Deo cognitam;* applicatio enim est veluti sermo a sacerdote ad Deum directus. Utique autem Deus futura quoque cognoscit.

534. *Quid de variis erroribus qui in applicationibus contingere solent, v. g.* 1° *Debebam, iuxta intentionem prius efformatam, applicare pro populo aut pro quodam qui stipendium mihi dedit, et ex oblivione aliam efformavi intentionem, quam, si priorem meminissem, non efformassem?* 2° *Debebam applicare pro defuncto, sed ex mala intelligentia applicavi pro defuncta; vel applicavi pro legati fundatoribus, ignorans quod tabulae fundationis dicerent esse applicandum nedum pro fundatoribus, sed etiam pro illorum parentibus?* 3° *Invitatus die funeris applicavi pro defuncto cuius exequiae peragebantur, sed intentio sacristae erat ut pro alio applicarem?* Antecedenter in primo casu adfuit intentio explicita et praedominans applicandi *pro populo,* aut pro illo qui stipendium dedit; in secundo adfuit intentio absoluta applicandi missam datam, vel missas fundatas, et sic implicite pro defuncto, vel pro parentibus quoque fundatorum; in tertio casu potuit adesse intentio implicita applicandi iuxta mentem sacristae, si nempe aliquando concepta fuisset generalis intentio ut missae omnes cederent cui cedere debent; et quatenus ita sit, tunc in singulis his casibus applicatio valida fuit. Ratio est quia missae applicatae seu Deo oblatae fuerunt vi prioris intentionis; missa enim applicatur quando primitus intentio efformatur, nec postea praeter celebrationem quidquam aliud requiritur, ut bene probat Lugo (*De Sacr. in gen. VIII 9. 4*). Intentio autem subsequens, si (ut supponimus) in errore fundetur, primam non destruit, et apud Deum nihil valet; unde applicatio in suo robore permanet. Hoc ad minus probabile esse debet. Caeterum, quum alterutra applicatio valida certe fuerit, melius erit (quando fieri potest) ut alia vice Sacrum applicetur ei cui applicatum non fuit. Cf. Gury (*II 355 et Cas. consc. II 335. 342 et I 6*).

PUNCTUM XII.

De missae stipendio.

535. *Quo sensu licet missae stipendium petere et accipere?* Certe licet illud petere et accipere titulo sustentationis; an autem titulo mercedis, vide *Vol. II n. 528.*

536. *Stipendium pinguissimum potestne pro unica missa accipi?* Affirmative, dummodo scienter (non vero ex errore) et sponte datum fuisset. (S. C. C. *27 Ian. 1877* apud Acta *X 120*).

537. *Daturne casus in quo pro unica missa accipi possint duo stipendia?* Equidem rarissime, sed aliquando casus huiusmodi dari potest; et contingeret si unus ex offerentibus stipendium, aperte diceret, se non applicationem, sed solam celebrationem, seu (uti aiunt) praesentiam, exigere. Dixi *aperte diceret;* in dubio enim talis intentio non praesumeretur. Vide Lambertini (*Instit. LVI 9*). In quibusdam quoque capellaniis sola praesentia exigitur, idque interdum dignosci potest clare etiam ex solis coniecturis, ut puta, si ex una parte intentio testatoris fuisset providendi ut populus posset die festo missam audire, et ex alia redditus assignati fuissent nimis tenues atque obligationi etiam applicationis non proportionati. Cf. Scavini (*II 269*).

538. *Stipendium lege aut consuetudine dioecesana approbatum potestne exigi, imo etiam ante celebrationem in pactum deduci?* Affirmative (cavendo tamen a scandalo quantum possibile erit). Imo Episcopus alicubi posset legem ferre ne stipendium taxato minus acceptetur. S. Lig. (*VI 320*).

539. *Potestne peti stipendium consueto maius?* Secluso iusto titulo, negative; et certe illud exigere, aut importune expostulare, aut ab ignaro petere, aut dolose extorquere, iniustitia esset; unde sacerdos pro excessu ad restitutionem teneretur. Salmant. (*XIX.* II *23*). Interveniente autem iusto titulo, affirmative.

Iustus titulus augmentum exigendi consistit in incommodo exstraordinario; v. g. si longum iter ad missam cele-

brandam suscipi deberet; si hora celebrationis esset incommoda; si sacerdos pinguiori emolumento privari cogeretur etc. Salmant. (*l. c. 18*). Oportet tamen 1° ut talis titulus vere subsistat, unde contra iustitiam peccant qui, ad obtinendam maiorem eleemosynam, dicunt: *Alii mihi dant tale vel tale stipendium: unde pro stipendio minori missas celebrare nequeo;* peccant, inquam, contra iustitiam si fingant se habere adeo magnam huiusmodi eleemosynarum abundantiam, ut, celebrando aliquam missam minori stipendio, damnum subituri essent, dum reapse id verum non sit. Oportet 2° ut in augmento exigendo iustitiae limites non excedantur; excessus autem simoniacae quoque intentionis suspicionem daret. Oportet 3° ut scandalum non praebeatur. Scandalum autem praebent qui requisiti de missa celebranda tali vel tali hora aut loco, semper in ore habent illa adeo male sonantia verba: *Quantum mihi dabis?* Equidem pactum antecedens licitum esse potest, sed solum in duobus casibus, si nempe ageretur vel de onere longi temporis, vel de casu in quo sciretur petentem missam cum incommodo extraordinario (sive quia sit avarus, sive quia ignoret incommodum ipsum) nihil esse retributurum. Et notandum quod, si ageretur de saecularibus, satius esset respondere: *Missam istam acceptare non possum,* quin ratio indicaretur. Vide *Casus consc. an. 1884* (*Cas. V*).

PUNCTUM XIII.

Quid speciatim notandum circa illos, qui missas acceptant et postea aliis celebrandas tradunt.

540. I. Interdum obligatio potest esse *personalis;* et tunc missae aliis tradi nequeunt. Pingue stipendium, v. g. datum fuit sacerdoti eximiae pietatis, et oblator satis clare significavit suam esse voluntatem ut celebret personaliter.

Quoad capellanias tamen obligatio personalis nunquam recognoscitur, nisi in fundatione adsint haec praecisa verba: *per se ipsum* (Cf. Lugo *Resp. mor. V.* XXVI).

II. Interdum obligatio est *localis*, ut nempe missae in tali altari (v. g. privilegiato, vel utcumque designato), aut in tali ecclesia celebrentur.

Haec conditio potest esse expressa, vel solum praesumpta. Praesumitur autem si ageretur de Sanctuario. Tunc tradi nequeunt aliis, qui in ecclesia ipsa non essent celebraturi; et si propter multitudinem non ex toto in illa celebrari possent, tunc (ut ait Benedictus XIV in *Instit. 56*) S. C. Concilii praecipere solet ut palam in templo tabella apponatur, quae declaret missas celebrandas esse ibi quantum fieri poterit, alias vero (quae supererint) alibi. Quamvis autem non ageretur de Sanctuario, potest remanere dubium an ex intentione offerentium, missae ad talem ecclesiam delatae extra illam celebrari valeant, unde ad minus bona regula erit, ut aliis non dentur celebrandae toties quoties per sacerdotes eiusdem ecclesiae satisfieri posset.

III. Si pecuniae summa in suffragiis erogari debeat neque offerentes determinaverint stipendium, prout accidit in collectis vulgo *pro purgatorio;* tunc rector ecclesiae sacerdotibus celebrantibus vel mortuorum officium recitantibus, dare poterit stipendium iuxta loci consuetudinem, et iuxta praesumptam oblatorum voluntatem omnia erogare. Si autem versetur in dubio an tali vel tali modo praedictam pecuniam, eiusve partem, erogare possit, Episcopum consulat.

IV. Sacristae tenentur missas adventitias cum adiunctis requisitis et indicatione diei atque stipendii adnotare, adimplementum procurare, efficere ut stipendia diversa suas relativas missas comitentur, et tempestive intentiones absque confusione efformare. Si quando, attentis circumstantiis, grave periculum sit ne aliquis sacerdos intentionem diversam efformet, illum admonere debent.

Sed quid si singulae missae applicandae sint pro diversis, et, confluentibus multis sacerdotibus, duo eodem tempore missam incipiant, et sacrista non determinaverit quisnam pro uno et quisnam pro alio applicare debeat? R. Intentio sacristae est ut missae applicentur pro illis personis eo modo quo applicari poterunt. In casu autem

non aliter fieri potest nisi ut ambo sacerdotes pro illis duabus personis applicent. Sic ergo fiet, et oblatoribus nihil damni obveniet.

V. Qui missas sibi oblatas alii tradit, *videat imprimis cui tradat, ut reapse applicentur*. (Si tamen tradantur sacerdoti, semper praesumendum erit quod illas celebrabit et applicabit, nisi signa gravia et fundata in contrarium adessent). Moneat quoque de adiunctis, et praecipue a quanto tempore eas acceperit, ut intra mensem (vel tale aut tale spatium, iuxta supradicta) a die oblationis celebratio absolvatur. Nihil dico de exigenda fide celebrationis peractae, et quidem ita ut (si agatur de sacerdotibus alienigenis) curiae episcopalis testimonium non deficiat.

VI. Innocentius XII (in bulla *Nuper*) et Benedictus XIV (in bulla *Quanta cura*) districte prohibuerunt ne sacerdotes, qui missas susceperunt celebrandas cum certa eleemosyna, easdem aliis, *parte eiusdem eleemosynae sibi retenta* celebrandas committant. Porro id non solum avaritiam sordidissimam proderet, turpe mercimonium saperet et christifideles ab eleemosynis ad celebrandas missas offerendis alienaret; sed etiam furtum restitutioni obnoxium constitueret, quatenus intentio fidelium est ut integrum stipendium ad sacerdotem missam celebrantem (et non ad alios) spectet. Idem dic si missae a pio testatore relictae fuissent; tunc enim executor testamentarius, si missas celebrare faceret alibi ubi stipendium est minus, salva iustitia, augmentum sibi retinere nequiret; eadem enim ratio vigeret. S. Lig. (*VI 322*).

541. Haec tamen lex ad casus sequentes minime extenditur.

1°) Quoad beneficiatos, S. C. C. (*Declar.* bullae *Nuper*) dixit, hanc legem non habere locum, sed « satis esse ut re-« ctor beneficii (*aut Capellaniae*), qui potest missam per « alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosy-« nam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, « nisi in fundatione beneficii (*aut Capellaniae*) aliud cau-« tum fuerit ». Apud Scavini (*IV n. 417*).

2°) Si stipendium consueto pinguius datum fuisset non tam intuitu Missae, quam personae, nempe propter amici-

tiam, propinquitatem, gratitudinem etc.; tunc sacerdos (intellige si non teneretur celebrare missam illam personaliter) excessum retinere posset. S. Lig. (*VI 321*). Idem dic si clare pateret quod augmentum spectaret v. g. ad parochum pro iuribus stolae, vel (occasione missae cantatae aut matrimonii) propter inservientes, ceram, organum etc. Cf. declarationem S. Congr. Conc. (*25 Iul. 1874*) apud *Monitore* (*I pag. 464*).

3°) Ecclesiae, quae missas celebrandas acceptaverunt, utique ad earundem effectivam celebrationem se obligarunt, sed ita ut detrahere possint utensilia iuxta taxam dioecesanam (si ad hoc alii reditus non adsint, et iam sit de more ut utensilia praeleventur); qui enim dant eleemosynam pro missa, intentionem habent ut eleemosyna ipsa deserviat etiam pro utensilibus necessariis. Qui autem missam acceptavit, illam celebrare deberet etiam si eleemosyna impar esset; secus enim ab illa acceptanda abstinere debuisset. Cf. Benedictum XIV *Instit. LVI 12*, et Pallottini v. *Utensilia*.

4°) Si occasione solemnitatum aut peregrinationum etc., aliquis praesto esset, qui missarum eleemosynas a turmatim offerentibus reciperet, nihil obstaret quominus pro illius mercede ex eleemosynis perceptis (si aliter fieri nequiret et servato numero) aliquid detraheretur. (S. Lig. *VI 322 ad 3*).

5°) S. C. Concilii interrogata fuit an liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia, ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut illorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim propriis redditibus careant? Et (*die 25 Iul. 1674*) respondit, oblatorum consensum esse necessarium; secus, non posse. Et de re ista vide infra *n. 550*.

6°) Quamvis ex missarum eleemosyna nihil detrahi possit ex avaritia vel fine lucri aut negotiationis, etsi sacerdos substitutus huic imminutioni ei expresse indicatae consentiret (Bened. XIV in bulla *Quanta cura*); attamen, si finis esset honestus et irreprehensibilis (v. g. ad causam piam vel propter sacerdotis missam per alium celebrare facientis paupertatem), et si pars illa peteretur quidem sed

non exigeretur ad modum conditionis sine qua non; substitutus autem omnino liberaliter et libenter consentiret; tunc nihil vetaret quominus ex praesumpto quoque oblatoris consensu eadem pars eleemosynae (aut etiam tota) retineri posset. Cf. Acta S. Sedis (*III pag. 558*) Pallottini v. *Missa § IV* (quoad eleemosynam) *n. 7* et Frassinetti (*Not. 117 ad n. 368*).

542. *An Titius sacerdos, qui debeat hodie celebrare missam sibi datam cum stipendio pinguiori (v. g. 5 francorum), quum hodie debeat aut velit celebrare aliam missam (v. g. pro populo vel funere etc.), possit rogare Caium sacerdotem, qui habeat solum missas celebrandas cum stipendio synodali (v. g. unius franci), ut commutet intentionem, ita ut Caius hodie celebret dictam missam datam Titio, et Titius celebret cras missam, quam Caius celebrasset hodie; dum uterque retinet suum stipendium; ita scilicet ut commutentur intentiones sed non commutentur stipendia?* Mea sententia est negativa. Enimvero iam dixi quod bulla *Nuper* prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat; quod decretum postea declaratum fuit a S. C. C., quae ad quaesitum: « An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro cele« bratione missae, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus « missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus « eleemosynam consuetam? » Respondit: « Debere absolute integram elee« mosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem retinere « posse ». At vero in casu Titius non dat Caio integram eleemosynam, sed minus; ei enim concedit solum ut sibi retineat unum francum sine obligatione celebrandi missam correspondentem, quae a Titio celebratur; et sic perinde est ac si, loco integrae eleemosynae quinque francorum, unum tantummodo francum ei det, aliam partem sibi retinendo. Sic in terminis decisum fuit a S. Congr. Concilii (*6 Maii 1885*) apud Acta S. Sedis (*II 184-203*), ubi legitur: « Non sustineri conventionem, etiam assensu Episcopi initam, « permutandi Sacrificiorum applicationem, non inde facta respectiva per« mutatione eleemosynae ». Ratio autem est non solum quia res huiusmodi indignum mercimonium redoleret, sed etiam quia intentio fidelium est ut eleemosyna (nisi detur intuitu personae) sacerdoti missam celebranti detur; eccur enim alteri, qui nihil facit?

543. *Sunt sacerdotes, qui se offerunt ad celebrandas missas, ut loco eleemosynae recipiant libros, aut diaria aut sacra utensilia. Quaeritur* 1° *An liceat bibliopolis, aut editoribus sive diariorum sive librorum, aut mercatoribus sacrorum utensilium, in huiusmodi finem missarum eleemosynas colligere?* 2° *An eleemosynas ipsas bibliopolis aliisque praedictis liceat concedere?* 3° *An ipsi bibliopolae aliique libros aut alias res possint sic (ope missarum) vendere?* 4° *An sacerdotes possint sic praedicta emere?*

Ad unumquodque ex his quaesitis respondendum est negative; ita scilicet ut, seclusa venia S. Sedis (quae hodie non amplius facile obtinebitur), haec omnia et singula sub gravi interdicantur, atque etiam ecclesiasticis poenis subiiciantur; idque patet praecipue ex decreto *Vigilanti* (*25 Maii 1893*), atque ex alio decreto *Ut debita sollicitudine* (*11 Maii 1904*).

544. Decretum *Vigilanti* est sequentis tenoris.

« Vigilanti studio convellendis eradicandisque abu-
« sibus missarum celebrationem spectantibus iugiter incu-
« buit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne
« hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque
« testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem
« ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

« Quapropter ad cohibendam pravam quorundam licen-
« tiam, qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius
« cum clero commutandas, missarum ope utebantur, non-
« nulla constituit, eaque, Pio PP. IX approbante, edi et
« Ordinariis nota fieri curavit ut ab omnibus servarentur.
« Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

« I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque impro-
« banda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coer-
« cenda sit ab episcopis eorum bibliopolarum vel merca-
« torum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis
« et praemiis, vel *alio quocumque modo, missarum eleemosynas* **colligunt,** *et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependant?*

« II. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat,
« vel quia, nulla facta imminutione, tot missae a memo-
« ratis collectoribus celebrandae committuntur, quot col-
« lectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pau-
« peribus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus
« subvenitur?

« III. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et
« erogationes tunc etiam improbandae, et coercendae, ut
« supra, sint ab episcopis, quando lucrum, quod ex mer-
« cium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in
« proprium colligentium commodum, sed in piarum insti-

« tutionum et bonorum operum usum vel incrementum « impenditur ?

« IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque im- « probandi atque etiam coercendi, ut supra, sint *ii, qui « acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missa- « rum* ***tradunt*** *bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum « collectoribus*, sive recipiant, sive non recipiant quidquam « ab iisdem praemii nomine ?

« V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque impro- « bandi et coercendi, ut supra, sint *ii qui a dictis biblio- « polis, et mercatoribus* ***recipiunt*** *pro missis celebran- « dis libros aliasve merces*, harum pretio sive imminuto « sive integro ?

« VI. An liceat episcopis sine speciali S. Sedis venia « ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus « Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum « decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea « propriis reditibus careant ?

« In peculiari conventu *anni 1874* S. C. resolvit :

« Ad I. Affirmative.

« Ad II. Negative.

« Ad III. IV. et V. Affirmative.

« Ad VI. Negative, nisi de consensu oblatorum.

545. « Sed cum postremis hisce annis constiterit, sa- « lutares huiusmodi dispositiones ignorantia aut malitia sae- « pius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque « invaluisse, E.mi Patres S. C. Tridentini interpretes ac « vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu « mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem « decretum erat in memoriam plenamque observantiam « denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper san- « ctione munire.

« Praesenti itaque decreto statuunt ut in posterum « *si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta « deliquerit, suspensioni a divinis* S. Sedi reservatae et « ipso facto incurrendae obnoxius sit : clericus autem « sacerdotio nondum initiatus *eidem suspensioni quoad « susceptos ordines similiter subiaceat, et inhabilis prae- « terea fiat ad superiores ordines recipiendos :* laici de-

« mum *excommunicatione* latae sententiae episcopis reser-
« vata obstringantur ».

546. In decreto autem *Ut debita sollicitudine* praedicta confirmantur et declarantur; indulta vero a S. Sede concessa revocantur; in eoque sequentia leguntur.

« Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes
« et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel piis locis acce-
« ptas **tradere** bibliopolis et mercatoribus; diariorum et
« ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri
« sint; nec non venditoribus sacrorum utensilium et in-
« dumentorum, quamvis pia et religiosa sint instituta; et
« generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui mis-
« sas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per
« se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quem-
« libet, quamvis optimam, finem.....

« Decernitur.... eleemosynam nunquam separari posse
« a missae celebratione, neque in alias res commutari aut
« imminui, sed celebranti ex integro et **in specie sua**
« esse tradendam; **sublatis declarationibus, indutis** pri-
« vilegiis, rescriptis sive perpetuis, sive ad tempus, ubi-
« vis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate con-
« cessis et huic legi contrariis.

« Libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res **ven-**
« **dere aut emere,** et associationes (uti vocant) cum diariis
« et ephemeridibus inire ope missarum nefas esse atque
« omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si aga-
« tur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quo-
« ties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium
« alicuius commercii vergat ».

547. Rationes huius legis sunt 1° Periculum ne, sive quia collectores eleemosynas sic et simpliciter sibi retineant, sive quia sacerdotibus de quibus non sit fidendum celebrationem committant, missae non celebrentur. 2° Periculum ne celebratio procrastinetur ultra tempus debitum. 3° Periculum ne contra intentionem offerentium, missae celebrentur in locis dissitis, aut etiam non servatis ecclesiis, altaribus, aliisve conditionibus sive expresse sive tacite requisitis. 4° Periculum ne propter confusionem fiant applicationes invalidae. 5° Periculum ne valor librorum aut

aliarum mercium non aequivaleat eleemosynis quae pro missis datae fuerunt, et sic de iisdem usque ad turpe lucrum et iniustitiam indignissimus abusus fiat. 6° Denique indecentia et consequens scandalum atque damnum Ecclesiae ; haec enim agendi ratio (ut verbis utar Benedicti XIV in bulla *Quanta cura*) in causa esse potest, ut bonorum Christifidelium quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura huiusmodi veniat, graviter offensi ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant.

548. *An a praedictis excuset bona intentio ; si nempe nihil fieret ex fine lucri, sed ageretur de piis personis quae ex sola intentione sustentandi bonas ephemerides, vel bonos libros hoc faciliori modo sive spargendi sive acquirendi etc., ita se gererent?*

Hodie certissimum est quod, non obstante ista aut qualibet alia bona intentione, haec non licent. Decretum *Vigilanti* expresse id vetuit etiam quando totum lucrum in piarum rerum institutionem et bonorum operum usum vel incrementum impendatur. Et decretum *Ut debita sollicitudine* subdit hoc interdici, quamvis sint pia et religiosa instituta, et quamvis agatur de viris ecclesiasticis qui ita se gerant ex quolibet fine nedum bono sed optimo.

Dixi *hodie ;* in antecessum enim a S. Poenitentiaria et a S. C. C. aliquae emissae fuerunt declarationes in contrarium (Cf. *Monitore Vol. I pag. 478*); sed (ut supra vidimus *n. 546*) prorsus sublatae fuerunt.

549. *An saltem excuset certitudo quod Missae nedum celebrabuntur, sed (antequam libri vel diaria mittantur) iam celebratae sint?* Ne id quidem excusat quoties id (ut dicit *l. c.* decretum *Ut debita sollicitudine*) in usum et habitudinem cedat, et in subsidium alicuius commercii vergat.

550. *Quid speciatim de missis, quae* ***ad Sanctuaria*** *deferuntur?* Hac in re idem decretum *Ut debita sollicitudine* dicit : « Sine nova et speciali S. Sedis venia « (quae non dabitur nisi ante constiterit de vera necessi- « tate, et cum debitis et opportunis cautelis) ex eleemo- « synis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis « tradere solent, *non licere quidquam detrahere* ut ipso- « rum decori et ornamento consulatur ».

PUNCTUM XIV.

De missis quoad numerum, reductiones, suspensiones, translationes, commutationes et sanatorias.

551. *Quid est reductio, suspensio, translatio, commutatio, et sanatoria quoad missas?*

I. **Reductio** est facultas a legitima auctoritate concessa missarum numerum minuendi in futurum.

II. **Suspensio** est praetermissio celebrationis ob aliquam causam, donec appareat an et quomodo celebratio ipsa prosequi debeat.

III. **Translatio** est facultas concessa celebrandi missas in ecclesia vel altari diverso a designato.

IV. **Commutatio** est facultas peragendi aliquod opus pium loco celebrationis missarum.

V. **Sanatoria** est venia, quae subinde conceditur pro missis quae celebrari debuissent et celebratae non fuerunt.

552. *Quaenam est prima regula quoad* ***numerum*** *missarum?* Videndum an numerus iam sit determinatus a tabulis fundationis, vel (quoad missas adventitias) ab offerentibus; et tunc eidem numero standum erit, nisi obtenta fuerit reductio vel aliqua iusta causa excuset.

553. *An numerus missarum diminui possit, quia stipendia acceptata consueto stipendio minora sint aut evaserint?* Negative (seclusa fraude a parte oblatoris). Privata auctoritate, nemo potest hac de causa missarum numerum diminuere, ut expresse cautum fuit in bulla *Nuper n. 3.*

554. *An numerus missarum ab offerente assignatus diminui possit propter utensilia?* Negative, si idem numerus fuerit acceptatus. Vide dicta (*n. 541. 3°*).

555. *An beneficiatus vel rector capellaniae, qui missae quotidianae onus habet, aliquos dies infra annum sine missa relinquere possit?*

Imprimis videndum an in tabulis fundationis adsit aliqua specialis expressio, ex qua argui debeat an hoc permitti possit necne.

Si autem tabulae fundationis loquantur in genere tantummodo de missa quotidiana, tunc sequenti modo distinguendum est.

Si beneficiatus vel capellanus non teneatur celebrare personaliter, sed solum procurare debeat ut missa quotidiana celebretur, tunc sinere nequibit ut ulla dies sine missa remaneat. (Cf. Pallottini v. *Capellanus § 3 n. 143*).

Si autem celebrare debeat *personaliter*, tunc theologi recte docent quod interdum iustis de causis ab huiusmodi celebratione *personali* abstinere potest. Hae causae essent 1° infirmitas; 2° si aliquando ex motivo conscientiae ad celebrandum non esset dispositus; 3° si propter humilitatem et reverentiam sincero animo interdum (nempe ad summum semel in hebdomada) abstinere mallet; 4° si aliquando (nempe quinquies aut sexies in anno) pro suis defunctis aut pro se ipso applicare vellet; 5° si ex necessitate itineris suscipiendi vel ex alio impedimento, vel ex quacumque causa rationabili (non excluso moderato oblectamento) a celebratione vellet abstinere.

Sed tenebiturne tunc *supplere per alium?* Hoc in puncto theologi non pauci laxissime loquuntur, et admittunt per alium supplere non teneri nisi ultra duos menses, saltem si agatur de casu infirmitatis. At vero haec doctrina admitti nequit; decisionibus enim S. C. C. est nimis contraria.

Vera doctrina est sequens: Si agatur de infirmitate casuali, tunc beneficiatus vel capellanus usque ad quindecim dies per alium supplere non tenetur. Si vero agatur de infirmitate incurabili aut chronica, aut de motivis diversis ab infirmitate; tunc semper supplere tenetur. Cf. Pallottini (*l. c. n. 134. 126. 142*).

556. *An missarum numerus diminui possit, quia capellaniae vel beneficii redditus non solum imminuti fuerint sed non amplius sufficiant?*

Imprimis videndum ne forte beneficiatus culpa propria reddituum imminutionem subierit; beneficiati enim strictissime tenentur curare ut redditus conserventur, et media etiam coactiva in hunc finem (si opus sit) adhibere debent. (Ferraris v. *Miss. Sacrif. A. n. 2*).

Deinde si causa insufficientiae ab augmento stipendii postea in Dioecesi subsecuto provenerit; tunc reductio, privata auctoritate, certe fieri nequit. (*Trid. Sess. XXIV c. 4*).

Si vero causa insufficientiae provenerit a defectione reddituum, tunc, si defectio sit totalis (dos beneficii, v. g. pro aliquo anno evasit totaliter infructifera vel usurpata fuit) beneficiatus eo tempore celebrationem suspendere poterit (Cf. *Monitore III.* 1 *185*); si vero sit partialis, tunc est iterum distinguendum. Si haec sit per accidens, dum prius fructus superabundabant et postea pariter superabundare poterunt, tunc beneficiatus nihil imminuere potest (Tamburini *Meth. Miss. III.* 1 *96*); si autem defectio partialis sit stabilis, tunc reductio a S. Sede obtineri poterit.

Aliqui dicunt privata quoque auctoritate adimplementi imminutionem fieri posse; sed haec doctrina admitti nequit; Ecclesia enim, ad praecavendum periculum hallucinationis et abusuum, omnino exigit ut (quamvis de re manifesta ageretur) reductio petatur. Cf. S. Lig. (*VI 331 d. 2*), Tamburini (*De Sacrif. Missae III.* 1 § *2 n. 2 et* § *3 n. 90*), et decisionem S. C. C. (apud *Monitore l. c.*).

557. *An numerus missarum determinatus diminui possit propter expensas in taxis, in litibus, vel in decretis reductionum?* Beneficiati et capellani expensas istas sustinere tenentur de proprio, quia fructus beneficii et capellaniae onera missarum excedere solent, et proinde tunc a fortiori redeunt supradicta; privata scilicet auctoritate nulla missarum imminutio fieri poterit.

Aliud esset si celebrandae essent tot missae, quot correspondent fructibus liberis ab expensis; aut si ageretur solum de summa pecuniae eroganda in missis, atque summa ipsa sive taxis oneraretur, sive propter lites vel quaslibet alias expensas necessarias, imminutioni subiiceretur.

558. *Quid si numerus missarum non fuisset determinatus, sive quia* 1° *missae celebrari deberent varie iuxta annuam reddituum varietatem; sive quia* 2° *in concione vel in capsulis pro animabus purgatorii eleemosynae in confuso collectae fuerint; sive quia* 3° *in tabulis fundationis testator nec summam nec numerum missarum determinaverit?*

In primo casu (etiam ex modo dictis) res est clara: et solum notandum quod si fructuum augmentum provenisset a speciali atque indebita industria, computari non deberet. Tamburini (*Meth. Miss. III.* I *92*).

In secundo casu, eleemosynae *pro animabus purgatorii* recollectae erogari deberent in missis vel officiis mortuariis iuxta consuetudinem notoriam atque a parochis (etiam meticulosae conscientiae) servatam. Quoad concionem pro animabus purgatorii adesse solet consuetudo praelevandi aliquid pro concionatore ipso (et quidem in summa aliquantulum abundantiori, si propter ecclesiarum paupertatem concionator quadragesimalis non posset aliter sufficienter compensari). S. C. C. interrogata: *An sustineri possit consuetudo assignandi favore sacri concionatoris partem eleemosynarum in suffragium defunctorum collectarum in casu?* Respondit: *Tolerari posse.* (*28 Apr. 1888* apud Acta *XXI 129*). Quoad capsulas, si consuetudo esset faciendi erogationem iam notoriam, tunc nihil dubii. Sed quid si merito dubitari posset ne ab offerentibus erogatio satis cognoscatur, et approbetur? Tunc (tamquam a re simili) sumenda esset regula a decreto sequenti: *Nihil innovetur: tantum apponatur tabella in ecclesia qua fideles doceantur, quod illis ipsis eleemosynis una canitur missa in die commemorationis omnium fidelium defunctorum.* S. C. C. (*27 Ian. 1877* apud Acta *X 120*).

In tertio casu, nisi res iam definita fuisset ab observantia, inspiciendae essent circumstantiae, et iuxta illas executores testamentarii vel Ordinarius missarum numerum determinare deberent. Cf. Pallottini (v. *Missa* § x *n. 1-8*).

559. *Si petenda esset aliqua reductio, vel sanatoria, habentne Episcopi facultatem gratias istas concedendi?* Iure ordinario, negative: sed ad S. Sedem (nisi Episcopus facultatem delegatam habeat) recurrere oporteret. Excipe nisi in fundatione dictum fuisset, Episcopos quoque missas reducere posse. Cf. Lucidi (*II.* VII *78. 79*).

560. *Quid si legatum esset adeo tenue, ut, si recurrendum esset ad S. Sedem, totum aut fere totum insumendum foret pro expensis?* Resp. Pro reductione recurrere oporteret nihilominus ad S. Sedem, quae absque ulla expensa gratiam concessura esset. *Declar.* Bullae *Nuper* § XX *ad I*.

561. *Quibus de causis missarum* **reductiones** *a S. Sede obtineri solent?* Causae istae sunt 1° Paucitas sacerdotum. 2° Stipendii tenuitas vel augmentum stipendii

currentis (ita ut proinde non inveniantur qui pro illo tenui stipendio missas celebrare velint). Videndum tamen semper ne haeredes teneantur supplere, ita ut proinde eleemosyna quidem augeri, sed idem numerus missarum celebrari debeat. 3° Extenuatio redditnum fundi pro missis designati. Sed etiam hoc in casu videndum ne haeredes ex aliis fundis providere debeant. Cf. Bened. XIV (*De Syn. XIII C. nll. n. 30*) et Lucidi (*l. c. 97-101*). 4° Maiores expensae necessariae ad victum. 5° Si urgeret necessitas pro fabricis, erogando sic pro illis quod pro missis erogari deberet. 6° Specialis paupertas beneficiati etc. S. Lig. (*VI 331*). 7. Interdum maiores (v. g. parochi reductionem petentis) labores, eo quod, deficientibus sacerdotibus, auxilium non habeatur; vel necessariae evaserint maiores expensae pro vicariis et coadiutoribus; vel maior evaserit necessitas eleemosynas pauperibus elargiendi etc.

Notandum quod reductiones difficile conceduntur *in perpetuum*; et tunc exigerentur causae in perpetuum duraturae.

562. *Quid si prius alia reductio obtenta fuisset?* In supplici libello, id exprimi deberet; reductio enim reductionis non conceditur nisi nova interveniat necessitas. Scavini (*III 264*).

563. *Quid si legatum ultra missas comprehenderet alia onera pia, v. g. dotes, anniversaria etc.; et imminutis redditibus reductio necessaria esset?* Tunc potius opera pia quam onera missarum reduci deberent, nisi ex tenore testamenti aliisve coniecturis aliam fuisse mentem testatoris conspiceretur. Cf. Lucidi (*Vol. II Cap.* VII *n. 102. 103*).

564. *Quid si sacerdos vel legatarius, facultate minime petita, oneris alicuius adimplementum omisisset?* Supposita causa sufficienti seu magna difficultate debito satisfaciendi, **sanatoria** vel compositio a S. Sede impetrari poterit. Pro foro externo (ope Curiae Episcopalis) a Rev.ma Fabrica S. Petri, et pro foro conscientiae a S. Poenitentiaria (per confessarium, tacito nomine poenitentis) obtineri poterit.

Si qui gratiam petit esset *recidivus* (aliam scilicet sanatoriam obtinuisset): maxime vero si ex malitiosa intentione veniam obtinendi, missarum celebrationem praetermisisset; tunc id exprimere deberet; secus enim gratia invalida foret.

Inter causas rationabiles ad sanatoriam obtinendam praecipua est *paupertas sacerdotis,* quae potest esse *relativa,* quatenus scilicet, etsi sacerdos otiose non vivat, sed laboribus sibi convenientibus incumbat, non plus habeat quam necessarium ut iuxta decentiam sui status vivere possit. Cf. Scavini (*III 264*) et Bened. XIV (*De Syn. XIII c. ult. n. 12*).

565. *Quid si, sanatoriâ vel missarum reductione iam obtentâ, cessaret causa propter quam obtenta fuit; sacerdos scilicet dives evaderet, vel redditus augerentur aut recuperarentur?*

Sanatoriam valere in perpetuum et nunquam vim suam amittere passim dicunt.

De reductione, teste Scavini (*III 263 q. 1*), theologi non conveniunt. Ego sic dicerem : gratia vim suam amitteret 1° si iam expresse sub conditione concessa fuisset, dicente rescripto v. g. si *tamdiu* imminutio reddituum perduret; 2° si cessatio causae esset evidens, ut puta, si redditus usurpati restituerentur. (Cf. *Monitore III.* 1 *185*). In aliis casibus (ne scrupulis aditus aperiatur) pro gratiae continuatione standum erit.

566. *Quid si, ob negligentiam Rectorum Ecclesiarum, iam a longo tempore aliquarum missarum celebratio omissa fuisset, aut missae plurimae, non servando obligationem altaris privilegiati, celebratae fuissent?* Resp. Providendum pro futuro et reparandum pro praeterito.

Ad providendum pro futuro, in sacristia palam exponenda est tabella onerum ; quotannis insuper a superioribus faciendae sunt revisiones, prout iam de iure haec omnia praescribuntur; et circa altare privilegiatum, exponenda erit indicatio altaris ad quod, durante tali vel tali legato, sacerdotes pro missa se conferre debent.

Ad reparandum pro praeterito, praesens Rector videbit an pro missis non celebratis redditus disponibiles remaneant, atque an pro altari privilegiato neglecto, sit casus obligationis petendi sanatoriam.

567. *Quoad missarum* **translationem**, *quaeritur an sit in facultate Episcoporum illam concedere?* Lucidi (*II Cap.* VII *n. 108*) dicit : « Si casus intercidat, quo in Ecclesia a testatore designata missae cele« brari omnino nequeant, licebit Episcopis earundem translationem ad

« alteram ecclesiam impertiri..... Attamen caute hac in re ab Episcopis « procedendum esse videtur » : idque maxime verum esset si ageretur de translatione perpetua, vel in ecclesia vel capella designata adesset sepulcrum familiae fundatoris, vel utcumque constaret talem circumstantiam ei valde cordi fuisse.

PUNCTUM XV.

De binatione, scilicet iterata eodem die missae celebratione.

568. *Quandonam datur facultas binandi?* Ut sacerdos binare possit, quatuor exiguntur, nempe 1° ut agatur de casu necessitatis; 2° ut licentiam ab Episcopo vel a S. Sede obtinuerit; 3° ut sit ieiunus; 4° ut eleemosynam pro secunda missa non recipiat.

569. *Quid de prima conditione; quid scilicet exigitur ut* ***casus necessitatis*** *vere constituatur?* Ecclesia hoc in puncto rigidissima est, et exigit 1° necessitatem strictam et manifestam a parte populi. 2° Impotentiam (ut ita dicam) absolutam inveniendi alium sacerdotem.

Rigor huiusmodi omnino exigitur, quia secus christifideles scandalizarentur, credendo aut suspicando quod sic fiat ad habendas plures eleemosynas, aut quod parochi duas missas celebrent ex avaritia, ut nempe eleemosynam aliis sacerdotibus celebraturis tribuere non cogantur. Adde quod, si absque necessitate plures missas celebrare liceret, alii sacerdotes, qui possent se praestare, non advocarentur, et sic sine eleemosyna remanerent.

570. *Quandonam aderit dicta* ***necessitas a parte populi?*** Casus practici sunt duo, scilicet 1° Si (intellige semper die festo, ut populus praecepto audiendi missam satisfacere possit) necessaria sit missa in duabus ecclesiis, attentis distantiis vel fluminibus dividentibus etc. (prout facilius contingere posset si parochus duas paroecias regendas, aut pro parochianis valde dissitis ecclesiam subsidiariam haberet). 2° Si in una eademque ecclesia (attenta vastitate paroeciae vel templi angustia vel aliarum ecclesiarum distantia) oporteret ut secunda missa celebraretur. Praeter hos duos casus, apud nos vix aut ne vix quidem, alius casus datur; et certe sola ratio sive magis fovendi devotionem aut sacramentorum frequentiam in populo; sive habendi, v. g. tertiam missam pro festo Titularis

vel simili, apud nos non sufficeret. Cf. Const. *Declarasti nobis* Benedicti XIV et Acta S. Sedis (*XXI pag. 159*).

571. *Ad constituendam strictam necessitatem, sufficitne si quindecim, viginti, triginta personae sine missa remanere cogerentur? Et quid si possent quidem absolute loquendo ad aliquam ecclesiam se conferre, sed solum cum incommodo excessivo?* Si ageretur de triginta vel quadraginta personis, quae sine missa remanere cogerentur; tunc Leo XII respondit, Episcopum decernere posse iuxta suam prudentiam, depositis omnibus anxietatibus et scrupulis (Acta *VI 559*). Si autem ageretur solum de quindecim aut viginti personis, tunc S. C. S. O. (*28 Ian. 1688*) censuit: *Non licere*. Sed hoc intelligendum, nisi speciales superadderentur circumstantiae (Acta *l. c. 564*). Et sane durum videretur, si *perpetuo* atque etiam in praecipuis solemnitatibus, viginti personae in paroecia in absoluta impossibilitate audiendi missam remanere cogerentur.

Quod autem dicitur de impossibilitate absoluta, etiam de impossibilitate morali, nempe de maximo vel excessivo incommodo, circum circiter intelligi debet (Acta *l. c. 561. 568*).

572. *Censereturne adesse necessitas binandi, si solum pro casu accidentali pars populi, vel paroecia aliqua sine missa remanere cogeretur, prout contingere posset, v. g. si nocte ipsa diei festi parochus, aut sacerdos qui secundam missam celebrare deberet, infirmaretur, nec adesset modus providendi nisi parochus paroeciae limitrophae binaret; et idem die si in montibus, propter magnam nivem, multi remanerent sine missa, nisi parochus post aliquas horas iterum celebraret etc.? In his et similibus casibus possetne permitti binatio?* Negative, meo sensu et apud nos; nunquam enim auditum est quod pro casibus huiusmodi accidentalibus et raro contingentibus licentia binandi petita vel obtenta fuerit; quod satis significat contra praesentem Ecclesiae disciplinam id esse. Oporteret itaque ut tempore plus vel minus diuturno (iuxta circumstantias) inconveniens huiusmodi subsisteret, saltem si missae iteratio magnam (ut apud nos) admirationem in populo productura esset. Equidem theologi antiqui hoc in puncto (propter diversam illorum temporum disciplinam) valde indulgentes erant; sed hodie sequi non possunt. Cf. Cap. *Consuluisti*. De celebr. missar. cum Glossa, et Bened. XIV (*Const. cit. de Sacrif. missae III.* v *3*). Attamen *Monitore* (*VI.* II *202*) pro casu etiam accidentali binationem concedi posse dicit.

573. *Necessitas, de qua loquimur, restringiturne ad sola festa de praecepto?* Affirmative. Si tamen inter haec festa (in quibus binari soleat) contingeret etiam festum non equidem de praecepto sed magnae devotionis, ita ut populus missae defectum aegerrime laturus esset; tunc indultum

apostolicum (qui in casibus huiusmodi interdum concessum fuit) implorare oporteret. Cf. Lucidi (*I.* III § *II 382*).

574. *Quid de praedicta* ***impotentia inveniendi ullum alium sacerdotem?*** Intelligi debet quod nequeat inveniri aliquis sacerdos qui ad missam illam celebrandam praesto sit. Est autem in facultate Episcopi ad hoc cogendi 1° Sacerdotes liberos ab aliis obligationibus. 2° Illos qui habent privilegium oratorii privati, ut scilicet (saltem pro turno) Ecclesiae publicae sacerdotem cedant. 3° Ecclesias minores vel confraternitatum, nisi illae quoque valde indigerent missâ pro magno populi concursu; aut ageretur de ecclesia monialium, aliarumque communitatum quae alibi pro missa se conferre nequirent; aut populus ad illam missam haberet ius strictum cui cedere nollet; aut denique patroni ecclesiae vel oratorii *publici* per contractum et stipendium sibi obligassent sacerdotem, quem cedere recusarent. Cf. *Monitore* (*X.* II *61-63*).

575. *Quid si sacerdotes adessent quidem, sed, eo quod parochus propter inopiam eleemosynam eis dare nequiret, perinde foret ac si non adessent?* Haec excusatio difficillime valere poterit. Imprimis enim difficile est quod inopia parochi sit talis ac tanta ut ad hunc gradum pertingat; multo magis quia ordinarie ageretur solum de aliquo augmento, quum eleemosynae pro missis applicandis facile inveniri soleant. Dato autem casu, populus ipse concurrere deberet. Et, si nequidem a populo id obtineri posset, tunc episcopus, etiam de proprio, providere teneretur. Solum itaque restaret casus in quo ne episcopus quidem sic providere valeret. Ita Benedictus XIV (*Const. cit.*) et *Monitore* (*l. c.*).

576. *Quid si adesset consuetudo binandi, etsi alius sacerdos inveniri posset?* Consuetudo ista tamquam abusus intolerabilis consideranda esset, et parochus in conscientia eam sequi non posset. Ita Benedictus XIV (*Const. cit.*)

577. *Quid si parochus duas paroccias haberet, et sola ratione explicationis Evangelii crederet se posse in utraque missam celebrare?* Haec quoque ratio nihil valeret, neque Episcopus licentiam concedere posset. Misso enim sacerdote ad celebrandum, omnia componerentur si parochus in una ecclesia rem divinam faceret ac populum edoceret; deinde ad aliam se conferret, ubi a sacrificio abstineret, et christianae legis instituta tantum populo declararet. Ita Bened. XIV (*Const. cit.*).

578. *Quid de secunda conditione, scilicet* ***de necessitate obtinendi prius licentiam?*** Equidem Innoc. XIII (Cap. *Consuluisti de celebr. missar.*) de hac licentia petenda nihil statuerat inquiens: « Excepto die « Nativitatis Dominicae, nisi causâ necessitatis suadeat, « sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo

« celebrare ». At vero hodie licentia sine dubio necessaria est, dicente Benedicto XIV (*Constit. cit.*): « Certissimum illud est..., sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur: cuius sane iudicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet ». Et addit: « Certum quoque est, facultates huiusmodi..., si aliquando concedantur, non haberi tamquam alicuius privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis ».

579. *Quid si casus urgeret et non adesset tempus vel modus recurrendi pro licentia?* Bouix (*De Par. IV.* VI *pr. VI*) dicit: « In uno aut altero casu, praesertim repentino, et in quo non facilis pateat ad Episcopum recursus, si aliunde certo adesse videatur sufficiens necessitas iure requisita, non puto crimini vertendum parocho, quod dictam licentiam non exquirat ». At vero practice apud non casus huiusmodi vix contingere poterit; quum enim solum in casibus diuturnitatem praeseferentibus missa binari valeat, neque sufficiat si unica vice populus sine missa remaneat (ut supra dicebam), modus et tempus recurrendi ad Ordinarium iam semper aderit. Si tamen facultas concessa fuisset, v. g. vicario, et ex improviso casu ille missam celebrare nequiret; utique tunc posset, vice eiusdem, sive parochus, sive alius sacerdos, binare; etsi nulla ab episcopo licentia peteretur; licentia enim, quae (ut vidimus *n. praec.*) potius quam personam, respicit necessitatem (de qua iudicium reservatur episcopo), iam obtenta fuisset.

580. *Episcopi possuntne concedere hanc facultatem iure proprio ordinario: an vero ad S. Sedem recurrere tenentur?* Benedictus XIV (Bulla *Declarasti nobis*) aperte statuit, episcopos iure ordinario concedere posse facultatem binandi in duobus casibus, scilicet 1° Si (deficiente semper alio sacerdote) parochus duas haberet paroecias, nec incolae unius ad aliam se conferre possent. 2° Si in una paroecia pars populi valde distaret, et secunda missa, sive in ipsa ecclesia parochiali sive in subsidiaria, omnino necessaria esset. In his itaque duobus casibus episcopi iure proprio licentiam binandi paroeciae Rectori concedere valent.

Si autem casus esset quidem aequivalens, sed non talis praecise (ut puta, si in paroecia non esset parochus solus, sed adesset quoque vicarius, atque in alterutro ex casibus indicatis oporteret ut ille vel iste bis celebraret), tunc episcopus licentiam binandi concedere nequiret; bene vero ad S. Sedem recurrere oporteret. Patet ex S. C. C. et S. C. R. apud Acta (*XXI pag. 159 et 508*).

581. *Quid si oporteret ut unus sacerdos non bis tantummodo sed ter celebraret?* A fortiori in tali casu recurrere oporteret ad S. Sedem, quae solum pro paroeciis vastissimis, et ex ineluctabili necessitate, huiusmodi gratiam concedit. S. C. C. (*28 Martii 1879*).

582. *Quid de tertia conditione, scilicet de* ***necessitate ieiunii?*** Ecclesia praescribit certe ut sacerdos, qui binare debet, semper ieiunus sit; et proinde in prima missa, ne purificationem et ablutionem sumat, sedulo cavebit. Quid si sacerdos ex inadvertentia in prima missa ablutionem sumpsisset et sic non amplius esset ieiunus? Theologi rigidissime loquuntur, quia lex ieiunii magis urget quam lex Sacrificium non iterandi. Cf. *Monitore* (*X.* II *201*); sed in casu concreto considerandae essent circumstantiae, et videndum quid practice praeponderaret.

583. *Quid de quarta conditione, scilicet* ***de eleemosyna non recipienda?*** Receptio eleemosynae pro secunda missa districte vetari, constat 1° ex Const. *Quoad expensis* Bened. XIV. qui huius prohibitionis rationem reddit *ut avaritiae et sordidis quaestibus tolleretur occasio vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur* (Acta *VII 73*). Constat 2° ex innumeris declarationibus sacrarum Congregationum. Enimvero S. Congr. Concilii de hoc interrogata semper respondit: *Firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa.* Cf. Lucidi (*III Doc. XXXIX 12*). Et S. C. P. F. (apud Acta *VI 552*) loquens etiam praecise de parochis dixit: « Ex praxi « generali Presbyteris non concedi eleemosynam recipere « pro secunda missa, etiamsi de illis agatur, qui parochiali « munere instructi ideo stipendium pro prima missa ne« queunt obtinere, quod illam pro populo applicare teneantur ». De vi autem harum resolutionum, vide Acta (*l. c. 76*).

584. *Adsuntne causae excusantes, quibus stantibus eleemosyna recipi possit? Et, quatenus affirmative, quaenam causae excusant, et quaenam non?*

I. Causae excusantes sunt 1° Indultum apostolicum, quod tamen concedi non solet, nisi in locis missionum (Acta *VI 569, et VII 75*). 2° Incommodum extrinsecum

itineris, laboris etc., pro quo (non autem pro missae celebratione) aliqua retributio percipi valet : sed (*nota*) approbatio et licentia Episcopi semper necessaria erit. (Acta *I 15*).

II. Causae autem nequaquam excusantes, sunt 1° Consuetudo (Acta *XVIII 546*). 2° Si eleemosyna non pro applicatione sed pro simplici missae celebratione daretur (Lucidi *I.* III *384*); idque merito cautum est ; ratio enim legis in hoc quoque casu militaret. 3° Si eleemosyna causae piae relinqueretur (Lucidi *l. c. Ed. 3, 387 Append. n. 3*). 4° Si eleemosyna daretur pro prima missa, sed (intuitu secundae) consueto pinguior (Acta *VII 75*). 5° Paupertas sacerdotis (Acta *I 12* et Lucidi *III Doc. XXXIX 12*).

585. *Potestne saltem sacerdos alicui piae congregationi adscriptus applicare secundam missam ad satisfaciendum obligationi congregationis ipsius, eo quod confratres pro confratre defuncto missam applicare teneantur ?* Affirmative. Patet ex responso S. C. C. *14 Sept. 1878* (apud Acta *XI 283*). Ratio est quia huiusmodi piarum confraternitatum onera non reputantur obligationes strictae ; unde nihil vetat quominus iisdem satisfieri possit applicando missam binationis, sicut illam ipsam sacerdos, sive ex charitate sive ex devotione quomodolibet licite applicare potest. Hinc deducendum videtur quod, dummodo sacerdos eleemosynam non perciperet, missas binationis applicare posset etiam pro aliis confratribus qui de re ista illum rogarent : ut scilicet ipsi quoque, iuxta regulam piae congregationis, confratres defunctos sic suffragarent.

586. *Quid* ***de ritu*** *a sacerdote binante servando ?* Si secunda missa in diversa ecclesia celebrari debeat, tunc sacerdos in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat, et palla calicem tegat, dicens *Quod ore ;* purificetque digitos (sicut fit quando communio extra missam ministrata fuit) dicens *Corpus tuum etc.* Calicem non abstergat, sed illum purificatorio, patena etc. cooperiat more solito. Completa missa, calicem detegat et quidquid divini Sanguinis remanserit, ex ea parte qua eum prima vice sumpsit, diligenter absorbeat. Aquam deinde abundantiorem calici infundat, illamque ex eadem parte in paratum vas demittat ; et purificatorio calicem abstergat etc. Si die sequenti, missa in eadem ecclesia celebranda sit, aqua illa pro secunda purificatione deserviet; sin minus, gossipio absorpta comburi vel in sacrarium demitti poterit.

Si autem secunda missa in eadem ecclesia celebrari debeat ; tunc, finita prima missa, calix non purificatur ; sed, si nulla in ecclesia sit sacristia, in altari super cor-

porale relinquitur; secus vero in sacristiam defertur, ibique super corporale vel pallam in loco decenti et tuto collocabitur. In secunda autem missa sacerdos cavebit ne calicem ante offertorium abstergat, vel extra corporale reponat; atque etiam curabit ut vinum et aquam caute in ipsum infundat, ne guttae aliquae ad labia ipsius calicis resiliant, quandoquidem (ut dixi) illum purificatorio abstergere nequit. (*Ita Rituale cum append. noviss.*).

ARTICULUS VI.

De servitio Ecclesiae praestando.

587. *Sacerdotes possuntne habere veram* ***obligationem*** *Ecclesiae servitium praestandi?*

I. Affirmative ex ipso *statu sacerdotali;* sacerdotes enim in sacra ordinatione divinum sacrificium offerendi, poenitentiae sacramentum administrandi, verbum divinum annuntiandi etc. potestatem acceperunt. Hanc autem potestatem exercendi aliquam habere obligationem (nisi legitima causa excusentur) theologi communiter asserunt, duce (ut alias dictum est) S. Thoma, qui (*III q. 82 a. 10*) scripsit: « Unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum « fuerit opportunum »; secus enim in vacuum gratiam Dei recepissent et frustra pro hominibus constituti fuissent in iis quae sunt ad Deum, neque pro Christo (prouti debent) legatione fungerentur.

II. Haec obligatio sub gravi urgere potest *ex officio et iustitia,* prout in episcopis, parochis, vicariis, canonicis etc.

III. Sed urgere potest etiam *ex sola charitate;* idque certe contingeret si populus eorum ministerio valde indigeret, neque aliter suppleri posset.

Casus accidit speciatim *in eventibus repentinis*, dum (v. g. propter parochi aut vicarii infirmitatem) populus aut pars populi in locis campestribus vel montanis (ubi difficile esse solet statim mediis consuetis providere) sine missa die festo aut sine confessario (speciatim tempore Paschatis) remanere deberet. Idem dic in necessitate accurrendi ad infirmum vita periclitantem etc.

In huiusmodi et similibus casibus utique (et quidem, ut dixi, sub gravi) contingere potest quod se praestare teneantur sacerdotes, speciatim *parochiani vel de Ecclesiae emolumentis participantes*, maxime vero si

Episcopi praeceptum interveniret; unde S. C. C. (*Policastren. S. Trinit. 1737*) ad quaesitum: « An presbyteri participantes ecclesiae S. Nicolai « teneantur coadiuvare archipresbyterum in assistendis moribundis, in « administratione viatici etc. » Respondit: « (Presbyteros) hortandos esse, « sed non cogendos, *nisi (nota) in casu necessitatis* ». Et Lucidi (*Vol. I n. 305*) dicit: « S. C. C. in omnibus huiusmodi casibus continuo respon- « dit, illiusmodi sacerdotes non esse cogendos, *nisi in casu necessitatis* ». Quandoquidem pro casu neecssitatis eadem S. C. (in *Urbevetana 10 Maii 1766*) dixit: « Salus enim populi, et praesertim aeterna, suprema lex est: « eam curare modis omnibus tenentur omnes, et praesertim qui, dum de « Ecclesia sunt, de emolumentis ecclesiasticis, sive beneficiis, sive eleemo- « synis capiunt ».

Utique parochi aut parochiani debebunt congruam sacerdotibus pro eis laborantibus retributionem suppeditare (qui enim inservit altari de altari vivere debet, et dignus est operarius mercede sua); sed dari possunt circumstantiae, in quibus (attenta parochi paupertate et casus urgentia) sacerdotes etiam sine retributione servitium praestare teneantur.

IV. Imo, praescindendo etiam a casibus urgentibus, contingere potest quod sacerdotes parochiani (speciatim ruri et in parvis oppidis, ubi magis considerantur) operam suam praestare debeant *ad bonum exemplum* praebendum et scandalum vitandum. Quid enim si parochiani saeculares ad sacras functiones accurrerent, et sacerdotes nunquam? Quid si sacerdos diebus festivis ad commodum populi missam celebrare posset, illamque nullatenus aut hora inutili celebraret, dum interim christifideles longa itinera suscipere cogantur ut alibi missam inveniant? Quid denique si sacerdotes ex firmo systemate solum quando pecuniam vel prandium expectant ad ecclesiam se conferant? Cf. Lambertini (*Notif. XCIV*).

ARTICULUS VII.

De sanctitate vitae, scientia et studio.

588. *Quid de* ***sanctitate vitae?*** Quum sacerdotes perfectam castitatem usque ad mortem (quod profecto in tot periculis difficile est) servare teneantur; quum insuper praeclaro virtutum (nempe charitatis, devotionis, obedientiae patientiae etc.) exemplo aliis praelucere debeant; quum in praecellentissimo statu constituti res sacrosanctas quotidie pertractent; quum denique, secluso vero et interno Dei amore et zelo salutis animarum, in sacris (sive conciona-

torum sive confessariorum) ministeriis parum utiles esse possint; veram habent obligationem perfectiorem vitam ducendi, eaque media adhibendi, sine quibus non solum vita perfectior subsistere nequiret, sed etiam graves lapsus difficile evitari possent.

Omnes norunt quod media ista sunt oratio, meditatio, mortificatio, examen conscientiae, methodus vitae et exercitia spiritualia. Sed nunc aliud medium redditur necessarium, eiusque cognita necessitate, iam per totum orbem diffusum est, et consistit in opere quod *Unio apostolica saecularium sacerdotum* appellatur. Quid sit et quam magni fieri debeat, patet ex SS.mo. D. N. Pio X dicente: « Hoc institutum; proposita universis sociis uniformi vitae « ratione, menstruis conventis, spiritualibus conloquiis, « gestorum propriorum nota Praepositis suo tempore red- « dita, aptisque charitatis officiis Cleri unitatem tuetur, « firmat, sparsosque levitas spiritualis fraternae dilectionis « vinculo devincit. Inde mira sodalium concordia, mutua « aedificatio, sanctius servatus vocationis spiritus, et amoto « solitudinis periculo, coalescentibus in unum multorum « viribus, quisque sacerdos in communem utilitatem ac « perfectionem animum intendit, et, licet variis ministe- « rii sui curis distractus communi contubernio non utatur, « tamen nec se a familia desertum sentit, nec fratrum « auxilio consilioque caret ». Indulgentias autem, privilegia et facultates specialissimas sociis idem Summus Pontifex concedit, atque Instituti patrocinium sibi ipsi reservat. (Epistola *28 Dec. 1903* apud Acta S. Sedis *Vol. XXXVI pag. 594*).

589. *Quid de necessitate* ***scientiae?*** Ecclesiastici debent alios docere; sed quomodo docebunt quod nesciunt?

Magna est populi ignorantia; sed si sacerdotes quoque sint ignorantes, erunt caeci duces caecorum; si autem caecus caeco ducatum praestet, nonne ambo in faveam cadent?

Sacerdotes debent insuper administrare sacramenta; quae utique (speciatim sacramenta poenitentiae et matrimonii) non exiguam scientiam exigunt.

Si Deus in veteri testamento (*Oseae IV 6*) dicebat: « Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio « fungaris mihi »; multo magis de sacerdotibus novae legis hoc verum erit.

Si officia saecularia (v. g. iudicis, advocati, notarii, medici etc.) absque scientia sufficienti acceptare vel exercere peccatum est, a fortiori officia ecclesiastica (a quibus christifidelium sors aeterna pendet) sic acceptare vel exercere (dum sacerdotes prius se habiles reddere possent) nefas erit; errores enim damnosissimi certo certius secuturi essent, qui utique in causa imputabiles forent.

Adde quod hodie speciali modo oportet ut Clerus sit instructus; morum enim corruptioni (quae saeculis quoque anteactis non deerat) defectus fidei (et proinde necessitas confortandi in ipsa christifideles) superadditur.

590. *Quid de* ***necessitate studii*** *et de* ***modo studendi?***

Quoad *necessitatem*, studium sub obligatione cadit non solum quoad clericos in cursu elementari (qui etiam ex obedientia erga proprios genitores, et ex praecepto suorum superiorum ad illud tenentur), sed etiam quoad sacerdotes, qui cursum elementarem iam perfecerunt (utinam bene!). Enimvero plurima (et speciatim ea quae soli memoriae commendata fuerunt) facillime e memoria excidunt; memoria enim est quasi lampas, quae, oleo non addito, extinguitur (unde non raro accidit quod qui in scholis semper prima praemia obtinuerunt, post quinque aut sex annos examen levissimum iam amplius sustinere non auderent).

Praeterea novae leges, novae decisiones, et novae temporum circumstantiae, saepe efficiunt ut instructio primitus habita reformari, et (maxime quia compendia in scholis adhibita nonnisi valde restricta et incompleta atque ad unam vel alteram scientiam dumtaxat limitata, esse potuerunt) adaugeri debeat.

Adde quod (speciatim parochis) occurrere possunt casus nedum difficiles et intricati, sed etiam ita urgentes (v. g. in moribundis, vel occasione matrimonii hic et nunc celebrandi etc.) ut neque auctores neque viri prudentes (speciatim ruri) consuli valeant. Quid si casus huiusmodi,

attenta paroeciae vastitate aliisve specialibus circumstantiis, non essent rari?

Insuper si ad studium incumbere tenentur medici corporales, qui (ut vulgo dicitur) nunquam sunt docti satis; quanto magis ad illud incumbere non debebunt medici spirituales, qui non corporum sed animarum curam habere debent?

Adde necessitatem studii, ut sacerdotes otium (quod omnium vitiorum pater est) evitent, atque honorem, existimationemque clero procurent, cui ignorantia (speciatim nostris diebus, in quibus instructio profana adeo late patet) iam probrum intolerabile allatura esset. Cf. Scavini (*I. 564*).

591. *Quoad modum studendi,* studendum est imprimis *recta intentione*, scilicet ad satisfaciendum propriae obligationi, ad placendum Deo et pro salute animarum.

Haec intentionis rectitudo est vita et anima studii; quod non amplius grave, taediosum, et veluti materiale; sed delectabile, laetum et meritorium erit. Deficiente huiusmodi rectitudine intentionis, praemia ipsa occasio negligentiae esse possunt. Qui ingenii tarditate laborant non studebunt, quia praemium non sperant. Qui autem praemium iam assecuti fuerunt, subinde de se ipsi praesumptionem concipient, et, quasi studio minus indigerent, de illo minus curabunt. Et notandum quod haec ipsa intentionis rectitudo in studio theologiae moralis (maxime quando examina non sint amplius sustinenda) speciali modo desideratur. Oratores sacri, v. g. aut magistri, possunt habere stimulos humanos (sive lucri sive honoris) ad studendum; sed parochus aut confessarius huiusmodi stimulis fere prorsus destituitur, et solo desiderio placendi Deo et iuvandi proximo ad studendum inducí potest.

Studium debet esse *assiduum*. Loquendo de clericis in scholis res est manifesta; deficiente enim assiduitate, non solum lacunae et vacua huc et illuc remanerent, sed etiam vacua ipsa tenebris alia facile offunderent; antecedentia enim sunt veluti lumen ad intelligenda subsequentia, et veluti gradus iuferiores, quibus non ascensis, superiores ascendi non possunt. Defectus assiduitatis accidit non solum quando quis aliquibus diebus scholam non adit, sed etiam quando (tarde veniendo vel citius abeundo) lectio integra non auditur; aut quando attentio debita non praestatur; aut denique quando tempus quod domi studio dari deberet, otiose vel impertinenter insumitur.

Loquendo autem de sacerdotibus, qui cursum schola-

sticum iam absolverunt, si oculos in librum aliqua rara vice coniicerent, hoc quid iuvaret?

Studium debet esse *serium;* oportet scilicet ut sacerdos sibi scopum proponat; scopum scilicet assequendi perfectionem in tali vel tali disciplina, qua (attentis circumstantiis) Ecclesiae meliori modo possibili in tota vita utilis esse possit.

Quid itaque de illis, qui legunt quidem, sed nihil serii sibi praefigunt; viso libro, legunt aliquam paginam et illum abiiciunt; cras ad eorum manus venit alius liber, et faciunt sicut in primo; et sic semper? Isti sunt velut pueri, qui, visa aliqua re, illam volunt, sed habitam statim reiiciunt, ut aliam capiant. Quinam fructus ex studio huiusmodi?

Quid speciatim de iis, qui (studiis sacerdote dignis, v. g. theologiae, asceticae, eloquentiae sacrae, historiae ecclesiasticae, sacrorum rituum, cantus sacri, sacrorum canonum etc. prorsus neglectis) in legendis diariis et quotidianis notitiis inutilibus, aut in componendis epigrammatibus vel madrigalibus, ne dicam in pervolvendis avidissime libris romanticis, totum tempus perdunt?

Oportet itaque ut, praestituto scopo, studia omnia vel fere omnia ad illum limitentur et dirigantur. Dixi *vel fere omnia;* decet enim (et interdum oportet) ut sacerdotes nedum scientias stricte sacras calleant, sed etiam de aliis (v. g. philosophia, hystoria, geographia, phisica, geologia etc.) notitiam (maxime circa quaestiones modernas) habeant.

Studium debet esse *ordinatum;* confusio enim efficit ut rerum lectarum memoria non retineatur, magnamque indigestionem (quae facile est fame peior) producere solet.

Ut autem perspicuitas semper habeatur et confusio evitetur, quam maxime iuvant repertoria per litteras alphabeticas distributa, in quibus ea, quorum memoria retineri vult, sub propria littera breviter indicantur; adnotando librum et paginam, ubi inventa fuerunt. Discipuli autem, qui studiis diversis v. g. theologiae dogmaticae, theologiae moralis, iuris canonici, historiae ecclesiasticae, sacrorum rituum etc.) eodem tempore incumbunt, tempus extra scholam ita disponere et dividere debent, ut unumquodque studium proportionaliter suas horas habeat.

Studium debet esse *cautum.* Cautela autem principalis est, ut non habeatur confidentia magis in ingenio proprio quam in auctoribus. Inter auctores autem, probati tantummodo (qui scilicet approbationem et favorem universalem obtinuerunt) legantur, et antiqui (nempe classici) qui nedum temporis praesentis sed saeculorum approbationem meruerunt, ordinarie modernis praeferantur; non ita tamen ut ex modernis quoque celebrioribus melioramenta acceptari non debeant. Sed quoad modernos, maxime circa novitates periculosissimas et ruinosissimas in studiis biblicis, criticis, philosophicis etc., cautela specialissima adhiberi debet.

Denique *ne quid nimis:* cavendum scilicet ne propter studium, cura propria spiritualis negligatur; studium enim sine sanctitate, parum utile et pene sterile esse solet; maxime vero cavendum, ne qui ex officio curam animarum habent (v. g. Episcopi, parochi etc.), ut studiis attendant, muneribus propriis deficiant. Cf. Scavini (*I 565. 6*).

Aliquando excessus contingere potest etiam in discipulis; si nempe horas quoque somno aut digestioni aut recreationi destinatas vel necessarias (non sine periculo saluti corporali graviter praeiudicandi) ad studium incumbere vellent.

592. *Quaenam sunt* ***tentationes contra studium?*** Prima causa negligendi studium est si illius obligatio et necessitas non consideretur. Veniunt deinde tentationes sequentes 1° Intolerantia laboris, vita commoda et otiosa, amor ludi, venationis, conversationum, solatiorum, curiositatum politicarum etc. 2° Occupationes in rebus sacerdotali ministerio extraneis. 3° Superbia, dum quis studio se non indigere reputat. 4° Animi deiectio, dum scilicet quis, propter ingenii sui tarditatem, in addiscendi desperationem se coniicit.

In hoc postremo casu advertendum quod, si bona voluntas non desit, unusquisque ad aliquid aptus evadere potest; et saepe contingit quod ineptus ad scientias, bona memoria bonaque voce pollet, et sic ad conciones, ad cantum sacrum etc. valde aptus esse potest. Adde quod studium supplere potest defectum naturae: *gutta cavat lapidem;* et multi, qui in scholis aliorum fabula erant, per studium indefessum, operarii quam maxime utiles in vinea Domini evaserunt. Exemplum habemus in parocho *d'Ars,* qui tardissimo ingenio laborans totam hebdomadam insumebat in praeparando sermone pro Dominica, atque adeo libenter audiebatur, ut a locis valde remotis plurimi ad illum, cum maximo fructu, audiendum se conferrent.

Appendix.

De conferentiis moralibus et liturgicis coram Episcopo aut vicariis foraneis infra annum a clero habendis.

Praemissis quibusdam notionibus hystoricis, agendum est de harum conferentiarum fine; de methodo in illis servanda; de earundem frequentia, utilitate et obligatione; de poena negligentibus imponenda; et denique de loco, an scilicet in ecclesia fieri possint?

593. *Quaenam est istarum conferentiarum* ***origo?*** Ex quo Dioeceses in congregationibus sub archipresbyteris aut vicariis foraneis divisae fuerunt (quod primitus extra

Italiam, et postea in Italia, procurante praecipue S. Carolo Borromaeo, contigit), conferentiae istae fieri coeperunt; ita scilicet ut clerus apud archipresbyterum ad conferendum circa modum audiendi confessiones, regendi paroeciam, peragendi sacras functiones etc. statis temporibus infra annum coadunaretur. Vide Thommasini (*De vet. et nov. discipl. II.* III *C. 74 et 76*) et Lucidi (*I.* III *457*).

594. ***Fuitne lata aliqua lex?*** Lex generalis nunquam lata fuit; sed leges particulares fere ubique invaluerunt.

Notandum praecipue quod in Concil. Provinciali Romano (*An. 1725*) Benedictus XIII pro Provincia Romana harum conferentiarum obligationem imposuit et methodum statuit. In eodem autem Concilio statutum fuit quod Episcopi (dum ad sacra limina pro relatione Dioecesis suae accedunt) interrogentur: *An habeantur conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeantur?* Cf. Bened. XIV (*Notif. XXXII 7*).

595. *Quid de harum conferentiarum* ***fine?*** Finis et scopus est ut clerus 1° exerceatur in studio circa res proprio statui propriisque officiis convenientes; 2° edoceatur circa novas leges, nova decreta et quidquid novi a novis circumstantiis scitu necessarium evaserit; 3° ad pietatem etiam, zelum aliasque virtutes excitetur, in evolvendis libris occupetur et otium declinet.

596. *Quaenam est adhibenda* ***methodus?*** Optandum ut methodus regulis a praedicto Conc. Romano indicatis (quae nunc etiam Romae servantur) conformetur. Quamvis enim solum pro Provincia Romana vim legis habeant, tamen (ut merito observat Lucidi *l. c. 465*) pro aliis locis sunt exemplum. Quum autem Benedictus XIV, in suis institutionibus *XXXII. CII. CIII,* regulis ipsis nonnullas alias advertentias valde momentosas adiunxerit, S. C. C. Episcopos ad sacra limina accedentes hortari solet ut institutiones istas pro norma habeant. Lucidi (*l. c.*). Sic itaque tum ex Concilio Romano, tum ex Institutionibus Benedicti XIV regulae sunt sumendae.

597. Sic autem regulae praecipuae sunt sequentes.

I. Materia casuum non ad solam theologiam moralem, sed etiam ad liturgiam referatur.

Concil. Rom. dicit: « Alternatim modo casuum (conscientiae), modo « rituum habebitur congregatio ». S. C. C. an de hac duplici materia conferentiae habeantur, Episcopos interrogat, ut supra vidimus.

Alicubi de re dogmatica quoque, de iure canonico, de rebus biblicis etc. disceptationes fiunt. Hunc usum S. C. C. non improbat, sed eo pacto ut de re morali at liturgica disceptationes non desint.

Alicubi solum de re morali conferentiae habentur; sed usum istum eadem S. C. reprobat, atque instat ut casibus moralibus casus liturgici omnino interserantur. Lucidi (*l. c. 436*).

II. Casus propositi sint utiles et momentosi.

Patet ex ipsa rei natura, et ex Benedicto XIV (*Inst. XXXII 7*). Ad quid enim in quaestiunculis curiosis quidem sed inutilibus tempus terere, et res serias quae ad praxim vere deservirent, valdeque utiles et subinde prorsus necessariae essent, negligere?

III. Obligati ad interveniendum intervenire debent personaliter; nec sufficit si resolutionem in scriptis mittant. (Benedictus XIV *Inst. CII 5*).

In hunc finem ipsi obligati in principio conferentiae advocari, deficientes autem (nisi legitimam excusationem adduxerint) notari, atque Episcopo denuntiari debent (*Concil. Rom. Meth. n. 14* apud Lucidi *III Docum. XLI* et Bened. XIV *Inst XXXII n. 10*). Pro absente autem habebitur qui incoepta iam conferentia advenerit, vel ante finem discesserit; non enim dicitur advenisse qui non stetit. Ita Bened. XIV (*Inst. CIII 4. 5*); qui insuper monet attentionem esse praestandam neque taedium ostendendum; unde maxime carpit eos qui « ob insitam socordiam eos « corporis motus imitantur, qui ob naturales causas fiunt ab animantibus « dum in machina pneumatica includuntur ».

IV. Oportet ut unusquisque casum per studium perpenderit, ita ut omnes interveniant parati ad sententiam suam etiam viva voce exprimendam. Sors autem (educenda ex capsula ubi in singulis chartulis aderit nomen omnium eorum qui intervenire tenentur) designabit illos (ad minus duos) qui loqui debebunt.

Rem istam maxime momentosam exigit Concil. Rom. (*l. c. n. 7*) inquiens: « Ad minimum duo disserent: et isti designabuntur per sortem...., « ut sic omnes praeparati accedant ». Usum, quo antecedenter admoneantur qui casus resolvere debeant, dum alii omnes sine ulla praeparatione accedere possint, valde improbat etiam Bened. XIV (*Inst. XXXII n. 9-13*) et dicit: « Certum est id plurimum obesse »; finis enim harum conferentiarum est ut sint occasio studii (ut supra dicebam); sic autem quomodo studii occasio esse poterunt? Nonne res eo usque procederent ut casus in kalendario expositos multi ne legerent quidem, ut dicit ipse Bened. XIV (*l. c.*)? Imo ille exigebat ut nomen illorum quoque, qui casum resolvunt, in urna statim reponeretur, ne vice sequenti a praeparatione se liberos esse existimarent.

V. Oportet ut resolutiones sint in ratione et auctoritate bene fundatae, ita ut ad minus solida probabilitate

gaudeant; a sophisticis et abnormibus opinionibus maxime cavendo. Dilucidae quoque (et non confusae) esse debent, Ad claritatem autem maxime confert si prius quaesitum enuncietur, deinde responsum detur, postea rationes exponantur, et denique (si opus sit) obiectiones diluantur. Bened. XIV (*Inst. CIII 6. 7*). Oportet denique ut in resolutionibus a nimia et taediosa prolixitate caveatur.

VI. Non expedit ut casus singulis vicibus resolvendi sint (in toto) plures quam duo (secus enim res nimis in longum protraheretur): et bona regula esse potest, ut primus a parochis, secundus vero ab aliis confessariis resolvatur. Bened. XIV (*Inst. XXXIII n. 9*)

VII. Usus communior est ut omnes (exceptis tamen illis qui iusta de causa et iudicio Episcopi ab hoc onere eximantur) resolutionem in scriptis peragant, illamque tradant secretario, aut (ruri) vicario foraneo, ad curiam episcopalem transmittendam. Haec autem scripta diligenter et secreto erunt examinanda, et, si forte emendanda forent, emendata suis auctoribus essent (in plico clauso) remittenda. Lucidi (*I.* III *464*).

Quantum autem in discussione (quae utique non parum iuvare potest) a confusione cavendum sit, unusquisque videt; et proinde permitti non debet ut quisquam interloquatur, nisi prius interloquendi licentiam obtinuerit. Bened. XIV (*Inst. XXXII 10*).

VIII. Postquam sorte designati propriam expresserint sententiam et discussio prosecuta fuerit, Praefectus, aut (iuxta meliorem regulam) alius sorte pariter designandus atque in antecessum monitus, decisionem magistralem dabit. (*Concil. Rom. n. 8*).

Nedum resolutiones, ut dixi, sed etiam decisiones magistrales succose quidem sed breviores sint; Concil. Rom. enim *unam horam* statuit, in qua omnia expleantur.

Denique decisiones magistrales in kalendario anni sequentis per summa capita typis evulgentur. Bened. XIV (*Inst. CII 2*).

IX. Remanet nunc advertentia quam maxime necessaria, et est quod conferentiae non in sola casuum resolutione, sed etiam in oratione et spirituali consideratione consistere debent.

Quoad orationem, Concilium Rom. dicit: « Conventum incohabit « hymnus: *Veni Creator,* cui Praefectus adnectet orationem Spiritus « Sancti, Beatae Virginis, et *Actiones nostras* etc.; quod dum fit, omnes « genuflectant.... Finem imponent brevis quaedam oratio, v. g. *Agimus* « etc. *Confirma hoc Deus* etc. et Litaniae B. Virginis easque subsequens « oratio ».

Quoad considerationem autem, idem Concilium proponit orationem mentalem in postremo horae quadrante; sed huius orationis locum tenere potest brevis exhortatio, qua clerus ad virtutes exercendas et munera propria adimplenda ferventer admoneatur; prout reapse non sine magno fructu passim (atque etiam in Dioecesibus nobis finitimis) fieri mihi notum est.

598. *Quanam* ***frequentia,*** *seu quot vicibus infra annum hae conferentiae fieri deberent?* Concilium Rom. exigebat ut singulis hebdomadibus fierent; sed ab hoc rigore postea recessum est, et Lucidi (*I.* III *467*) dicit: « S. Congr. conniventia ac dissimulatione utitur, quoties « animadvertit quod singulis quindecim diebus et etiam « quolibet mense fieri soleant.... Quod vero pertinet ad « Episcopos extra Provinciam Romanam constitutos...., si « minus quam duodecim vicibus, quot nempe sunt anni « menses, celebrari soleant, non idcirco rem pressius ur- « gere satagit, exemplo Bened. XIV, qui *octies in anno* « celebratas minime redarguit ». (*Inst. XXXII 8-12*).

599. *Hae conferentiae* ***suntne valde utiles?*** De hoc non est dubitandum; sed Benedictus XIV limitationem apponit, et (*Inst. XXXII 6, 7*) dicit atque repetit: *Dummodo recte fiant.* Et statim (*n. 8*) indicat normas sequendas, ut recte fiant atque utilitate non careant, quae sunt supradictae.

Specialissimam autem utilitatem habent in plebanatibus ruralibus et parvis oppidis, ubi pauci (v. g. decem vel duodecim) tantummodo parochi et sacerdotes coadunari possunt. Illuc enim, loquendo familiariter, melius agi potest de variis rebus, iuxta circumstantias, magis necessariis pro cleri ipsius et populi bono. Ad unionem quoque fovendam, et sic viribus unitis magis efficaciter laborandum, mirifice deserviunt.

600. *Hae conferentiae* ***suntne necessariae?*** Iam vidimus (*n. 589 et sqq.*) quanta sit necessitas scientiae et studii in sacerdotibus, etiam postquam studiorum cursum persolverint. Sed, nisi ex his conferentiis occasionem et im-

pulsum habeant ut ad studium quasi cogantur, vix aliud medium vere et pro omnibus efficax excogitari potest quo ad studendum atque ad libros evolvendos adigantur. Heu quot sacerdotes (speciatim ruri) libris valedicerent et solo kalendario contenti essent!

601. *Hae conferentiae* ***suntne obligatoriae?*** De hoc etiam non est dubitandum in Dioecesibus ubi fiunt; quamvis enim lex generalis non adsit, tamen lex particularis sive consuetudinaria, sive synodalis, sive episcopalis certo adesset; quae utique in conscientia obligat. Obligat, inquam, nedum quia omnis lex obligat, sed etiam quia sacerdotes speciali obligatione Episcopo obedire tenentur ex promissione facta in sacra ordinatione, quando nempe ordinandus ab Episcopo interrogatus: *Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* respondit: *Promitto.*

602. *Quid si, dum conferentiae in civitate episcopali atque etiam in Dioecesi fiunt, in aliquo Plebanatu iam a longo tempore non fierent?* Nisi rationes specialissimae et causae vere excusantes illuc adessent, de culpa in archipresbytero suos parochos et confessarios non advocante, vel in his sacerdotibus non obtemperantibus, dubitari nequiret; in hac enim praetermissione non iam de consuetudine legitima, sed de corruptela manifesta ageretur.

603. *Quid de* ***gradu culpae?*** Decisio pendet a variis circumstantiis. Videndum imprimis an conferentiae recto modo fiant et valde utiles sint; si enim casus propositi ordinarie essent inutiles aut fere inutiles; si sacerdotes nihil in scriptis exaratum tradere tenerentur; si discussiones bene ordinatae non fierent; si decisiones magistrales non intelligerentur etc.; tunc in sacerdotibus non intervenientibus gravis culpa vix adesse posset. Magna autem utilitate supposita, culpa gravis certe interveniret in archipresbyteris aut vicariis foraneis proprium clerum non advocantibus. Quoad sacerdotes autem vocatos neque legitima causa excusatos, culpam mortalem si saepe, non vero si raro deficerent, admitterem.

604. *An ad interveniendum conferentiis teneantur sacerdotes omnes saeculares? Et quid de Regularibus?*

I. Quoad *sacerdotes saeculares*, certe tenentur si sint parochi aut confessarii.

In Provincia Romana tenentur ecclesiastici omnes, dummodo sint Sacris initiati (*Concil. Rom*, apud Lucidi *I.* III *461*). An autem Episcopus extra Provinciam Rom. compellere possit sacerdotes etiam non confessarios, antiquitus negabat S. C. C.; sed recentiori aevo pluries affirmavit; qua de re vide Lucidi (*l. c. 477-480*). Canonici tenentur sicut alii: si tamen consuetudo in contrarium quoad illos efformata fuisset, sustineri posset. (S. C. C. *12 Iulii 1890* apud *Monitore eccles. VI.* II *145*).

II. Quoad *Regulares*, certum est quod, si sint parochi (non exempti a iurisdictione et visitatione Episcopi) aut curati, conferentiis interesse tenentur; ut patet ex pluribus decisionibus (apud Lucidi *I.* III *473. 474*).

Alii vero Regulares, etsi ad saecularium confessiones audiendas sint approbati, hanc obligationem minime habent, saltem si conferentiae morales in eorundem monasteriis fieri soleant. (Cf. Lucidi *l. c. n. 475. 476*).

605. *Oportetne ut* **poena** *negligentibus imponatur?* Affirmative. Scripsit Bened. XIV (*Inst. CII 6*): « Expe« rientiâ compertum est parum prodesse argumenta, obiur« gationes facile contemni, monitiones vero comparari « armis quae cuspide careant, et illis satyrici vatis sen« tentiam veritati prorsus convenire:

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris:
Non cohibent sacra verba malum; maiorem tumultu
Plangantur nummi quam funera.

Episcopus itaque exigat ut singulis vicibus elenchus eorum qui intervenerunt sibi, aut alteri delegato, deferatur, atque efficiat ut sine iusta causa deficientibus poena applicetur.

606. *Potestne Episcopus pro libitu suo quamcumque poenam statuere?* Negative; sed proportionata esse debet.

Quidam Episcopus decem scutatorum; alter suspensionis a missa pro die sequenti, poenam imposuit; sed S. C. C. utramque poenam tamquam excessivam sustineri non posse dixit (*13 Aug. 1727* et *30 Aug. 1732* apud Lucidi *I.* III *479*).

607. *Quaenam itaque poenae sustinerentur?* Benedictus XIV infligebat mulctam sex scutatorum archipresbyteris clerum coadunare negligentibus. Quoad alios S. C. C. (*13 Aug. 1727*) approbavit poenam unius ducati pro qualibet vice. Si autem praeter parochos et confessarios alii quoque simplices sacerdotes intervenire deberent, tunc pro his mulctam minorem statuendam esse

censuit (*30 Aug. 1732*). Cf. Lucidi (*l. c.*). In synodo nostra Faventina quadraginta solidorum poena statuitur. Utcumque, mulctae istae in pii operis (ab Episcopo designandi) beneficium statim essent erogandae.

608. *Utrum conferentiae istae* ***in ecclesia fieri possint?***

Si cum oratione et spirituali consideratione peragantur, in ecclesia quoque fieri posse dubitari nequit; ut patet ex Benedicto XIV, qui (*Inst. CII 1*) dicit, quod suo tempore conferentiae in metropolitana ecclesia fieri solebant; imo Romae quoque in seminarii ecclesia fiunt.

Si autem de solis casuum rosolutionibus ad modum scholae ageretur, tunc aliquid illiciti, si alius locus praesto esset, conspicerem.

ARTICULUS VIII.

De muneribus cleri erga Episcopum.

609. *Quaenam sunt munera ista?* Imprimis inter clerum et Episcopum exigitur **unio.** A recta enim directione in superioribus et a perfecta obedientia in subditis, omnia bona pendent.

Totum robur Ecclesiae pendet ab unione, per quam Episcopi cum Summo Pontifice, et parochi aliique sacerdotes cum Episcopo uniti sint.

Enimvero ex unione vis et efficacia, ex unione securitas, ex unione victoria.

Sine hac unione quomodo posset Episcopus suum regimen efficaciter exercere? Nonne esset veluti princeps sine ministris, imperator sine officialibus, caput sine brachiis? Clero non obsecundante sui zelantis et prudentis Episcopi directionem, bona plurima (partim propter inertiam, partim propter malam executionem, et partim propter defectum auctoritatis, unitatis atque roboris) deficient. Hinc heu quot mala aderunt quae impedita fuissent, et quot bona deficient quae promota vel conservata fuissent! Scriptum est: *Regnum in se ipsum divisum desolabitur.* Sic autem victoria erit inimici: *Divide et impera.*

Nihil dico de scandalo, quod ex discordia et divisione ipsa oriri potest.

Hinc omnes aut fere omnes cleri erga Episcopum obligationes speciales ad unionem referuntur.

610. *Veniendo itaque ad particularia, quaenam sunt obligationes cleri erga Episcopum?* Non loquor solum de obligationibus strictis et gravibus quoad omnes, sed etiam de aliis quae vel solum ad aliquos spectant, vel simplicis congruitatis sunt. Summatim dico huiusmodi obligationes esse sequentes: 1° Oportet ut Episcopo praestetur obedientia. 2° Existimatio. 3° Veneratio. 4° Amor. 5° Subinde informationes sunt ei dandae. 6° Item subinde directio et consilium ab illo exposci debet. 7° Non debent ei fieri pressiones vel creari obstacula. 8° Interdum congrua consilia sunt ei praebenda. 9° Visitationes sunt ei faciendae. 10° Auctoritas illius (quantum fieri poterit) erit semper sustinenda. 11° Ab illo tamen adulando semper erit abstinendum. Sed haec omnia aliqualiter explicari debent.

611. *Loquendo prius de* ***obedientia, cur obediendum est?*** 1° Quia Episcopus iurisdictionem et regendi potestatem habet: « Spiritus Sanctus posuit Episcopos « regere Ecclesiam Dei » (*Actor XX 20*). 2° Quia sacri canones hanc obedientiam praecipiunt; sic v. g. (*D. XCV C. 7*). legitur: « Esto subiectus Pontifici tuo, et quasi « animae parentem suscipe ». 3° Quia (ut supra innui) sacerdos in sua ordinatione ponens manus suas iunctas inter manus Episcopi dicentis: *Promittis mihi et successoribus meis... obedientiam?* respondit: *promitto*. Bened. XIV (Const. *Ex quo*) scripsit: « Neque porro nos pro nuda « inanique formula habendam esse putamus solemnem « illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam pre« sbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iuxta vetu« stissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitan« ter servatum ». 4° Quia ad providendum bono ordini et necessitatibus dioecesis obedientia (sicut inter ducem et milites, patrem et filios, principem et subditos, magistrum et discipulos etc.) necessaria est, et proinde sacerdotes sunt veluti brachia Episcopi, vel instrumenta in manibus illius.

612. *Quibus in rebus obediendum est?* 1° In legibus (sive synodalibus, sive extrasynodalibus quae in notificationibus, epistolis pastoralibus vel encyclicis, monitis, invitationibus etc. promulgari solent). 2° In praeceptis particularibus.

613. *Quid si lex facta quidem fuisset, sed non observaretur?* Si Episcopus reclamaret, aut inobservantia restringeretur ad paucos; aut scandalum suboriretur, aut inobservantes vituperarentur vel inobedientiae nota afficerentur; tunc obediendum esset. Si vero etiam a parte meliori cleri lex non observaretur, et inobservantia scandalum amplius non praeberet, atque Episcopus videret et taceret; tunc quod lex ipsa per consuetudinem et conniventiam vere cessaverit, credendum esset. Interdum autem tempore non adeo diuturno res ad hunc statum redigi possunt.

614. *Quid si lex videretur irrationabilis et proinde invalida? Et quid in eodem casu de praecepto particulari?* Quoad legem, practice difficile admodum est quod ex hoc solo capite subditi ab illius observantia eximantur. Oporteret enim ut ex una parte dubium esset grave, prudens et maturum, sine periculo hallucinationis, atque odeo esset etiam apud sacerdotes magis doctos et exemplares; et ex alia parte lex naturalis (propter turbationes et scandalum) non exigeret ut lex positiva (quamvis per se invalida foret), ad maiora mala evitanda, observaretur. Practice itaque lex erit observanda, donec consuetudine (ut supra) aut alio modo legitimo abrogetur.

615. *Quid si Episcopus pracciperet executionem legis Pontificiae; sed ista videretur aliter interpretanda?* Interpretationi practicae ab Episcopo imperatae standum esset, donec S. Sedes contrarium decerneret.

516. *An leges extrasynodales perdurent etiam post mortem Episcopi?* Affirmative, nisi in desuetudinem iam abiissent.

617. *Quid de praeceptis particularibus?* Certe Episcopus praecepta etiam particularia facere potest; sed notandum (ut legitur apud Acta S. Sedis *Vol. XXIII pag. 609*) quod haec auctoritas non eo usque protenditur ut sacerdotes tamquam Regulares cum voto obedientiae considerari debeant. Ad quaenam itaque praecipienda Episcoporum auctoritas reducitur? Zitelli (*Appar. I.* VI. I § *2*) dicit: « Episcopus nequit imponere onera in iure non expressa, eaque insueta; et citat decreta S. C. C. *in Anxim. 26 Nov. 1701* et *19 Aug. 1702*. Sed adde: imponere posse *etiam onera insueta,* si forte propter novitatem vel raritatem circumstantiarum aliquid insuetum quidem esset, sed necessarium evasisset. Episcopus enim potest praecipere ea omnia quae, attentis circumstantiis, necessaria sint; unde apud Acta (*l. c.*) legitur: « Quoties necessitas bonum- « que publicum id exigat, sacerdotes viribus pollentes et « a quocumque officio liberos cogi posse ad sedulam na- « vandam operam pro salute animarum, certissima senten- « tia est, quam S. C. C. passim probavit et sanxit ». Hinc

v. g. 1° Episcopus cogere potest (adhibitis quoque poenis ecclesiasticis) clericum suae dioecesis ad non alibi migrandum vel ad redeundum, si paratus sit congruum eidem adsignare officium et stipendium (Acta *V 479*). 2° Specialem opponere posset et deberet difficultatem si clericus in Americas se conferre vellet; specialissimam vero si illuc emigrare statuisset; qua de re vide Decretum S. C. C. (*14 Nov. 1903*) apud Monitore (*Vol. XV pag. 444*). In quovis autem *excardinationis* casu exigere debet ut serventur regulae quae infra (*Vol. seq.*) exponuntur (ubi de *Ordine Sacro*). 3° Cogere potest etiam ad acceptandam atque ad non renuntiandam curam animarum in officiis sive parochi sive vicarii etc. quando per consueta media concursus vel simplicis invitationis eisdem provideri non possit. S. C. C. (*31 Ian. 1891*) apud Acta (*XX 608*).

Nihil dico de innumeris aliis casibus, in quibus Episcopus praecipiat ea quae, iure sive naturali sive divino sive canonico, iam praecipiuntur.

Denique sedulo notandum quod Episcopo praecipiente, semper pro eiusdem praecipiendi facultate praesumendum esset, nisi iam aperte constaret quod suae potestatis limites excederet: ipse enim dioecesis suae necessitates cognoscit, quae forte ab aliis nullatenus vel non satis cognoscuntur.

618. *Obediendumne est simplicibus Episcopi consiliis?* Notandum imprimis quod consilia Episcopi, ut plurimum, sunt exhortationes ad adimplendum id, quod iam sub aliqua obligatione suapte natura cadit. Etsi autem undequaque de mero consilio ageretur, maxime decet ut subditi obtemperent, unde vulgo dicitur quod consilia superiorum habenda sunt tamquam praecepta; et certe consilium Episcopi sperni non potest; si enim non stricte obedientia, saltem reverentia praestari debet.

619. *Quid de excusationibus ad se eximendos ab obedientia?*

R. Non est illicitum exponere superiori reverenter difficultates vere existentes, quae ei essent ignotae et viderentur rationabiles; sed advertendum quod sola ratio sacrificii et laboris (viribus caeteroquin proportionati) certe non excusat. De ratione incapacitatis (quae ut plurimum ex falsa humilitate adducitur) vide dicta (*n. 266*). Ratio autem vilitatis officii (v. g. vicarii in paroecia rurali) multo minus excusabit.

620. *Quid de dicentibus: Obedirem si vere esset superior qui praeceptum mihi imponeret, sed sunt alii, qui illum circumdant et ad faciendum quidquid ipsi volunt inducunt?* Haec obiectio supponeret aut quod superior non posset consilium et informationes a personis, in quibus confidentiam ponit, exquirere (et hoc est falsissimum); aut quod personae ipsae tanta malitia vel criterii inopia laborarent ut habitualiter mala consilia illi darent, simulque ille adeo stolidus esset ut ex una parte rem istam nunquam animadverteret, et ex alia semper vel fere semper (earundem consiliis stando) male se gereret. Haec autem omnia supponi non possunt, et, dato casu, vel patientia adhibenda vel ad S. Sedem (ut infra dicetur) recurrendum esset.

621. *Quo modo obediendum est?* 1° Ex vero motivo supernaturali (quia scilicet in Episcopo obedire intendimus Deo ipsi); non vero ex sola spe obtinendi postea meliores promotiones, vel ex solo timore ne futurum sit ut recusando aliquid mali nobis immineat etc. 2° In omnibus rebus sive gravibus sive levibus, sive facilibus sive laboriosis etc. 3° Prompte et caece (Attamen, tam in secundo quam in tertio casu, sensu supra exposito *n. 619*). 4° Exacte.

622. *Quid de Episcopi* ***existimatione*** *habenda?* Quamvis Episcopi (utpote qui sunt homines) suos defectus habere possint, tamen graves noxae in illis faciles non sunt, et ordinarie praecellentissimis dotibus exhornantur. Enimvero 1° ad episcopatum elevantur solum qui (praemissis rigorosis et diuturnis informationibus) scientia et virtutibus spectatissimi sint, atque adeo talem ac tantam dignitatem vere et tutissime mereantur. 2° Adde experientiam et dexteritatem ad non errandum in resolutionibus. 3° Adde viros prudentes qui suis consiliis illos assistunt et coadiuvant. 4° Adde specialissimam super iisdem S. Sedis vigilantiam. 5° Adde demum (imo praecipue) ipsius Spiritus Sancti assistentiam.

623. *Quid de* ***veneratione*** *erga Episcopum habenda?* Haec ei debetur non solum propter dignitatem et excellentiam, sed etiam (imo praecipue) propter eiusdem consecrationem et plenitudinem sacerdotii, qua specialissimo modo Christi ipsius personam repraesentat.

624. *Quid de* ***amore*** *quo clerus Episcopum suum prosequi debet?* Episcopus amari debet 1° quia amor est essentiale unionis fundamentum. 2° Episcopus talis est superior ut simul sit pater et pastor. 3° Gratitudo etiam

id exigit; Episcopus enim pro clero et dioecesi sua multum laborat et plurima (eaque gravissima) patitur, unde S. Chrysost. dixit, episcopatum esse pelagum laborum et abyssum aerumnarum. 4° In Episcopo Christum amamus.

625. *Quid de* ***informationibus*** *Episcopo dandis?*

I. Cavendum imprimis ne quid falsi vel exaggerati ei denuntietur; unde prius (si casus ita ferat) accuratae et prudentes inquisitiones fiant.

II. Episcopo conscientiosas informationes dare caderet sub praecepto (et facile gravi) imprimis *si illas peteret* (v. g. pro clerico ordinando, pro cura animarum alicui committenda etc.): et tunc maxime cavendum ne favore, timore, aut quovis alio humano respectu, ita procedatur ut Episcopus deceptus remaneat. Si autem testimonium non secretum ex una parte recusari non posset et ex alia periculum deceptionis includeret, tunc postea de vero rerum statu Episcopus secreto certiorandus esset.

III. Episcopo quoque non petente, contingere potest (etsi raro) quod de aliqua re gravi (quae certe vel probabiliter ad illius notitiam non pervenerit) sive a vicariis foraneis (ex officio), sive ab aliis quibuslibet (ex charitate vel specialibus Ecclesiae legibus) tempestive (et interdum nulla interiecta mora) admoneri debeat.

IV. Quoad epistolas anonymas, recolendum quod facile parum vel nihil ponderis habent; ita tamen ut, si delictum falsum continerent, a gravi et subinde gravissima noxa seiungi nequirent.

626. *Quid de Episcopo* ***consultando?*** Episcopi consilium exposci debet in casibus gravibus et dubiis, qui regimen animarum respiciant vel scandali aut turbationis periculum inducant. Hoc verificari solet speciatim in parochis, v. g, quoad novitates (etsi bonas) introducendas, vel quoad Sacramentorum aut sepulturae ecclesiasticae denegationem, vel quoad dissidia suborta inter parochos aliosque sacerdotes aut confraternitates aut personas influentes etc. Notandum autem quod res huiusmodi ut plurimum, non ope epistolarum, sed colloquio personali, cum Episcopo tractandae sunt.

627. *Quid de Episcopo* ***pressionibus*** *non subiiciendo?* Casum habes quando (Episcopo v. g. reluctante dare alicui officium vel beneficium) importunae adhibentur intercessiones et preces (speciatim si iam evidenter de subiecto minus digno ageretur). Item quando eiusdem determinationum executioni obstacula (v. g. odia nimis formidanda, dimissiones nimis perniciosae, scandala, schismata etc.) opponerentur; unde miser Episcopus ad evitanda mala maiora cedere cogeretur.

628. *Quid de* ***consiliis et admonitionibus*** *Episcopo praebendis?* S. Th. (*2. 2 q. 33 A. 4*) ad quaesitum: « Utrum quis teneatur corrigere Praelatum suum », respondet: « Correctio fraterna, quae est actus charitatis, « pertinet ad unumquemque respectu cuiuslibet personae « ad quam charitatem debet habere, si in ea aliquid cor- « regibile inveniatur. Sed quia actus virtuosus debet esse « moderatus debitis circumstantiis, ideo in correctione qua « subditi corrigunt Praelatos, debet modus congruus adhi- « beri, ut scilicet non cum protervia et duritia, sed cum « mansuetudine et reverentia corrigantur ». Idem dicit Suarez (*De Char. VIII.* v) ubi, adducens exemplum Pauli qui correxit Petrum, notat quod Superiores subinde indigent correctione fraterna magis quam alii, quia in maioribus periculis versantur, et pauciores sunt qui audeant loqui; unde concludit: « Non solum est haec obli- « gatio, sed maior ».

Munus dandi consilium Episcopo spectat praecipue ad canonicos cathedralis; unde scripsit Bouix: « Ubi ad huiusmodi officia tenerentur « caeteri inferiores, a fortiori et primo loco teneri Capitulum, cum ad id « instituatur et erigatur ut sit consilium et senatus Episcopi ». (*De Capitulis C. IX § 2*).

629. *Quid de Episcopo* ***visitando?*** Visitationes 1° Sunt signum amoris, et proinde unionem inter Episcopum et clerum adaugent. 2° Sunt signum obsequii, et proinde adaugent etiam honorem Episcopi; idque hodie magis magisque est attentione dignum, quia secus, deficientibus visitationibus saecularium (quae olim abundabant) aula Episcoporum pene deserta esset. 3° Sunt occasio cur magis facile ex una parte Episcopus dioecesis suae statum melius cognoscat, et ex alia parochi et sacerdotes (ad pro-

priam et fidelium utilitatem) bona consilia et saluberrimas exhortationes recipiant.

Modo speciali oportet ut vicarii foranei, et illi parochi, qui longe distant, quando ad civitatem episcopalem se conferunt, Episcopum visitent.

Hae tamen visitationes non debent esse nimis multiplicatae, aut nimis protractae, plurima enim alia negotia Episcopi habent.

Insuper evitandi sunt sermones inutiles et profani; secus enim audientia episcopalis (quae inter media potentissima meliorandi dioecesim recenseri debet) cuiusvis fructus vacua redderetur.

630. *Quid de* ***murmurationibus*** *contra Episcopum evitandis, et de eiusdem* ***auctoritate sustinenda?***

I. Revocare ad crisim et censurare actiones sive privatas sive publicas Episcopi, ordinarie iniustum et temerarium est; subditi enim difficile cognoscere possunt motiva saepe occulta (et subinde secretissima), quae ad talem vel talem deliberationem Episcopum impulerunt; et profecto multa, quae prima fronte censurâ digna videntur, si rationes occultae cognoscerentur, tamquam rectissime facta ab omnibus haberentur.

II. Praecipue qui ab Episcopo correcti vel puniti fuerunt, aut quod desiderabant obtinere non potuerunt, solent contra illum insurgere, de eoque (tamquam de iniusto etc.) obmurmurare. Recolendum est, ex una parte superbiam, invidiam aliasque passiones nos caecos efficere; et ex alia Episcopos ex munere proprio (de quo rationem sunt Deo reddituri) subinde corrigere et punire teneri; atque esse impossibile quod circa officiorum et emolumentorum distributionem, semper omnes contentos reddant.

III. Utique contingere potest quod Episcopi aliquando veros errores committant. Sed tunc etiam reminiscendum quod bona existimatio Episcopi (utique spectans quam maxime ad publicum bonum) est res summi momenti; et quod ipsum publicum bonum exigit ut (patientiam habendo, tacendo et excusando) eiusdem auctoritas (quantum possibile est) sarta tectaque remaneat. Hinc media impertinentia (quae nihil boni et malum tantummodo allatura essent), cuiusmodi sunt murmurationes, clamores etc., semper evitanda erunt.

Casus in quibus de defectibus Episcopi quis loqui poterit vel etiam debebit, sunt sequentes. 1° Si respon-

dendum esset iudici ecclesiastico legitime interroganti. 2° Si pro informationibus S. Sedes ad aliquem se dirigeret. 3° Si v. g. Episcopo residentiam nimis derelinquente, vel liberalismi signa praebente, vel grave aliquod scandalum ingerente etc., subditi eiusdem vicarium generalem, aut confessarium, aut consiliarios rogarent ut se interponerent. 4° Si quis, non valentibus his mediis suavioribus, sive ad obtinendam iustitiam pro se ipso (qui graviter laesum se reputaret), sive ad prospiciendum bono dioecesis vel religionis, ad S. Sedem (caute tamen semper) recurreret. Rem istam ita declaravit Leo XIII in Epist. ad Archiep. Turonens. *17 Dec. 1888* inquiens: « Ut « summum, in gravi aliqua conquerendi materia (contra « Episcopum) concessum est, rem totam ad Pontificem « Romanum deferre; id tamen caute moderateque; quem« admodum studium suadet communis boni, non clami« tando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offen« sionesque giguuntur, aut certe augentur ». Ordinarie recursus dirigi poterit pro libito vel ad Card. Praefectum S. C. Episcoporum et Regularium, vel ad Card. Secretarium Status. Si autem recurrens omnibus (et maxime Episcopo suo) occultus remanere vellet, epistolam esse reservatissimam declarare deberet.

631. *Quid de Episcopo* ***non adulando?*** De hoc vide dicta *Vol. II n. 991.*

CAPUT II.

DE IIS QUAE CLERICIS VETANTUR.

Clericis vetantur 1° cohabitatio et conversatio cum mulieribus; 2° negotiatio; 3° negotia saecularia; 4° ludus alearum; 5° venatio clamorosa; 6° gestatio armorum; 7° ingressus ad tabernas; 8° commessationes; 9° luxus; 10° choreae et spectacula; 11° mora extra dioecesim reclamante Episcopo; 12° testimonium in iudicio saeculari sine debitis requisitis. Haec sunt explicanda.

ARTICULUS I.

De cohabitatione vel conversatione cum mulieribus.

632. ***Quo iure*** *et quo sensu haec cohabitatio vel conversatio clericis interdicitur?*

I. Imprimis standum erit legibus particularibus in loco vigentibus. In multis dioecesibus determinatur aetas ancillae. Alicubi expressa Episcopi licentia exigitur antequam aliqua foemina (exceptis sororibus vel mulieribus ultra quadragenariis) domi stabiliter recipiatur.

Pro tota regione nostra Aemiliana (ut patet ex epistola pastorali edita Bononiae *die 7 Martii 1898*) statuta fuerunt sequentia.

« Prohibemus clericis ne mulieres in litteris, in scientia vel arte « instituant, nisi de explicita Episcopi venia.

« In aedibus parochialibus interdicimus omnino ne cum parochis coha- « bitent consanguinei, vel affines matrimonio coniuncti, exceptis ipsius « parochi genitoribus... Quare si qui casus huiusmodi cohabitationis fuere « hucusque tolerati, volumus ut, quantum fieri potest et prudentia permi- « serit, cohabitatio ista dissolvatur; in posterum autem praesens disposi- « tio Nostra sub poena *suspensionis a divinis* stricte observetur.

« Personae vero, quae cum parochis degunt, tales sint, ut honestate « vitae ac pietate populo aedificationem praebeant; sin aliter dimittantur ».

II. De iure autem communi (imo et naturali) clerici evitare debent quamlibet consuetudinem suspectam sive domi sive extra domum. Trid. (*XXV.* XIV) dicit: « Pro- « hibet S. Synodus quibuscumque clericis, ne... mulieres « de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra « detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere au- « deant ». Cf. De Angelis (*III.* II. *1°*).

633. *Pro suspicione, de qua Trid. et sacri canones loquuntur, debetne intelligi quaecumque suspicio, etiam temeraria et sine ullo fundamento prorsus?* Ordinarie negative. Benedictus XIV (*Instit. LXXXIII 17*) dicit: » Donec sceleris *legitima* suspicio in vulgus ema- « naverit ». (*Vide etiam Notif. 82. 4 et De Syn. XI.* IV 7). Ordinarie itaque oportet ut aliquid saltem minus rectum subsistat, vel imprudentia aliqua irrepserit. Sed hoc melius explicabitur infra.

634. *Veniendo magis ad particularia (praescindendo tamen semper a legibus vel consuetudinibus specialibus), quid* ***de foeminis sive consanguineis sive affinibus*** *in domo parochiali retentis?*

I. Istae ordinarie, quamvis in iuventutis flore essent, nullum suspectum contra parochum ingerunt.

Aliqui (Bouix, Schmalgr. etc.) excipiunt uxorem fratris eo vivente; sed (quamvis tunc subsistant rationes speciales quae periculum gravissimum constituere possunt) Benedictus XIV (*Inst. LXXXII,* 1) dicit, posse parochum (et a fortiori simplicem sacerdotem vel clericum) cohabitare cum uxore fratris (intellige nisi lex positiva particularis obstet, ut supra), sive ipse inter vivos agat, sive vita decesserit.

II. Ut tamen iuventus consanguinearum vel affinium non obstet, oportet ut de gradibus propinquioribus agatur; nempe (ut explicat idem Bened. XIV *l. c.*) de primo et secundo gradu consanguinitatis (cuiusmodi sunt sorores, neptes sive ex fratre sive ex sorore, primae consobrinae etc.); et de solo primo gradu affinitatis, nisi forte de uxore avunculi defuncti (quae est in 2° gr.) res esset.

III. Oportet insuper ut hae consanguineae absolute bona fama gaudeant, et nullo ex capite scandalum praebeant; secus enim nequidem ad earum procurandam emendationem parochus vel sacerdos eas acceptare posset, ut rectissime docet Frassinetti (*Man. n. 520*).

IV. Oportet denique ut propter particulares circumstantias sacerdoti ipsi periculosae non sint. Circumstantiae huiusmodi essent non solum si lapsus iam locum habuissent; sed, iis quoque seclusis, si tentationes adessent, maxime vero si sacerdos solus cum sola commoraretur; tunc enim prius confidentia et postea scelera manifesta intervenient, quae peccatorum catenam efformabunt et nun-

quam finem habebunt. Et notandum quod status huiusmodi adhuc horribilior esset, quam si de famula extranea ageretur; quando enim de consanguinea vel affine agitur, illius eiectio valde difficilior et subinde moraliter impossibilis esse solet: unde miserrimus sacerdos in verissimo quasi inevitabilis damnationis laqueo versaretur. Quid enim si dicta mulier esset uxor fratris, quae cum marito et filiis in domo parochiali habitaret? Adde quod tunc matrimonium istud scelera omnia velaret, et hac etiam de causa (nullo infamiae timore a nefanda consuetudine retrahente) miserabilissimi sacerdotis status peior esset.

V. Quamvis itaque canonistae et theologi (rem hanc sub solo respectu decentiae externae considerando) facile concedant, ut parochus vel alius sacerdos mulieres consanguineas vel affines secum retinere possit; tamen, priusquam illas acceptet, omnia serio consideret et discretionem magnam adhibeat, ne in huiusmodi abyssum se coniiciat. Heu quot parochi, speciatim occasione uxoris fratris viventis domi retentae, damnantur! Vide Frassinetti (*l. c. 520*) et nota quam iuste Episcopi nostri Aemiliani legem (de qua supra *n. 632*) statuerunt.

635. *Quid* ***de mulieribus extraneis*** *pro servitio electis?* Quamvis optandum esset ut parochi vel alii sacerdotes potius virorum quam mulierum opera ad famulatum uterentur, tamen licet iisdem ancillam etiam extraneam tenere; si nempe vel consanguineas secum non habeat, vel ipsae ad servitia praestanda non sufficiant. At vero tunc speciales cautelae, maxime circa famulae aetatem, necessariae esse possunt.

636. *Quid itaque* ***de aetate ancillae?*** In quovis casu ad minus erit semper bonum consilium ut famulae sint aetate provectiores. Attamen, praescindendo a legibus localibus atque etiam a circumstantiis particularibus, distinguere oportet imprimis an parochus cum aliis, an cum ancilla sola cohabitet. In primo casu aetas provectior in famula rigorose non exigitur; bene vero in secundo.

Scripsit Benedictus XIV (*Inst. LXXXII 3*): « Ipsarum quoque (famularum) aetas cognita sit, ita ut parochi famulae, qui consanguineis careat, *quadraginta saltem annos* iam absolverint. Aliter tamen decerendum est, si cum parocho etiam mulieres consanguineae versentur...

« Magnum discrimen interest, cum plures simul mulieres.... eadem domo « continentur; diverso tamen modo res se habet, cum sola mulier, nulla « sanguinis propinquitate, sed famulae tantum conditione accita, cum pa- « rocho versatur, qui fortasse per hyemem longissimum noctis spatium « non precibus aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem « vanis colloquiis insumit ».

637. *Exigiturne revera ut ancilla parochi quadragesimum annum expleverit (ut dicit* Bened. XIV), *ita ut ille absolute peccet si mulierem talem aetatem non adhuc habentem acceptet?*

Si parochus cum alia famula iam lapsus fuisset, aut sua levitate vel imprudentia suspectus et dicteria provocasset, ita ut absolute quoad famulas malam famam haberet, tunc, sin minus solius viri opera uti vellet, saltem oporteret ut mulierem omnino annosam reciperet, et forsan quadraginta annorum aetas non sufficeret. Cf. Bened. XIV (*l. c. 2*). Praescindendo ab hoc casu, censeo considerandam esse praxim in dioecesi vigentem.

Si a parochis etiam omnino timoratae conscientiae, vel certe passim sine ulla vituperatione (et quin Episcopi quidquam in contrarium unquam dicant) acceptarentur ancillae quadraginta annorum aetatem adhuc non habentes *dummodo iuventutis florem praetergressae fuerint:* tunc peccatum hac in re adesse non videretur; multo magis quia non pauci dantur casus, in quibus invenire personam, quae ex una parte dictam aetatem expleverit, et ex alia honestate, habilitate et sanitate ita gaudeat, ut congruum servitium praestare possit, vel impossibile esset, vel saltem antequam inveniretur diu expectare oporteret.

Apud nos ordinarie videtur sufficere si famula circa triginta annorum aetatem habeat, saltem si quaedam adminicula concurrant, cuiusmodi essent, v. g. aetas provectior in sacerdote, specialis vitae exemplaritas in ancilla, vel si sacerdos non esset absolute solus sed famulum quoque haberet, vel si ancilla fuisset etiam prius in eadem domo viventibus genitoribus sacerdotis, et, quia optimum servitium semper praestiterit, illis quoque mortuis, retinere velit etc.

Certe Frassinetti, quamvis ex professo de hoc puncto (et quidem rigorem ostendendo) tractaverit, dictam quadraginta annorum aetatem necessariam esse non dixit; imo subindicavit minorem aetatem permitti posse; carpit enim solum sacerdotes, qui puellas viginti vel ad summum vigintiquatuor annorum, et quidem pulchras, acceptare non dubitant. (*Man. n. 526*).

638. *Quid* ***de ancilla coniugata?*** Frassinetti (*l. c.*) dicit quod ancilla aut virgo aut vidua esse debet.

Attamen Benedictus XIV (*Instit. LXXXII n. 23*) permittit ut parochus maritum et uxorem pro famulis habere valeat, dummodo scilicet famulae maritus non alibi sed cum uxore sua in domo parochiali cohabitet. Intellige nisi hoc, propter circumstantias, dicteriis aditum praebere, aut sinistram impressionem in parochianis facere posset.

639. *Potestne parochus duas ancillas habere?* Hoc licere posset solum in casu evidentis necessitatis. Casus verificari posset v. g. si haberet plures neptes orphanas et custodia indigentes, unde una famula semper domi remanere et alia pro servitiis foris ire deberet. Alius casus esset si prior ancilla, quae diu servitium praestiterit, propter senectutem vel habitualem infirmitatem, sola amplius non sufficeret. Hoc solo sensu intelligi poterit Benedictus XIV (*Instit. LXXXII 2*) ubi dixit: « Parochus.... « unam vel etiam duas famulas in domum recipiat; modo tamen has con« ditiones observet etc. ».

640. *Quomodo se gerere debet sacerdos cum ancilla, ne vel se ipsum in periculum coniiciat, vel etiam suspectibus et scandalo aditum praebeat?*

I. Debet firmissimus esse in non incipienda ulla confidentia, quae cum sacerdotali modestia et sanctitate componi nequeat (Cf. Frassinetti *Man. 527*). Vae si inciperet! Vae si turpi passioni tantillum cederet! In hunc finem caveat a periculo; quod, si tentationibus subiiceretur et solus cum sola habitaret, vere extremum esset. Neque de virtute est fidendum; stellae enim ceciderunt de coelo. Media evitandi periculum (praeter cummunia orationis, meditationis, frequentis confessionis etc.) sunt 1° Quanto minus fieri potest immorari cum illa, et speciatim in circumstantia indicata supra (*n. 636*). 2° Stare semper in gradu suo, et reverentiam exigere. 3° Ancillae confessiones non audire, procurando simul ut apud alium saepe confiteatur.

II. Etsi nihil mali, imo et nihil periculi, subsisteret, cavebit solertissime sacerdos ne ullam male suspicandi occasionem praebeat; quod contingeret speciatim si permitteret ut ancilla (quasi nova sponsa) nimis adornata in publicum prodiret; aut si (quod peius esset) ipse id procuraret, vestes et ornamenta ei emeret, vel secum (quasi ad ostensionem) illam sic ornatam in curru duceret. Idem dic si semper in eo esset ut illam laudaret, vel amoris (etsi honestissimi) significationes expressas ei daret. Foeminae cupiunt amari, et quod amentur facile se iactant et res exaggerant. Criterio carent, leves sunt atque loquaces, et consequentias non considerant. Hinc sacerdos de bono servitio se quidem contentum demonstret, sed, potiusquam laudes et munera, iustam mercedem adhibeat. Caveat autem speciatim ne in testamento nimiam haereditatis partem

(maxime praetermissis consanguineis vel neglecto famulo) ancillae relinquat. Denique non permittat ut famula, speciatim coram aliis, arroganter respondeat, quoddam imperium ostendat et quasi domina procedat; maxime vero non sinat ut (si sacerdos sit parochus) illa in rebus paroeciae se ingerat.

641. *Quid notandum* ***circa alias foeminas,*** *quae famulae non sunt?* Videndum imprimis an locum habeat frequentia, vel non.

642. *Quid* ***si frequentia locum non habeat;*** *quo modo scilicet se gerere debet sacerdos cum foeminis, quae pro casibus fortuitis ad illum se conferunt, vel cum quibus extra domum suam casu loquitur?*

I. Seclusa etiam frequentia cum aliqua in particulari, non leve scandalum daret sacerdos si habitualiter tractu nimis festivo cum foeminis omnibus (speciatim iuvenibus et pulchris) procederet; facetiis et levitatibus cum iisdem indulgeret; diutius et libentius cum illis quam cum viris moras traheret etc.

II. Non sufficit ut sacerdos huiusmodi pravum habitum non habeat; sed exigitur ut in casibus particularibus (speciatim si de foeminis iunioris aetatis agatur) 1° Quo citius fieri potest se expediat. 2° Oculorum modestiam et sacerdotalem gravitatem (quae tamen cum rustica duritie, aut scrupulorum nimiive timoris ostensione exaggerata et abnormi, confundenda non est) servet. 3° Nimiam corporum propinquitatem evitet. 4° Manum foeminae ad se venientis non apprehendat; et, si forte apprehensio ista (propter patriae morem, qui personis quoque ecclesiasticis communis esset) sine inurbanitate declinari nequiret, levissime prorsus et fugaciter id praestet. 5° Caveat ne si quid matri denegasset, illud filiae preces renovanti, concedat: imo, si filia notabile subsidium peteret, facile expedire potest ei indicere ut mater vel pater se praesentet. 6° Si ageretur de foemina malae famae, tunc prudentia omnino specialis necessaria foret; sive illa ad sacerdotem sive sacerdos ad illam se conferret, ut per se patet. 7° Denique in quovis casu optimum consilium est, ut, dum colloquium cum foemina habetur, porta teneatur aperta:

atque ut (quantum fieri potest) evitetur ne mulieres extraneae (etsi bonae famae essent), si sacerdos cum suis genitoribus non convivat, in eiusdem domo pernoctent.

643. *Quid si ageretur de* ***frequentia?*** Tunc casus longe maioris momenti esset; et valde difficile contingere posset quod sacerdos (speciatim parochus) modo ex stricta obligatione, et modo ex magna congruitate, illam evitare non debeat.

644. *Quandonam tenetur sacerdos* ***ex stricta obligatione*** *evitare frequentiam, de qua loquimur?* Ratione scandali ad hoc tenebitur 1° Si foemina quae domum sacerdotis frequentat, vel ad quam sacerdos frequenter se confert, sit malae famae, eo quod, v. g. notorie lapsa fuerit (etsi solum cum aliis), nec tractu temporis et bonis moribus famam recuperaverit. 2° Si (quamvis esset boni nominis prorsus) non appareret quo honesto motivo frequentia illa locum haberet; nec sufficeret motivum quod a populo sperneretur. Casum habes si sacerdos pro conferentiis spiritualibus ad foeminam se conferret aut illam in cubiculo suo reciperet. 3° Si sacerdos ipse confidentiis vel imprudentiis notoriis (v. g. foeminae vestes emendo vel pecuniae summas donando) graves suspectus provocasset. 4° Si foemina amore captam erga sacerdotem se ostenderet, v. g. occasiones eum invisendi nimis quaerendo, de illo nimis loquendo, munuscula ei praebendo etc.

645. *Quandonam sacerdos saltem* ***ex magna congruitate*** *foeminae vel foeminarum frequentiam evitare debebit?* Quando, etsi motivum honestum non desit, tamen de re periculosa et dicteriis subiecta agatur, neque stricta necessitas urgeat. Hinc sacerdos evitet 1° Docere puellam aliquam (nisi forte esset adhuc impubes) sive litteras, sive harmonii sonitum etc. (et hoc in puncto recole supra dicta *n. 632 I*). 2° Advocare puellas iam adultas in domum parochialem (si sacerdos esset parochus) diebus festis ex praetextu vel etiam sincero motivo sic eas a mundi tentationibus praeservandi. Vera autem et gravis obligatio abstinendi in his quoque casibus urgere potest ratione periculi; et heu quot miseri sacerdotes in huiusmodi occasionibus naufragium fecerunt! Praescindendo etiam ab hoc

periculo, heu quam facile est quod de foeminis relationem cum sacerdote habentibus statim dicantur turpissima! Quid si, quamvis sacerdos esset innocentissimus, puella cum ipso relationem habens alterius operâ gravida evaderet? Quid si (quo nihil facilius) delicti auctor, ad se occultandum, pecunia quoque oblata, ei suaderet ut sacerdotem culparet?

646. *Quid si in casu sive ancillae sive alterius mulieris (cum qua negotia honesta intercedant)* ***scandalum iam subortum*** *fuisset?* Distinguendum inter scandalum subortum 1° quin sacerdos ullam omnino occasionem ei dederit; 2° ex lapso manifesto; 3° ex solis indiciis vel imprudentiis.

647. *Quid si sacerdos, scandalo suborto* ***nullam omnino occasionem*** *dedisset?* Si scandalum istud oriretur dumtaxat ex ignorantia alicuius circumstantiae, tunc ad minus circumstantia ipsa prudenter declarari deberet. Si ortum fuisset ex speciali malignitate vel stultitia alicuius, ita ut dicteria quidem nonnulla facta fuissent, sed personae prudentes illa despexissent, vel certe de re ex se ipsa cito evanescente ageretur, tunc sacerdos aliquam maiorem cautelam adhibere deberet, sed de caetero ad nihil teneretur; vae enim si, toties quoties aliquid huiusmodi accidit, unusquisque res suas semper immutare cogeretur!

Si vero calumnia adeo colorata fuisset, ut neque in declarationibus, neque in constanti bono exemplo, spes fundata collocari valeret; tunc sacerdos sacrificium subire et sic facto ipso (si tamen in hunc finem vere deserviret) calumniam eliminare deberet; idque speciatim si de parocho ageretur (ut scilicet gregem suum utiliter regere posset).

648. *Quid si scandalum* ***ex lapsu manifesto*** *ortum fuisset?* Tunc publica poenitentia, et imprimis totalis separatio ab occasione, necessaria foret, ut per se patet.

Aliqua difficultas esse posset si de re antiqua ageretur, et non solum iam a longo tempore emendatio subsisteret, sed etiam populus magna emendationem ipsam supponendi motiva haberet. Ego sic dicerem: Si sacerdos foeminam, quacum olim misere peccavit, sat facile dimittere posset, ad hoc teneretur; ex una parte enim suspectus imminuti quidem sed non

destructi forent, et ex alia obiectum praesens infaustam semper renovaret memoriam et sacerdotis infamiam semper vivam teneret. Cf. Bened. XIV. (*Inst LXXXIII 12, 13*). Si autem foemina, nonnisi gravissima incommoda provocando, eiici posset (ut puta, si ageretur de uxore fratris cum filiis etc.): maxime vero si ex eiectione (v. g. statim post exercitia spiritualia) novi suspectus, nova dicteria, et nova scandala provocarentur; tunc (secluso periculo hallucinationis, cum consilio prudentis confessarii) res (Episcopo nihil exigente) in statu quo relinqui possent.

649. *Quid si scandalum non equidem ex lapsu manifesto, sed* ***ex imprudentiis,*** *vel indiciis sive a sacerdote sive a foemina datis, ortum fuisset?*

Tunc certe imprimis ab imprudentiis cessandum est; durantibus enim imprudentiis et indiciis, quomodo scandalum cessabit? Casus esset si sacerdos domum sibi non convenientem frequentaret, aut famulam nimis iuvenem et levem retineret etc. Et tunc profecto domus illa non amplius frequentanda, atque famula illa non amplius retinenda esset. Nec iuvabit dicere: *Sunt malae linguae, sunt calumniae, innocens sum etc.* Cf. Frassinetti (*Man. n. 548*).

Si autem in facto per se irreprehensibili obiter imprudentia aliqua (non continuata) irrepsisset, vel indicium aliquod datum fuisset; tunc casus valde speciem mutaret; si enim imprudentiae et indicia non renoventur, contingere potest quod res ex sese cito ab nihilum redigatur, et quod proinde nulla mutationes faciendi ratione scandali obligatio remaneat.

Sed quid si, sive ex gravitate indicii et difficultate quod suspectus evanescant, sive ex lapsibus vere subsistentibus (etsi a populo non certo cognitis), sacerdos occasionem illam (v. g. ancillam) dimittere vere teneretur? Tunc, etsi occasio esset certe dimittenda, tamen in tali dimissione exequenda caute procedendum foret, ne apud populum sacerdotis delictum ex dubio certum evaderet; atque etiam ne ancilla ipsa infamiam subiret. Hinc procurandum foret ut ancilla non eiecta sed motu proprio abiens (v. g. provocando aliquod litigium) appareret. Expectari deberet etiam tempus opportunum, quale non esset, v. g. statim post exercitia spiritualia a parocho peracta (ut supra innuebam).

650. *Scandalum in genere impudicitiae oriturne solum ex prava vel suspecta relatione cum foeminis?* Negative. Oriri posset etiam ex aliis indiciis; cuiusmodi essent, v. g. si sacerdos imagines vel statuas inverecundiores domi suae expositas retineret; si notorie libros eroticos legeret; si in sermone pudicus non esset; si oculorum modestiam minime servaret; si theatro interveniret; si nimis concinne se vestiendo, odores secum ferendo, comam discriminando etc., se animum libidinosum habere palam faceret.

ARTICULUS II.

De negotiatione.

651. *Quid est negotiatio?* Negotiatio seu mercatura stricte dicta consistit in emendis mercibus *ut* (1) postea immutatae carius vendantur; quatenus nempe lucrum non ex mercium ipsarum immutatione (tunc enim de opificio seu fabricatione ageretur), sed totaliter, aut saltem principaliter, ex solertia in emptione et revenditione dependeat, prout contingit in emptione et revenditione tritici, vini, olei, librorum etc. Dixi *saltem principaliter;* si enim immutatio quidem interveniret, sed lucrum non tam ex illa quam ex praedicta solertia oriretur; tunc negotiatio eodem modo subsisteret, ut patet ex iis qui uvam emunt, ut vinum postea vendendum conficiant: ipsi enim vini negotiatores communiter appellantur. Aliud esset si vinum exquisitum conficerent; tunc enim, potiusquam negotiatores, fabricatores vocarentur. (Attamen fabricatio quoque clericis illicita esse potest, ut infra videbimus).

---

(1) Ut clericus dici possit negotiator, non sufficit si emat et revendat; sed exigitur ut emat praecise cum fine revendendi et lucrum ex revenditione percipiendi; nunquid enim esset negotiator qui pro suo usu aliquid emeret, et postea illud ipsum, si casu aliquo superfluum evasisset, revenderet? Vel etiam si, oblata occasione aliquid lucrandi, ad revenditionem, de qua prius non cogitabat (vendendo carius ut postea emeret vilius) procederet? Cf. S. Lig. (*III 836*) et decretum S. C. C. (*11 Mart. 1677*) apud Vecchiotti (§ *109* v. *Quaeritur hic*).

Notarem quod (ni fallor), ad constituendam negotiationem in sensu iuris canonici, exigitur ut habitualiter vel saltem in tali quantitate talibusque circumstantiis emptiones et revenditiones perficiantur, ut iuxta sensum communem clericus iam ut mercator haberi debeat. Nunquid enim peccabit clericus qui habens in cella vinaria decem dolia per haereditatem accepta a patre suo, uvam emeret ad ea replenda, etsi (familiâ diminutâ) octo dolia ad bidendum sufficerent, et sic duo vini dolia remanerent vendenda?

652. ***An, cur, et sub qua culpa et poena,*** *negotiatio clericis interdicitur?*

Interdicitur certe a Concil. Lateranensi (*Can. XVI*) et Cap. *Ne Clerici (De vit. et hon. clericor.)*, ubi dicitur: « Sub interminatione anathematis prohibemus, ne monaci « vel clerici causa lucri negotientur ».

Excommunicatio tamen (quatenus latae sententiae est) hodie restringitur ad Missionarios qui in Indiis Orientalibus mercaturae operam dent; quae censura, quamvis in bulla *Apostolicae Sedis* non indicetur, tamen vigorem certe habet, ut patet ex litt. encycl. S. C. de propaganda fide *29 Martii 1873.*

Caeterum sub gravi, supposita diuturnitate vel magna quantitate, negotiatio clericis (in sacris aut beneficiatis) ubique terrarum interdicitur.

Motiva prohibitionis sunt 1° Quia negotiatio nimiis sollicitudinibus, timoribus et curis subiicitur; unde clerici a rebus spiritualibus nimis distraherentur, cum magno periculo ne propriis muneribus deficerent. 2° Quia negotiatio a mendaciis, fraudibus, et nimia communicatione cum saecularibus, vix seiungi potest. 3° Quia clericus mercator existimationem amittit et facile scandalum praebet.

653. *An clericus possit licite negotiari* ***per alium?*** *An scilicet possit efficere ut negotiator appareat alius, dum vere est ipse?* Negative; ut patet ex bulla *Apostolicae servitutis* Benedicti XIV.

654. *An dari possint* ***causae excusantes,*** *quae clericis negotiationem aliquam licitam reddant?*

Etsi ex quantitate, diuturnitate etc. de negotiatione per se prohibita ageretur, per accidens contingere possunt causae sufficientes ad illam licite (v. g. per interpositas personas vel ad tempus) exercendam (ut puta, si filius patri negotiatori succederet neque sine magno damno ne-

gotia statim interrumpere posset; aut si quis sibi et familiae indigenti aliter succurrere nequiret); Ecclesia enim non obligat cum gravi incommodo, et manifesta necessitas scandalum auferre valet.

At vero, ad evitandum periculum hallucinationis et ne lex suo robore enervetur, dispensationem intra Italiam a S. C. C., et extra Italiam ab Ordinario petere oporteret. Patet ex Const. *Apostolicae servitutis* Benedicti XIV. Cf. Vecchiotti (*I 409*) et S. Lig. (*III 837*).

Si autem clericus patri negotiatori succedens fratres haberet negotium continuantes, ad divisionem procedere non teneretur, sed in eorum manibus partem suam relinquere atque cum iisdem lucrum condividere posset, ut dicunt Scavini et D'Annibale (*III 506 14*).

Advertendum quod ne in favorem quidem causae piae (seclusa dispensatione S. C. C.) negotiari liceret. Cf. Del Vecchio (*I 254*).

'Quomodo itaque se gerere deberet clericus, qui ad finem lucri magnam mercium copiam emisset, et nunc poenitentia ductus negotiationis non amplius reus esse vellet? Possetne merces ipsas pretio currenti (quod carius evasisset) revendere? Posset, sed lucrum causae piae applicare deberet; ut patet ex decreto S. C. C. (*11 Mart. 1677*) apud Vecchiotti (*I § 109* v. *Quaeritur hic*).

ARTICULUS III.

De aliis negotiis saecularibus, quae clericis vetantur.

Huiusmodi sunt cambia; conductiones praediorum; artes viles; opificia et fabricationes industriales; commercia animalium; actionistam se constituere; administratoris saecularis officium exercere; advocati vel procuratoris saecularis officium exercere; advocati vel procuratoris partes agere. Sed haec sunt explicanda.

655. *Quid de* ***cambiis?*** Cambia exercere (Cf. *Vol. praec. n. 672*) lucri causa vetatur. Cambium tamen quod practice mutuum velat (*cambiale*), seclusa usura, clericis non interdicitur. D'Annibale (*III 507. 17*).

656. *Quid de* ***conductione praediorum?*** Concil. oecumenicum Chalcedonense (1) (Cap. *Pervenit* relatum

(1) Hunc canonem emissum fuisse a Concilio oecumenico Chalcedonensi, non vero a Concilio particulari Carthaginensi, patet quia Decretum

in Decr. Gratiani *part. I dist. 86 c. 26* et *part. 2 caus. 21 q. 3*) dicit: « Pervenit in S. Synodum, quia de iis qui « in clero connumerantur, quidam, propter turpis lucri « gratiam, alienarum possessionum conductiones et causas « saeculares suscipiunt: et a sacris quidem officiis se per « desidiam separant; ad domos autem saecularium concurrunt, et substantiarum eorum gubernationes avaritiae « causa suscipiunt. Decrevit ergo sancta et magna Synodus neminem horum deinceps, hoc est Episcopum, « sive clericum aut monachum, conducere possessiones, « aut misceri saecularibus procurationibus; nisi forte qui « legibus ad minorum aetatum tutelas, sive curationes « inexcusabiles attrahuntur, aut cui civitatis ipsius Epi« scopus ecclesiarum rerum commiserit gubernacula, vel « orphanorum ac viduarum, quae indefensae sunt, et « earum personarum, quae maxime ecclesiastico indigent « adminiculo propter timorem Dei ». Insuper S. C. C. (teste Fagnano) decrevit: « Clericos pauperes, ob suam « suorumque necessitatem, posse terras ecclesiasticorum « conducere absque reatu illicitae negotiationis; bona vero « laicorum non posse, nisi ex mera praecisa necessitate ».

Vetantur itaque conductiones (non vero emptiones). Ut autem conductiones vetentur, oportet, ut non iam ad subveniendum strictae necessitati propriae, aut familiae, sed propter lucrum superfluum et pecuniae amorem, fiant; ut scilicet ex fructuum venditione lucrum ad capitalia accumulanda capiatur.

A fortiori dicit S. Lig. (*III 835*) vetitum erit conducere praedia, ut ex eorum foeno animalia saginentur, et sic adhuc maius lucrum percipiatur.

Quid si clericus conduceret fundum aliquem ad subveniendum necessitati alicuius miseri agricolae, qui fundo colendo destitutus remansisset? Ad hunc casum legem extendi non dicerem.

657. *Quid de alicuius* ***artis exercitio?*** Sunt artes, quae clericis non dedecent, ut pictura, sculptura, musica etc. (attamen servatis servandis). Hae itaque licent; secus vero de artibus vilibus vel utcumque (sive quoad substan-

---

Gratiani bis eidem Concil. Chalced. illum attribuit; etsi ex manifesto errore sive amanuensis sive typographi acciderit ut semel pro Chalcedonensi dictum fuerit Carthaginense. Adde quod sensu omnium canonistarum, atque theologorum, lex ista tamquam universalis semper recognita fuit. Adde etiam decretum S. C. C. relatum a Fagnano. Adde denique quod in canone ipso dicitur: « Sancta et *magna* Synodus ».

tiam sive quoad modum) indecentibus. Huiusmodi sunt ars fabri (si personaliter et publice exerceatur); ars aromataria (*spezieria*) pro usu publico; ars chirurgica et medica etc.

Vecchiotti (*I 109*) dicit medicinae et chirurgiae iuxta artis regulas (seclusa incisione et adustione) exercitium clericis non interdici; sed certe fallitur, ut videre est apud Bened. XIV (*De Syn. XIII.* x *5*). Excipe casus necessitatis, vel si haberetur dispensatio, ut subinde contingit in locis missionum.

Quid de arte *photographica?* Illam exercere indiscriminatim ad modum professionis, et proinde etiam pro foeminis, clericis non licet.

658. *Quid de* ***opificiis, fabricationibus, saginatione animalium*** *et similibus industriis?* Aliqua licent et aliqua non licent; et regulae generales vix dari possunt.

Attamen videndum imprimis *quo fine* haec peragantur; si enim finis non sit lucri, sed pietatis, charitatis etc., facile licent. Exemplum habemus in Salesianis, in clericis dirigentibus typographias catholicas etc.

Si autem finis sit lucri, tunc opificia, fabricationes etc. clericis non facile licebunt.

Si tamen de re modica ageretur, et clericus ad suam honestam sustentationem aliquid huiusmodi perageret, non esset culpandus. Idem dic si fundis rebusve propriis uteretur, nec ad magnas emptiones pro opificiis, fabricationibus etc. exequendis procederet.

Hinc licet, v. g. emere et saginare animalia in fundis propriis (S. Lig. *III 835*); non vero ea emere ut in fundis alienis (tradendo illa conductoribus vel sociis) alantur. S. Congr. Concilii (apud Scavini *I 576. 7*).

Liceret tamen tradere conductoribus animalia, quae ex paterno patrimonio haberentur. (Scavini (*l. c. 6*).

Sic licet clerico ex foliis propriorum fundorum alere aut alendos aliis tradere bombyces (cavendo tamen ne in iis alendis foeminarum suspectarum opera uteretur); sed ex foliis emptis in magna quantitate eos tenere vel locare non posset.

Idem dic de suibus qui ex glandibus suorum fundorum (etiam in magna quantitate) saginari possent (cavendo tamen ne in illis emendis, tenendis, et vendendis clericus aliquid sordidi vel indecentis faceret). Scavini (*l. c. 3*).

Sic denique posset clericus pannum conficere ex lana gregum suorum, sed non (intellige in magna quantitate et ope multorum operariorum) ex lana empta etc. Cf. Lugo (*De Inst. XXVI 34*), Reiffenst., Vecchiotti etc.

659. *Potestne clericus* ***se actionistam constituere?*** *Potestne scilicet dare pecuniam sive Gubernio,*

sive mercatori, sive bancario, sive societati industriali, ut lucrum sive fixum, sive (pro diverso commercii exitu) varium, quotannis, vel utcumque statis epochis, habere debeat?

S. Sedes concedere solet Episcopis facultatem permittendi ut clerici actiones huiusmodi accipere possint nedum quoad societates industriales (v. g. viarum ferrearum), sed etiam quoad societates commerciales (it. *banche*); attamen ex propria pecunia tantum. S. C. C. (*6 Iul. 1855*) et S. C. S. O. (*1 Apr. 1857*) apud Bucceroni (*Enchir. n. 105*). E contra interrogata S. C. EE. et RR. « An liceat clericis... acquirere actiones societatis « *in accomandita* Civitatis Castelli? Et quatenus negative, an supplicandus « Pontifex pro benigno indulto? Respondit (*30 Ian. 1846*) ad primum « *Non licere:* ad secundum *provisum in primo:* (scilicet dispensationem « non dari) ». Ratio autem cur in casu isto dispensatio denegata fuit (teste Vecchiotti *l. c.*) est quia non agebatur de societate iam constituta et fundata, bene vero de societate constituenda (et quidem presse commerciali), quae totum suum robur ab actionistis acceptura erat; unde ipsi iam principales in eadem societate commerciali evasuri essent; et quidem ita ut (propter boni exitus incertitudinem) non levi timori subiecti esse debuerint. Hinc sequentia statuenda esse videntur.

I. Non licet clericis se actionistas constituere ex pecunia aliena.

II. Non licet pariter actiones sumere in societate incerti exitus et adhuc constituenda.

III. Non licet actiones emere cum intentione illas revendendi maiori pretio; tunc enim de aperta et stricte dicta negotiatione res esset. Cf. Vecchiotti *l. c.*).

IV. Pro aliis casibus obtineri posset dispensatio.

An autem clericus, etiam sine dispensatione, in societate fundata, et ex unico fine capiendi lucrum ex pecunia propria ad sibi vel suae familiae consulendum, actiones emere valeat, idem Vecchiotti dicit quod canonistae conveniunt id licere, si actiones ipsae emantur a Gubernio; sed discrepant, si de aliis societatibus, vel negotiatoribus, vel bancariis, agatur. Addit tamen quod auctores magni nominis pro licito stant, si societas iam sit constituta et bene fundata, ita ut ex una parte actiones iam fere nihil in illam influant, et ex alia iam nulla sollicitudo (quae a rebus sacris distrahat) haberi possit. Dices: si ita res se haberet; tunc ad quid S. Sedes concederet Episcopis facultatem dispensandi? Responderi posset quod S. Sedes dispensationes etiam ad cautelam concedere solet.

660. *Quid de susceptione* ***administrationum?*** Non licet clericis administrationes sive publicas sive privatas *laicorum* suscipere, aut vili modo se eorum servos constituere; ut enim dixit Clemens XIII (Cap. *Cum primum*), « hoc est proprii gradus dignitatem proculcare ».

Si tamen de aliqua simplici administratione privata ageretur, non ex avaritia, sed propter honestam sustentationem suscepta; tunc clericus de

peccato gravi accusari nequiret, dummodo propria boni sacerdotis officia non negligeret (S. Lig. *III 838*). Imo nulla culpa interveniret, si ex pietate Loci Pii (nisi aliud obstet), aut viduae aut pupilli indigentis administratio sumeretur; vel si debita licentia peteretur. Idem (hodie) de tutela minorum et (saltem cum licentia Episcopi) de executoris testamentarii officio dicendum est. Scavini (*I 577*).

661. *Quid speciatim de susceptione* ***officiorum civilium*** *seu laicalium, v. g. iudicis, notarii, consiliarii aut assessoris aut thesaurarii municipalis, vel syndici?* De his affero duo responsa S. Poenitentiariae.

Primum (*20 Martii 1885*) dicit: « Ex sacris cano-
« nibus non licere clericis, absque legitima potestatis eccle-
« siasticae licentia, assumere et exercere officia civilia seu
« laica ».

Alterum (*22 Dec. 1888*) dicit quod, supposita consuetudine exercendi officia municipalia pro bono publico, Episcopi tolerare possunt ut consiliarii et assessoris municipalis qui vice syndici non fungatur; non vero syndici, aut eius vicem gerentis, aut thesaurarii officia clerici exerceant. (*Monitore V 252*).

662. *Quid de officiis in congregationibus, quae vulgo dicuntur publicae beneficentiae?* Etiam in Italia, et clericis quoque, Episcopi concedere possunt facultatem eadem officia exercendi. S. Poenitentiaria (*22 Dic. 1888*). Vide D'Annibale (*III 508*), Vecchiotti (*I § 109*), et Scavini (*I 577*).

663. *Possuntne clerici exercere* ***officia advocati et procuratoris?*** Negative. Excipe nisi agatur de causa sive propria, sive consanguineorum, sive pauperum et miserabilium personarum, sive ecclesiasticorum vel locorum piorum. Excipe quoque causas quae apud iudices ecclesiasticos agitentur. Excipe demum si debita licentia obtenta fuerit, quae dari solet a S. C. C. intuitu paupertatis sacerdotis, dummodo in criminalibus iudiciis ad defensionem tantum scribat et agat. Cf. Bened. XIV (*De Syn. XIII.* x *12*) et D'Annibale (*III 508*).

664. *Quid de acceptatione* ***scholae publicae*** *in gymnasiis aut licaeis saecularibus?* In hoc quoque casu licentia Episcopi exigitur. Scavini (*I 577 in fin.*).

ARTICULUS IV.

De ludo clericis prohibito.

665. *Quo sensu interdicitur clericis* ***ludus?***

I. Interdicitur (et quidem sub gravi clericis in sacris) ludus merae (aut quasi merae) sortis, quatenus frequens sit; non vero quatenus raro, moderate, privatim et sine scandalo (recreationis causa) fieret. Ludus autem in quo, etsi sors immisceatur, tamen ingenium quoque notabiliter interveniat, minime interdicitur, etsi quotidie, animi relaxandi causa (moderate tamen) exerceretur. Vide *De Occasionariis* (*Ed. V n. 539*), Vecchiotti (*Vol. I § 109*), Scavini (*I 424*), etc.

II. Interdicitur quicumque ludus ecclesiasticis indecens, (Vide Scavini *I 584*), cuiusmodi essent v. g. ludi publici (v. g. *al pallone*), aut publice adhibere *velocipedes* etc.; qua de re vide supra (*n. 132 in fin.*).

666. *Quid de industria illa quae dicitur it.* Gioco di borsa?

I. Si valores (it. *cartelle*) emantur, ut maiori (prout speratur) pretio revendantur; tunc iam interveniret negotiatio clericis prohibita.

II. Si notitiae falsae spargantur ut valores crescant vel decrescant, tunc iniustitia interveniret, quae (ut per se patet) omnibus sive clericis sive laicis vetita esset. (Cf. *Vol. praec. n. 933 et seq.*).

ARTICULUS V.

De venatione clericis vetita.

667. *Quaenam* ***venatio*** *clericis interdicitur?* Venatio clamorosa; quae nempe cum magno tumultu et strepitu armorum et canum ad occidendas maiores feras peragitur. Haec prohibetur; sed non (secluso speciali Episcopi vetito) venatio quieta et moderata, quae solum ad

volucres minoresque belluas non feroces occidendas dirigitur. Vecchiotti (*I § 109*).

Idem dic de piscatione quae modice et decenter recreationis causa exerceatur. Scavini (*I 424*).

ARTICULUS VI.

De gestatione armorum.

668. *Quo sensu* ***gestatio armorum*** *clericis interdicitur?* Interdicitur 1° extra casum necessitatis; 2° extra casum praedictae venationis. (Cf. Scavini *I 419*). Observandae autem erunt leges dioecesanae.

ARTICULUS VII.

De tabernis et thermopoliis vulgo caffè.

669. *Quid de* ***tabernis?*** Concilium Lateranense IV dicit: « Tabernas prorsus eviteut (clerici), nisi forte causa « necessitatis in itinere constituti ». Cf. Scavini (*I 422*).

670. *Quid de thermopoliis, vulgo* ***caffè?*** Quamvis de re ista lex positiva (quod sciam) non adsit; tamen mora in locis istis si facile in saecularibus, valde facilius in ecclesiasticis vitiosa evadit; seclusa scilicet necessitate, brevitate temporis etc. Culpa autem mortalis intervenire posset si clericus v. g. quotidie, longo tempore, horis quoque nocturnis, cum personis impietate vel liberalismo infectis etc. illuc moraretur, luderet etc.

ARTICULUS VIII.

De crapula, ebrietate et comessationibus.

671. *An et quo sensu haec clericis prohibeantur?*

I. « A crapula et ebrietate omnes clericis diligenter « abstineant ». Ita in Decretal. (*III.* I. XIV). Iuxta glossam autem pro crapula superfluitas ciborum, et pro ebrietate potus sine mensura accipitur. Convivia itaque, quae magna

prandia aut magnae coenae dicuntur, facile eiusmodi esse possunt ut sacerdotibus non liceant.

II. « Non oportet ministros altaris.... ex symbolis, « quae vulgus comessalia (seu comessationes) appellat, « convivia celebrare ». Ita in decreto (*I.* XLIII *et* XII). Comessationes autem locum habent quando plures conferunt (sive cibos, sive vinum, sive pecuniam etc.), ad convivium faciendum. (Glossa *ibi*).

Haec clericis vetantur, nedum propter temperantiam, sed etiam quia voto castitatis praeiudicium inferre, et scandalum populo dare possunt. Adde quod eleemosynas christifidelium aut redditus beneficiorum in huiusmodi insumere dedecet quam maxime: « Tibi, o sacerdos (dicebat « S. Hieron.) de altari vivere, non luxuriari permittitur ».

672. *Quid de conviviis quae ruri* ***occasione festorum*** *locum habent?* Sacri canones advertunt valde esse reprehensibiles illos sacerdotes, qui palam faciunt, se magis de prandio quam de ecclesia esse sollicitos: « Qui « ad coenam dominicam conveniunt, et ex veritate ventris « causa coniunguntur, reprehensibiles coram Deo et homi- « nibus habentur ».

673. *Quid de* ***prandiis nuptialibus?*** Illa etiam ordinarie a clericis evitari debent, ut patet ex sacris canonibus (Decr. *I.* XXXIX. XIX). Rationes sunt manifestae.

Attamen excipi debet casus in quo ineluctabilis convenientia clerici interventum exigeret, et pro certo haberetur nihil adfuturum quod clerici ipsius aures aut oculos offendere possit.

Si post convivium choreae locum habiturae essent, clericus discedere deberet. Cf. Scavini (*IV 10. 11*).

ARTICULUS IX.

De luxu.

674. *Quid de* ***luxu*** *clericis prohibito?* Non solum excessus in conviviis, sed etiam in vestitu, habitatione, et vitae commodis atque deliciis, clericis interdicitur; ut videre est apud Trid. (*Sess. XVI.* I). Heu quot ecclesiastici domum quasi principis aulam ornant, et ecclesiam quasi tugurium relinquunt! Quanta differentia inter supel-

lectilem mensae et altaris! Vestes propriae abundant, et splendidae sunt: in sacris vero apparatibus heu quanta penuria, nisi etiam laceri et sordidi sint!

ARTICULUS X.

De spectaculis et choreis.

675. *Quo sensu spectacula et choreae clericis interdicuntur?* Nedum partem activam in rebus huiusmodi habere, sed etiam iisdem assistere vetitum est. Attamen (quoad solam assistentiam) ad cursus equorum, septa ferarum, gesticulatorum praestigia, extraordinarios conventus musicos, ludum pilae *(gioco del pallone)* etc. vetitum non extenditur (Scavini *I 572*); bene vero spectacula obscoena vel lubrica vel amatoria vel immodesta (cuiusmodi sunt **choreae** et **repraesentationes theatrales** quae insuper non raro impiae esse solent) clericis interdicuntur.

In Decr. (*I.* XXIII. III) legitur: « Lege patrum cavetur, ut a vulgari vita seclusi a mundi voluptatibus sese abstineant (clerici); non « spectaculis, non pompis intersint etc. ». Et (*XXXIV.* XIX) additur: « Nec his coetibus misceantur, ubi amatoria cantantur et turpia; aut « obscoeni motus corporum choreis et saltationibus offeruntur; ne auditus « aut obtutus sacris mysteriis deputati turpium spectaculorum atque ver- « borum contagione polluantur ». Ad rem faciunt sequentia Tridentini verba (*Sess. XII.* I): « Sic decet omnino clericos, in sortem Domini « vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, in- « cessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac « religione plenum praeseferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima « essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem ».

ARTICULUS XI.

De discessu e Dioecesi, Episcopi venia non obtenta.

676. Sermo hic habetur non de parocho vel canonico residentiae obligationem habente; sed de quolibet alio clerico.

Quum clerici Episcopo subiiciantur titulo non solum domicilii sed etiam sacrae ordinationis, qua ad clerum dioecesanum adscripti remanserunt, consequitur quod ad aliam dioecesim, cum intentione illuc figendi domicilium

aut diu remanendi, se transferre nequeunt, nisi prius sive **excardinationem** sive licentiam ab Episcopo (vulgo **discessit**) obtinuerint; qua sive expresse sive tacite non obtenta, non obstante domicilio alibi contracto, etiam sub poena suspensionis, revocari possunt, dicente Tridentino (*XXIII.* XVI): « Si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur ».

Attamen Episcopus non semper discessum impedire posset; videndum enim ne forte clericus alibi se transferendi necessitatem habeat, ut puta, si esset filius-familias et patrem sequi cogeretur, aut in dioecesi congruam sustentationem non inveniret etc. (Cf. *Monit. II.* III *67 et 81*). Adde quod Episcopus impedire nequiret discessum clerici ad religionem profitendam, nisi forte dioecesis in magnis angustiis (propter sacerdotum penuriam) versaretur. Cf. Bened. XIV (Const. *Ex quo*). Quoad emigrationem in Americas, vide supra dicta *n. 617.*

ARTICULUS XII.

De obligatione servandi privilegium fori, et proinde etiam de vetito ferendi testimonium in iudicio sine licentia Episcopi.

677. Clerici nedum possunt sed debent uti privilegio fori (nisi concordata aut consuetudines legitimae alicubi in contrarium adessent).

Hinc nec conveniri nec se praesentare possunt *tamquam rei vel debitores* in iudicio saeculari (sive poenali sive civili) sine licentia Episcopi, nisi forte clericus conveniretur tamquam curator vel administrator laici, aut pro lite incaepta contra laicum cuius ille haeres evasisset. Vide Ballerini (*Op. theol. tr. IX C. II n. 345*).

Praeterea nequeunt clerici in iudicio saeculari se praesentare *tamquam testes*, unde in Cap. *Testimonium* statuitur: « Prohibitum est de iure clericis testimonium « iudiciale perhibere in foro saeculari sine licentia sui « Praelati »; quod in causis etiam mere civilibus verum est. (V. Vecchiotti *Vol. I § III in fin.*).

Insuper clerici nequeunt sine tali licentia *iuramentum emittere* a iudice petitum, dicente Cap. *Quoties 21 causa 22:* « Iuramentum vero clericus laico praestare non debet ».

Obtenta autem venia Episcopi ad testimonium ferendum et iuramentum emittendum, oportet ut in causa criminali sanguinis clericus *protestationem* emittat quod in huiusmodi poenam influere nollet.

CAPUT III.

DE STATU RELIGIOSO.

Agendum est 1° de natura status religiosi; 2° de voto castitatis; 3° de voto obedientiae; 4° de observantia regulae; 5° de clausura; 6° de voto paupertatis; 7° de electione confessarii quoad regulares; 8° de manifestatione conscientiae superioribus; 9° de regularibus quoad communionem; 10° de monialibus quaestuantibus; 11° de regularibus circa administrationem sacramentorum et praedicationem; 12° de religiosis ad episcopatum promotis, aut dispersis, aut saecularizatis; 13° de privilegiis regularium; 14° de differentia inter ordines religiosos veri nominis et congregationes votorum simplicium.

ARTICULUS I.

De natura status religiosi.

678. *Essentia status religiosi* ***in quo consistit?*** In tribus votis perpetuis castitatis, paupertatis et obedientiae, si emittantur in religione quae vere tamquam ordo religiosus fuerit ab Ecclesia approbata.

Quod haec vota sint solemnia, necessitate absoluta non exigitur; ut patet ex sodalibus Societatis Iesu, qui, quamvis (tyrocinio expleto) simplicia dumtaxat vota emittant, nihilominus sunt vere religiosi, adeo ut talia vota, non secus ac professio solemnis, matrimonium dirimant. Cf. Sanchez (*VII.* xxv *14. 15*), et D'Annib. (*III 325*).

Exigitur tamen regulariter iure ecclesiastico, ut patet ex perpetua praxi Ecclesiae, quae solum in favorem Societatis Iesu privilegium et exceptionem legi generali fecit. Vide Piat (*Praelectiones Iuris Regularis P. I C.* I *q. 6°*).

679. Omnes norunt quod, iuxta decretum Pii IX (*19 Mart. 1857*), Regulares absoluto novitiatu, per triennium ante solemnem professionem cum solis votis simplicibus remanent, ea lege ut ipsi quidem perpetuo religioni mancipentur, sed religio eos reiicere possit, quo casu illi quoque a votis liberi evaderent.

Omnes pariter norunt quod professio votorum simplicium ante professionem solemnem fieri debet etiam a monialibus ex decreto *Perpensis*

temporum angustiis S. C. Epp. et RR. *3 Maii 1902* (apud Acta *Vol. XXXV pag. 31* et *Monitore XIV pag. 201 et 303*).

Sed, durante triennio votorum simplicium, eruntne in vero statu religioso? R. Participes quidem erunt gratiarum et privilegiorum, sed (exceptis Iesuitis) non in statu presse religioso constituti erunt. (Vide Piat *l. c.*).

680. *Quid itaque de illis qui vota simplicia, quamvis forte perpetua, emittunt in piis institutis, quae non tamquam ordines religiosi, sed solum tamquam piae congregationes fuerint ab Ecclesia approbata? Constituenturne isti in statu religioso?*

Negative. Huiusmodi sunt etiam fere omnes moniales in Gallia, Belgio, Hollandia et Statibus confoederatis Americae; quae iustis de causis (et praecipue quia illuc, praeter nimia vulnera quae voto paupertatis infliguntur, clausura neque perfecte servari potest neque a guberniis ullam tutelam habet) ab Ecclesia tamquam verae moniales non considerantur; earumque professio tamquam solemnis non habetur.

Imo hodie idem dicendum est de quibuslibet professionibus, si (monialibus ex proprio monasterio ejectis) novitiae vota emitterent in monasteriis quae per decretum Pontificium non fuerint recognita et papali clausurae subiecta. (Vide Piat *l. c. q. 9 in fin.*).

ARTICULUS II.

De voto castitatis.

681. *Quid notandum circa huius voti extensionem speciem et gravitatem?*

I. Votum castitatis **extenditur** ad ea omnia (etiam mere interna) quae virtute castitatis interdicuntur. Quae vero sub consilio dumtaxat cadunt, in voto non comprehenduntur, exceptis matrimonio et clausura.

II. Peccatum evadit **specie** duplex, quatenus reatui contra castitatem reatus contra religionem adiungitur: at vero si religiosus ordinem sacrum susciperet, nulla alia differentia specifica superadderetur (ut dixi *Vol. II n. 417*); pluralitas enim causarum ob quas ex eadem virtute obligatio aliqua consurgit, ordinarie non sufficit ut nova malitia constituatur; ut patet in illo qui tum ex beneficio tum ex ordine sacro ad horas canonicas tenetur. D'Annibale (*I 262 1*).

Violatio voti solemnis a violatione voti simplicis specie differt, ut dixi et explicavi supra (*Vol. II n. 415*).

III. Peccatum contra religionem in violatione voti est eiusdem **gravitatis,** sicut peccatum contra castitatem; unde, si culpa contra castitatem commissa esset levis, voto superaddito, gravis non evaderet. Gury (*II 166*).

ARTICULUS III.

De voto obedientiae.

682. ***Cur*** *religiosi obedire teneantur?* 1° Quia in qualibet societate (secluso etiam voto et pacto expresso) legitimis superioribus parendum est. 2° Quia religiosi in professione se ipsos propriamque voluntatem superioribus tradiderunt, eisque obedientiam promiserunt. 3° Quia etiam Deo per votum ad hanc ipsam obedientiam se obligaverunt.

Religiosus itaque inobediens tres virtutes offendit, nempe obedientiam, fidelitatem, et religionem; atque ita in rigore tripliciter peccat. Attamen dum confitetur, si confessario iam sit notus tamquam professus, sufficit si dicat: Superioribus meis fui inobediens. Cf. Suarez (*De Relig. Tom. 3 X.* v. vi).

683. ***Quaenam conditiones exiguntur*** *ut religiosi veram obediendi obligationem habeant?*

Oportet I. *Ut mandatum subsistat;* si enim superior voluntatem quidem aliquid praecipiendi ostendisset, sed praeceptum adhuc non intimasset, vel ad modum consilii et exhortationis aliquid proposuisset; gravis obligatio tunc non adesset.

Scripsit Suarez (*De Relig. I.* III *5*): « Praelatus cum iubet aliquid « ordinario modo, sive utatur verbo mandandi, sive aliis simplicioribus, « non obligat in conscientia, nec censetur praecipere ut iurisdictione « utens, sed ut spiritualis pater: neque etiam censetur rigorose exigere « promissam obedientiam, donec expressis et quasi praescriptis verbis id « declaret ». Sed potius dicendum quod iussio Praelati, quamvis interdum merae exhortationi aequivaleat, tamen ordinarie saltem sub levi conscientiam ligat.

Oportet II. Ut mandatum *in errore manifesto non fundetur;* si enim superior poenitentiam pro delicto iniunxisset, et subditus innocens esset, tunc (secluso scandalo) obedientia declinari posset. Idem dic a fortiori *si, obediendo, gravia vel gravissima mala secutura forent.*

Oportet III. Ut mandatum fiat *a legitimo superiore.* Ex hoc capite religiosi obedire debent 1° Romano Pontifici si forte per se ipsum aut per S. Congregationem aliquid decernat. 2° Ministro Generali. 3° Ministro Provinciali. 4° Superiori locali. 5° Eorum vices gerentibus, cuiusmodi sunt vicarii, et praepositi diversorum officiorum etc.

In mandatorum conflicta superioribus altioris gradus obediendum est, nisi 1° superior immediatus facultatem sive dispensandi, sive interpretandi, sive epikeiam faciendi haberet; et nisi 2° superiori altioris gradus vetitum esset superioris immediati auctoritatem in illo casu restringere.

Religiosi non exempti, cuiusmodi sunt fere omnes moniales, *Episcopo* plus quam superiori immediato obedire tenentur.

Quamvis *Abbatissae* iurisdictionis spiritualis incapaces sint, nihilominus gubernandi familiam religiosam iuxta proprias regulas et constitutiones, tamquam matres-familias, et loco Episcopi vel Abbatis, veram potestatem habent; eisque non obedire grave peccatum esse potest.

Oportet IV. Ut *superior suae potestatis limites non excesserit;* idque contingeret 1° Si res praecepta esset contra legem Dei vel Ecclesiae. 2° Si esset contra regulam et constitutiones (quae propter temporum et locorum circumstantias regulae primitivae adiici debuerunt).

Intellige semper 1° si superior dispensandi a regula auctoritatem non habeat; 2° si agatur de re evidenti; in dubio enim praesumptio superiori favet; secus enim de bono ordine in religiosis familiis actum esset.

684. *Quid si superioris mandatum non equidem contra, sed extra regulam esset?*

Mandatum huiusmodi potest esse *supra* et *infra* regulam.

Esset *supra regulam* si superior ad maiorem severitatem procederet, ut puta, si minoribus Conventualibus severitates Trappistarum praeciperentur.

Esset *infra regulam* si res praecepta non equidem dura foret, attamen in regula nullo modo comprehenderetur.

In his casibus communiter theologi fatentur, obediendi obligationem non adesse; subditi enim obedire quidem promiserunt; sed hoc intra proprii instituti indolem et regulas.

Imo Sanchez (*VI.* II *16*) existimat, idem esse dicendum quamvis regula diceret, obediendum esse superiori in omnibus quae non sint peccata evidenter, prout legitur in regulis societatis Iesu et franciscalium. Obedientia enim ultra regulas sic proponitur quidem ex consilio, non autem ex praecepto, ut notat etiam Piat (*P. III C. II q. 3° not. 2*).

Caeterum non exigitur ut tale vel tale mandatum in regula expresse inveniatur; sufficit enim quod superior iuxta indolem propriae religionis, et iuxta ea quae implicite in regulis indicantur, aliquid praecipiat. Hinc subditus tenetur obedire, v. g. si superior officium (etiam cum cura animarum) religioni non extrinsecum ei imponat; si praecipiat ut delinquentem manifestet; vel ut poenitentiam etiam duriorem, sive in poenam delicti sive ad praecavendum a relapsu, acceptet et peragat; vel ut media

nova quidem, sed ex novitate circumstantiarum iam necessaria, adhibeantur; vel ut saecularibus quoque auxilia praebeantur, si religio ad bonum proximi quoque instituta fuisset, maxime si de mendicantibus ageretur; quo casu contingere potest quod religiosi in auxilium etiam parochorum ad assistendum infirmis tempore pestis accurrere teneantur.

Notari potest demum quod superiores, quamvis actus mere internos praecipere nequeant, tamen actus internos cum externis connexos praecipere possunt, v. g. ut subditi pro tali anima missam applicent.

Idem dic de mediis ad votorum observantiam moraliter necessariis, ut puta, si Pontifex iuberet ut moniales, quae prius erant sine clausura, clausuram acceptarent. Suarez (*De Rel. L. VIII.* xvi 5).

685. *Quid de gradu culpae in peccatis religiosorum contra obedientiam?* R. Peccata religiosorum contra obedientiam, ut plurimum venialia sunt. Attamen peccatum mortale committeretur in sequentibus casibus. 1° Si superior in materia gravi praeciperet dicendo: *In virtute sanctae obedientiae,* vel *in nomine Iesu Christi,* aut alia gravissima verba adhibendo. 2° Si ex inobedientia grave scandalum sive confratrum sive saecularium, aut grave malum sive quoad communitatem sive quoad alios (maxime in praeiudicium salutis animarum) sequeretur. 3° Si superiori aliquid (etsi leve) legitime praecipienti subditus responderet: *Nolo obedire, nolo facere, non faciam,* aut aliud simile quod contemptum formalem auctoritatis implicaret.

686. *Quid exigitur ut obedientia a quavis levissima culpa expers sit?* Oportet ut obediatur 1° *Prompte* idest statim, tempore praescripto, nullisque inquisitis rationibus, aut difficultatibus inanibus in medium adductis. 2° *Exacte,* nempe cum debita cura, ut opus bene perficiatur. 3° *Alacriter,* nempe libenti animo et sine ulla interna voluntatis repugnantia saltem voluntaria.

ARTICULUS IV.

De propria regula a religiosis observanda.

687. *Quaenam hoc in puncto sunt praecipue notanda?* Accedente mandato superioris aliquid faciendi iuxta regulam, iam dictum est quomodo subditi obedire atque etiam pro regulis non observatis poenitentias acceptare teneantur. Secluso autem hoc mandato, tunc etiam tenentur certe regulam observare 1° in iis quae spectant ad vota.

2° In iis quae etiam ex lege sive divina sive ecclesiastica adimplere tenentur. 3° Si regula ab Ecclesia confirmata sive sub gravi sive sub levi obligationem imponat expresse, aut consuetudo eam taliter interpretetur.

Ab his casibus praescindendo, regula in conscientia non obligat, sed ad meram directionem et consilium reducitur, multo magis si regula ipsa expresse moneat, nullam in conscientia obligationem ponere, prout in regula Dominicanorum et Societatis Iesu contingit.

Utcumque, regulae non cadunt sub voto obedientiae nisi superioris praeceptum superaddatur.

688. *Quaenam a religiosis vel monialibus votorum solemnium non solum propter regulam sed etiam propter legem ecclesiasticam (vel consuetudinem vim legis habentem) observari debent?* R. Sunt speciatim sequentia.

I. *Retentio habitus religiosi;* quatenus nempe ex generali Ecclesiae lege sicut clerici ita etiam monachi cum proprio habitu palam retento incedere debent; nec habitum saecularem (seclusa legitima causa) induere possunt.

Quod autem noctu quoque in lecto habitum retineant, hoc non ex lege Ecclesiae sed ex sola regula provenit. Cf. Suarez (*Tr. VIII Lib. I.* v *5*).

II. *Recitatio officii divini.* Attamen distinguendum est inter obligationem chori, et obligationem recitandi officium privatim.

Obligatio chori viget solum si in regula hoc onus imponatur, vel si consuetudo id exigat. Ita S. C. Epp. et RR. (*19 Apr. 1844*) apud *Monitore* (*IV 14*). Providere ut chorus nunquam desit, ad superiorem vel superiorissam spectat. Peccatum autem esset mortale, etsi una vice tantummodo chorus deficeret. Idem dic de religiosis choralibus et necessariis, sine quibus scilicet numerus sufficiens non haberetur.

Quoad recitationem privatam, recolantur supra dicta *n. 350.*

Religiosi non chorales, sed (prout vulgo appellantur) *conversi* seu *laici,* tenentur ad quasdam preces (vulgo coronam laicorum); sed haec obligatio (ut ait Pellizzari *De Mon. IV 15*) urget solum sub levi.

De privilegio quo interdum gaudere possunt religiosi chorales recitandi coronam laicorum, vide supra dicta *n. 343*.

In congregationibus votorum simplicium sodales ad summum teneri possunt sub levi ad recitationem officii B. M. V., vel ad alias preces, iuxta proprium institutum (*Monit. l. c.*).

III. *Observatio clausurae;* sed de illa in articulo sequenti ago seorsim.

ARTICULUS V.

De clausura.

689. *Quaenam est distinctio principalis?* Imprimis distinguendum inter monasteria virorum et monialium.

690. *Quid de clausura* ***quoad monasteria virorum?*** Praecipitur 1° Ne ulla mulier introducatur, aut permittatur ut intra clausuram pedem ponat, idque sub poena peccati mortalis et excommunicationis R. P. reservatae, ut videre est in Bulla *Apostolicae Sedis*, ut suo loco explicabitur. 2° Ne aliquis religiosus exeat a monasterio sine licentia superioris saltem praesumpta, horis diurnis sub levi (ordinarie), nocturnis sub gravi. Cf. D'Annib. (*III 594*) et Suarez (*De Relig. VIII Lib. I.* VI *6*).

691. *Quid de clausura* ***quoad moniales?*** Quoad moniales lex clausurae valde arctior est. Pro praxi sufficit notare sequentia.

I. Clausura alia est papalis, alia episcopalis.

Clausura *papalis* de regula ordinaria afficit monasteria, in quibus adsunt moniales veri nominis cum votis solemnibus; ita scilicet ut facultas illa emittendi a S. Sede concessa fuerit (Cf. Comment. Rom. ad Const. *Apostolicae Sedis Append. XX pag. 717*). Illuc clausura est papalis suapte natura; unde Vecchiotti (*II § 165*) dicit: « Nul« lum monasterium dari posse cum votis solemnibus, quin « simul clausura papalis ibidem obtineat ». Hoc tamen cum mica salis accipiendum est; dari enim potest casus accidentalis in quo vota sint solemnia et nihilominus clau-

sura vel nulla vel solum episcopalis sit. Hoc contingeret si moniales, eiectae a proprio monasterio, in aliquo hospitio vel in monasterio pro clausura papali non canonice erecto (et fortasse nequidem idoneo) recollectae fuissent.

Clausura *episcopalis* afficit illa monasteria, in quibus piae mulieres cum votis simplicibus morantur, si tamen Episcopus clausura eas obstrinxisset. Caeterum quoad istas quoque haec est regula ordinaria, aliquando enim haec quoque clausura posset esse papalis; si nempe Episcopus cum consensu monialium illam a Pontifice obtinuisset. (Vide Scavini *I 493*, et Comment. Rom. *l. c. pag. 716*).

Quae hic dicuntur, clausuram papalem respiciunt; de *episcopali* autem paullo infra aliquid dicam.

II. Peccatum mortale cum excommunicatione R. P. reservata adest *si aliqua monialis exeat;* et notandum, quod consuetudo egrediendi cum sola licentia Episcopi erit semper abusus et nunquam legitima esse potest. Decr. S. C. S. O. (*22 Dec. 1880*) apud Bucceroni (*Commentar. n. 59*).

Attamen sequentes casus excipiuntur. 1° Si incendium, inundatio, latronum incursus, coenobii ruina etc. iam iam immineret (Cf. Comment. Rom. *pag. 747*). 2° Si aliqua monialis morbo cuntagioso affecta fuisset, et sine periculo alias inficiendi intra coenobium curari nequiret; quo in casu ultra licentiam Abbatis (si monasterium regularibus subiiceretur) etiam licentia Episcopi necessaria esset, et quidem *in scriptis;* secus pro non data haberetur. 3° Ut monialis vel moniales aliquae (v. g. ad fundandum aliud monasterium vel ad docendas puellas in scholis coenobio attiguis) e clausura egredi possent, licentia S. Congregationis exigeretur. Elapso tempore praefinito, monialis ad suum coenobium redire deberet. Attamen in mora ad peccatum mortale constituendum, si ageretur de loco a proprio monasterio valde dissito, una vel altera dies vix sufficeret. Cf. Ferraris (v. *Moniales III 35*).

III. Peccatum mortale et excommunicatio R. P. reservata adesset quoque, *si aliqua persona (etsi impubes vel foemina) ingrederetur,* aut introduceretur, aut ingredi sponte permitteretur. Casus excepti sunt sequentes.

1°) Si ingressus foret necessarius confessario pro sacramentorum administratione, vel animae commendatione.

Tunc sacerdos recta via ire et redire deberet, neque ultra necessitatem (vel discretam urbanitatem) moram trahere, neque cibum intra coenobium sumere posset. Si tamen mora brevis esset (v. g. non ultra quadrantem) mortalis non foret.

2°) Si ingressus exigeretur quoad medicos ad curandas aegrotas.

3°) Si exigeretur propter alias monasterii necessitates; unde operarii, baiuli, olitores etc. ingredi possunt. Attamen satagendum ut noctu infra coenobium nemo remaneat, excepto confessario et medico, durante necessitate. In quovis casu licentia Episcopi (qui tamen abbatissam vel confessarium delegare potest) semper exigeretur.

An intra clausuram recipere infantem leve sit; et an liceat recipere monialem diversi monasterii, ab illo legitime egressam; de his disputatum est; sed, infantem introducendo, hodie forte excommunicatio quidem, non vero peccatum mortale effugi poterit. Cf. dictum Comment. Rom. (*pag. 745*) et Lehmkuhl (*II 955*) qui tenet excommunicationem quoque incurri.

4°) Si (apud nos) ad maiora mala evitanda, gubernii ministri introducantur.

Illi tamen (per se loquendo) Episcopi licentia se munire deberent; et si tempus non suppeteret, videndum esset an Ecclesia contra ipsos personaliter (ut plurimum coactos) censeri debeat invita nec ne. Vide S. Lig. (*VII 225*) et D'Annib. (*III 595*).

N. B. Episcopi poterunt quidem clausuram ingredi, sed solum « si id faciant in casibus necessariis, et a pau-« cis iisque senioribus ac religiosis personis comitati ». Gregorius XIII (Const. *Dubiis*). Cf. Comment. Rom. *pag. 711 et 733*).

Circa magistros musicae, S. C. EE. et RR. (*18 Aug. 1843*) dixit: « Sanctitas Domini Nostri nolens quod in monasteriis monialium viri do-« ceant musicam, cantum, sonum, neque moniales neque saeculares mo-« rantes in clausura, neque ad crates, neque ad ianuam, et multo magis « cum ingressu in monasterium, praecepit etc. » (apud Bucceroni *Enchir. n. 193*) De statibus particularibus.

692. *Quid de simplici collocutione cum monialibus aut educandis ad rotas, parlatoria etc. absque violatione clausurae?* R. Id quoque iure communi, si frequenter atque sine manifesta et rationabili causa fiat, graviter vetatur. Imo fere ubique locorum adsunt leges dioecesanae adhuc strictiores, quae vetant ne quisquam, etsi de

unica vice ageretur, absque Ordinarii licentia (exceptis consanguineis) cum monialibus loquatur.

Hoc vetitum directe quidem exteros, sed indirecte moniales quoque respicit.

Quoad Regulares autem vetitum istud ipso iure communi rigidius est.

Parvitas tamen materiae ex brevitate temporis atque qualitate collocutionis semper dabitur. Cf. S. Lig. (*VII 232-238*).

693. *Quid si circa leges clausuram respicientes consuetudines in contrarium adessent?*

Dicit Reiffenstuel (*III.* xxxv *66*), quod in tota hac materia de monialium clausura, antiquae (saltem decennales) consuetudines iuris rigorem huc illuc imminuere possunt; unde in multis monasteriis collocutio cum monialibus (ex fine honesto et rationabili de causa), maxime cum Abbatissis aut monialibus rotae communi aut sacristiae addictis, facile permittitur. Imo alicubi ad ipsum ingressum in monasterium ultra strictos iuris limites in quibusdam casibus consuetudo extenditur.

Sed de facto consuetudo eritne semper legitima; an vero agetur de abusu et corruptela? Equidem si causae iustae (propter novas circumstantias) consuetudinem (in aliquo casu) redderent rationabilem, pro consuetudinis ipsius legitimitate stari poterit; sed ut plurimum de corruptela omnino reprobanda res erit. Exemplum habes in collocutionibus inutilibus vel nimis protractis nimisve frequentibus; vel in nimis facili ingressu confessarii vel etiam Episcopi; vel in consuetudine qua Episcopi concedere soleant licentiam ingrediendi clausuram levibus de causis. Profecto res huiusmodi non solum religiosis communitatibus nocent quaquaversus, sed etiam admirationes et dicteria in saecularibus facile provocant; unde ipsa lex naturalis in contrarium clamat.

Quod reapse non omnes consuetudines tamquam legitimae (quamvis Episcopi licentia adesset) considerari debeant, patet ex decreto mox supra citato *n. 691 II.*

ARTICULUS VI.

De voto paupertatis.

694. *An religiosus, vi huius voti, reddatur incapax cuiuslibet dominii et iuris circa bona fortunae; nunquam procedere possit ad modum domini vel ius habentis; et, vivendo cum continua dependentia, de nihilo disponere possit sine licentia? Quomodo debeat esse haec licentia? Quid de religioso quoad bona ab extraneis recipienda? Quid de rebus monasterii recipiendis pro se? Quid de rebus monasterii quae dentur aliis? Quid de Praelatis quoad bona monasterii? Circa votum paupertatis, quid de religiosis qui a lege civili considerentur ut suppressi? Quid de saecularizatis ex indulto Apostolico? Quid de promotis ad Episcopatum? Quid de habentibus beneficium parochiale? Quid de religiosis votorum simplicium quoad votum paupertatis?* Resp: De his aliisque similibus quaestionibus vide dicta *Vol. praec.* (*n. 223-233*).

695. *An religiosus non solum opere sed etiam corde contra paupertatis votum peccare possit?* Affirmative; idque contingeret si ea quae de facto acquirere nequit, habere (votum suum violando) voluntarie desideraret.

Si autem voti facti eum poeniteret; aut taedio afficeretur quia hoc vel illud sibi deest; aut quae non habet exoptaret; aut quae tenet apud se adeo cordi haberet ut, si Praelatus ea auferret, tristitia afficeretur; in his casibus, si nihilominus constantem haberet voluntatem nihil absque licentia accipiendi et retinendi, aut non peccaret aut certe non graviter. Cf. Ballerini (*ad n. 154 not. b*) et Suarez (*L.* VIII, VI *21 et* X *3*).

696. *Circa votum paupertatis estne aliquid speciatim notandum, si religio ne in communi quidem possidere posset?* Notandum quod tunc paupertas rigidior sub obligatione cadit; quatenus 1° Illi, ad quos spectat, mendicare debent. 2° Religiosi in victu, vestitu, aliisque vitae commodis multo maiorem parsimoniam observare tenentur. Attamen S. C. Episc. et Regular. (*mense Iunii 1863*) ad quaesitum: « An liceat Franciscanis uti in eorum itine« ribus *viis ferreis?* ». Respondit: « Affirmative ex ra« tionabili causa de licentia superioris, prout in rhedarum « usu, salvo quoad locum spiritu humilitatis ».

697. *Quid de gradu culpae in violatione voti paupertatis?* Determinare quando violatio huius voti ad mortale peccatum pertingat, et quando non, in theoria difficile est. Considerando hanc violationem quatenus est praecise contra solum votum et virtutem religionis (quatenus nempe homo in Dei honorem maiusque virtutis exercitium iure ad bona fortunae se privavit) materia gravis mensuranda erit sicut taxaretur in voto erogandi res temporales in cultum Dei seu in usus pios.

Suarez (*De Relig. VIII.* VI *10*) censuit reponendam esse in valore quatuor argenteorum, qui valor hodie (propter pecuniae valoris decrementum) duplicari, seu *quatuor vel quinque francis* aequiparari potest. Religiosus itaque austero paupertatis voto obstrictus, si rem aliquam quatuor vel quinque francorum valorem habentem, cum intentione diu apud se retinendi et ad libitum prorsus de ea disponendi, clam servaret, iam in statu peccati mortalis esset; idque verum esset quamvis de re ab extraneis non monasterio sed ei soli data ageretur.

Si tamen paupertatis non austerae sed mitigatae votum emissum fuisset, tunc quantitas paullo maior ad mortaliter peccandum exigi videretur.

Dixi *cum intentione diu apud se retinendi etc.*; si enim rem illam, ab extraneis ut supra acceptam, non diu in futuros eventus retinere, sed cito alicui in donum aut eleemosynam dare vellet, tunc etiam maior (imo valde maior) quantitas exigeretur.

Sed non solum votum in se praecise spectatum, bene vero etiam aliae circumstantiae ad materiam gravem seu peccatum mortale constituendum concurrere possunt. Huiusmodi sunt 1° *Grave damnum communitatis;* quod intervenire posset quamvis forte religiosus pauperrimus remaneret, ut puta, si vestem, quae pro toto anno sufficere deberet, paucis mensibus consumeret; si res veteres furaretur, cogendo sic monasterium ad novas emendas: si vinum exquisitum et pretiosum clam biberet; maxime vero si pecuniam aut alia bona Communitatis extraneis traderet. 2° *Scandalum*, prout contingit in iis, qui circa victum, vestitum, habitationem etc. propriis commodis plus aequo

indulgere volentes, sunt in causa cur regularis observantia relaxetur, et forsan apud saeculares quoque ipsa religio minus existimetur. 3° *Finis perversus,* ut puta, si quis, rem aliquam (forte etiam leviusculam) furaretur, ut ad pravum finem munusculum traderet.

Summatim itaque concludi debet quod, si religiosus neque rem notabilis valoris ad modum absoluti proprietarii diu apud se retinere vellet, neque grave damnum monasterio inferret, neque scandalum grave provocaret, neque finem graviter perversum haberet; tunc culpam esse levem decernendum esset.

Bona quoque est regula quam dat Lugo (*De Iust. III 172*) inquiens: Inspice *an Praelatus sit graviter an vero leviter invitus.* Leviter autem invitus erit, v. g. si religiosus aliquid cibi vel potus pro se clanculum sumat; si expendat in talem vel talem usum id quod habebat licentiam expendendi alio modo; si det aliis domesticis sine licentia id quod ex licentia ipse habebat; si ab extraneis accipiat aliquid in commune ponendum, aut adhibendum pro re quam, iuxta similem valorem et in simili quantitate, a monasterio accepturus esset; si cum securitate restitutionis aliquid mutuet aut commodet; si nonnihil ultra licentiam ludo exponat; si denique sine licentia usurpet sibi aliqua ex vestibus, libris vel utensilibus communibus, quae si petiisset data illi fuissent. In his itaque et similibus casibus peccatum quidem adesse poterit, sed leve. Levia tamen, si frequenter fierent, interdum gravia evaderent; sed ut plurimum, non obstante frequentia, iugiter ut levia ab ipsis quoque Praelatis considerantur, leviterque puniuntur. Cf. Lugo (*l. c. 181*).

ARTICULUS VII.

De religiosis quoad electionem confessarii.

698. Aliud dicendum est de religiosis, et aliud de monialibus. Religiosi confiteri debent apud sacerdotes proprii ordinis a superiore designatos, ita ut ab aliis quibuslibet sive intra sive extra domum nec licite *nec valide* absolvi absque superioris licentia possint.

Excipe 1° *tempus iubilaei*, quatenus tunc Pontifex (prout subinde contingit) eis concesserit ut apud quemlibet confessarium confiteri valeant. Excipe 2° si religiosi *in monasterio sint pauci;* tunc enim regulae permittere solent ut apud sacerdotes saeculares ab Episcopo approbatos confessionem facere possint. Excipe 3° si sint *in itinere,* atque socium idoneum secum non habeant; tunc enim pariter confiteri possunt apud quemlibet sacerdotem ab Episcopo approbatum. Vide *Monitore* (*VII*, 1 *pag. 63*).

Idem dic si sacerdotes in monasterio forent quidem in numero sufficienti, sed fortuito casu omnes aliquo die abessent neque essent redituri nisi saltem post unum diem, et alioquin Religioso grave foret toto illo tempore sine absolutione remanere. S. Poenitentiaria *14 Maii 1002* (apud *Monitore XIV 435*).

699. Sedulo etiam notari debet quod superiores communitatis *regulariter* nequeunt *licite* excipere confessiones subditorum; hoc enim a S. C. S. Officii (*5 Iulii 1899*) districte prohibetur Romae, et ex ipsa rei natura (scilicet ob pessimas consequentias exinde derivantes) ubique locorum interdicitur. Ea verba Decreti.

« Huic Supremae S. R. et U. Inquisitioni relatum est quod in hac « Alma Urbe nonnulli religiosarum communitatum, necnon seminariorum « et collegiorum superiores, suorum alumnorum in eadem domo degentium « sacramentales excipiant confessiones. Ex quo quanta incommoda, imo « quot gravia mala oriri possint, nemo qui in sacris ministeriis vel « mediocriter sit versatus, pro comperto non habet. Ex una enim parte « minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque confessionis in- « tegritas periclitatur; ex alia vero superiores minus liberi esse possent « in regimine communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in « confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos, « quorum confessiones excipiunt.

« Quapropter ut hisce aliisque malis, quae ex huiusmodi abusu facile « oriri queunt, occurratur, Suprema haec S. Officii Congregatio, de ex- « presso Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII mandato, districte prohibet « ne ullus cuiusquam religiosae communitatis aut seminarii aut collegii « Superior, sive maior sive minor, in hac Alma Urbe (excepto aliquo raro « necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur) suorum alumnorum « in eadem domo manentium sacramentales confessiones audire ullo pacto « audeat ».

700. Dixi *regulariter*, excipiendi enim sunt tres casus; nempe 1° si confessio apud superiorem (v. g. magistrum novitiorum quoad novitios ipsos) praeciperetur ab ipsis

ordinis constitutionibus apostolicis; 2° si ageretur de casibus reservatis; 3° si subditus ipse sponte ac proprio motu audiri in confessione peteret. Decretum S. C. S. O. *23 August. 1999* (apud *Monitore XI 289*).

ARTICULUS VIII.

De monialibus in monasterio degentibus quoad confessarium.

701. I. Loquendo hic prius de monialibus veri nominis nempe votorum solemnium, notissimum est quod, quando sunt in monasterio, nec licite nec valide confiteri possunt nisi apud confessarium qui pro monialibus approbatus fuerit, et quidem ita ut non sufficeret si pro alio monasterio approbatus fuisset. Excipitur tamen articulus mortis (qua de re vide Ballerini *Op. Th. Vol. V. n. 644*).

II. Pro monialibus autem confessarius potest esse ordinarius, extraordinarius et extraordinariissimus.

PUNCTUM I.

De confessario ordinario.

702. I. Confessarii monialium nequeunt esse vicarii generales, aut (pro monialibus episcoporum iurisdictioni subiectis) sacerdotes regulares; et nequidem canonici poenitentiarii; aut parochi (nisi forte absque curae detrimento utrique officio satisfacere possent). Quoad moniales subiectas Regularibus, oportet ut confessarii nedum ab illarum Praelato sed etiam ab Episcopo approbati fuerint. Cf. Ferraris (v. *Moniales A. V. n. 7-31*). Utcumque debent esse provectioris aetatis; quae in 40 annis communiter reponitur, etsi concedatur quod anni 35 vel etiam 30 sufficere possint, stante necessitate vel supplentibus dotibus prorsus particularibus. Vide Piat (*P. V. c. II. Appendix*).

II. Confessarii ordinarii durant in officio ad triennium; nec sine dispensatione S. Sedis confirmari possunt ad secundum triennium, et multo minus ad tertium.

703. Ad computandam triennium non consideratur tempus in quo forte prius pro supplemento (nempe vice ordinarii v. g. infirmi, absentis etc.) prius fuisset. Cf. Lucidi (*II 149*).

Aliquando S. Sedes concedit Episcopis facultatem confirmandi confessarium, ita tamen ut pro secundo triennio consensus (per suffragia secreta) saltem duarum ex tribus partibus monialium capitulariter congregatarum, accedat, et pro tertio omnium (nulla prorsus excepta) monialium consensus exigatur. (Cf. Scavini *III 394. 6* et *not. 2*).

Consuetudo autem ut confessarius duret in officio ad beneplacitum Episcopi ultra triennium (sine speciali S. Sedis concessione) corruptela esset, cui S. C. Epp. et RR. pluries et fortiter obstitit, et declaravit servari non posse.

Si tamen cum licentia Episcopi in officio continuaret, hoc esset quidem illicitum (nisi necessitas excusaret et tempus recurrendi ad S. Sedem non suppeteret), sed absolutiones essent validae. (Cf. *Monitore VII.* II *39*).

Confessario debetur retributio congrua, sed non ita ut apud moniales ipsas habeat victum, utensilia, et lineam supellectilem. S. C. Epp. et RR. *19 Ian. 1601* apud Lucidi *C. V. n. 140.*

Finito triennio, nedum non debet amplius accedere ad monasterium pro audiendis confessionibus, sed etiam districte ei prohibetur ne epistolarum relationem cum aliqua moniali habeat; idque ad confessarios etiam extraordinarios extenditur. S. C. Epp. et RR. *12 Dec. 1708.*

PUNCTUM II.

De confessario extraordinario.

704. Iam notissimum est quod Episcopi saltem bis in anno confessarium extraordinarium mittere debent ad moniales; quae omnes (nulla prorsus excepta) ad illum accedere teneatur, et, si aliqua nollet confiteri, salutaria monita audire debebit.

Qui fuit confessarius ordinarius, solum post triennium, extraordinarius in illo ipso monasterio (seclusa speciali gravique necessitate) deputari poterit. Videndum etiam ne a brevi tempore confessarii vices gessisset.

Oportet quidem ut etiam extraordinarius sit aetate gravis et speciali prudentia gaudeat etc.; sed quoad illum exclusiones quae relate ad ordinarium supra recensitae fuerunt, locum non habent.

PUNCTUM III.

De confessariis adiunctis seu extraordinariissimis.

705. Hi locum habent quando aliqua monialis vult confiteri apud aliquem, ita ut nec de praesenti ordinario, nec de futuro extraordinario sit contenta, sed hic et nunc alium exposcat.

Huic casui providit Benedictus XIV in bulla *Pasto-*

ralis curae, et postea S. C. EE. et RR. in celebri decreto *Quemadmodum* (*17 Dec. 1890*).

706. *Quid de provisione Benedicti XIV?*

Praemisso quod loquebatur « de peculiaribus quibusdam monialibus, « quae nec corpore infirmae, nec morti proximae, ordinario tamen mini- « stro confiteri obfirmate recusant », subiunxit : « Istarum quoque animi « debilitas commiseranda est, et sublevanda ; adeoque ubi earum relu- « ctantia superari nequcat, confessarius extra ordinem deputandus est qui « earum confessiones peculialiter excipiat ».

« Neque sane huiusmodi postulationes aut temere exaudiri aut sine « causa reiici debere censemus ; sed inquirendum in primis esse de qualitati- « bus tum monialis, quae confessarium extra ordinem petit, tum confessa- « rii, qui ab ea requiritur, ut utriusque qualitatibus diligenter inspectis « deliberari possit, an illius votis annuendum sit an non ». Et post pauca monet maxime esse cavendum ne monialis illum peteret *ex animi levitate*, vel *ex indiscreta affectionis singularitate*.

707. *Quid de provisione decreti*: Quemadmodum, *utique expeditiori et nunc adhibenda?* Episcopus designare debet quosdam sacerdotes, quorum unum pro libitu suo quaelibet monialis, confessario extraordinariissimo indigens, advocare potest.

En verba decreti : « Firmo remanente, quoad confessarios ordinarios « et extraordinarios, quod a Sacrosancto Conc. Trid. praescribitur... et a « Benedicto XIV statuitur in Const. *Pastoralis curae;* Sanctitas sua Prae- « sules superioresque admonet, ne extraordinarium denegent subditis con- « fessarium, quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adi- « gantur, quin iidem superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, « aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio « fiat, Ordinarios hortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus « mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instru- « ctos designent, ad quos pro sacramento poenitentiae recurrere eae facile « queant ». Apud *Monitore* (*VII.* 1 *6*).

708. *Quid si moniales decreto isto abuterentur?* Hoc in puncto eadem S. C. EE. et RR. (*die 1 Febr. 1892*) sequentes edidit declarationes.

I. Ad quaesitum : « Si quaedam (imo, quod peius est, maior pars « illarum) constanter ad aliquem e confessariis adiunctis (nempe extraor- « nariissimis) recurrant, debetne Episcopus silere ; vel potius intervenire, « aliquo modo procurando ut salva sit sancita Bullae *Pastoralis* maxima : « *Generaliter statutum esse dignoscitur ut pro singulis monialium mona-* « *steriis unus dumtaxat confessarius deputetur?* Respondit : Negative ad « primam partem ; affirmative ad secundam ».

II. « Moneat Ordinarius moniales et sorores de quibus agitur, dispo- « sitionem Decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi con- « stituere pro casibus dumtaxat *verae et absolutae necessitatis,* quoties « ad id adigantur ».

III. Ad quaesitum : « Confessarii adiuncti si quando cognoscant non esse « probabilem causam ad ipsos recurrendi, an *teneantur in conscientia* ad de- « clinandam confessionum sororum auditionem? » Resp. : « Affirmative ».

Hoc tamen ultimum intellige si ex una parte de re ista sint certi, et ex alia sic se gerere possint salvo sigillo. Cf. *Monit.* (*Vol. III.* II *260. 261*).

PUNCTUM IV.

De confessario quoad moniales veri nominis, quae casu aliquo extra monasterium legitime versentur.

709. Hae possunt apud quemcumque confessarium valide et licite confiteri.

Enimvero ad quaesitum : « Quandoque evenit, ut moniales, vel sanitatis causa, vel ex alio motivo, licentiam exeundi ad breve tempus obtineant, habitu retento. Quaeritur an in huiusmodi circumstantiis confiteri possint confessariis approbatis ab Ordinario pro utroque sexu, quamvis non sint approbati pro monialibus? SS.mus, in audientia habita die 27 *Augusti 1852*, mondavit rescribi : Affirmative, durante mora extra monasterium ». Apud Piat (*P. 5. C. 2. 9. 9 not. 4*), qui plures adducit decisiones S. C. Epp. et RR. tam pro casu in quo moniales habeant vota solemnia, quam pro casu in quo habeant sola vota simplicia; etsi circa has postremas quaedam sint notanda ut infra.

PUNCTUM V.

De confessario quoad illas moniales aut piarum congregationum sorores, quae sola vota simplicia habent.

710. Iam vidimus (*n. 691*) quod in multis locis, ubi non ita pridem moniales emittebant vota solemnia et clausurae papali subiiciebantur, hodie, propter mutationem monasterii et circumstantiarum, vota solum simplicia emittunt, et clausuram tantummodo episcopalem habent.

Aliae plurimae pertinent ad pias congregationes, quarum nunc magna est multitudo. Hae dicuntur *sorores*, et simul vivunt; sed modis, speciatim ratione sive clausurae sive numeri, diversis.

Ratione *clausurae ;* aliae illam habent (etsi ordinarie solum episcopalem), et aliae non.

Ratione *numeri ;* aliae, quamvis sint sine clausura, veras satisque magnas efformant communitates, et proprium conventum, in eoque sacellum habent. Aliae e contra in numero exiguo (dum v. g. sunt solum tres vel quatuor) in parvis (uti aiunt) stationibus huc illuc (v. g. in hospitalibus, orphanotrophiis, scholis etc.) sive in civitatibus,

sive etiam in villis vel paroeciis ruralibus, morantur, et subinde ubi degunt nequidem proprium sacellum habent, unde solum in ecclesia parochiali sacramenta recipere possunt.

711. *Quid itaque de necessitate specialis approbationis in confessario quoad moniales et sorores istas?*

I. Regula generalis est quod confessarii ordinarii, extraordinarii atque extraordinariissimi, illis quoque (sicut etiam mulieribus saecularibus quae in locis piis vivunt) dentur. Patet tum ex praxi communissima, tum (quoad confessarios extraordinarios) ex Benedicto XIV (Const. *Pastoralis curae*), tum denique (quoad confessarios extraordinariissimos) ex decreto *Quemadmodum.*

II. Attamen haec regula nec praecise nec eodem rigore applicatur, sicut (vi Concilii Tridentini) monialibus votorum solemnium applicari debet; sed moderationes et exceptiones relictae fuerunt arbitrio atque prudentiae Episcoporum; idque patet tum quia Episcopi in casu a Benedicto XIV (Const. *Pastoralis curae*) non obligantur sed solum exhortantur, tum quia sic practice res ista semper intellecta fuit. Vide Gousset (*II, 480*), Bouvier (*De Poenit. C. VIII. A.* II. § V), Gury (*II. 568*) etc.

III. Veniendo autem ad particularia, notandum imprimis quod necessitas confitendi apud confessarium specialiter approbatum habet exceptionem quoad casum in quo sorores essent in locis ubi triennalis confessarii mutatio, et provisio extraordinariorum (singulis annis) impossibilis foret.

Hoc patet ex ipsa rei natura, et ex sequenti decreto. Expositum fuit quaesitum: « In multis paroeciis, praesertim ruralibus, adsunt duae vel « tres et vix quatuor praedictarum congregationum sorores, puellarum « educationi inservientes, communiter sed extra clausuram degentes: non « habent sacellum privatum; sed ecclesiam parochialem, sicut caeteri, « frequentant: ibidem missae et caeteris officiis adsistentes et sacramenta « tum poenitentiae tum eucharistiae recipientes: illae insuper sorores « saepius de parochia in aliam transeunt, secundum superiorissae gene- « ralis voluntatem. Porro num in his circumstantiis applicanda sit iuris « dispositio circa triennalem confessariorum mutationem, praesertim cum « in hisce paroeciis unicus tantum adsit prespyter, nempe parochus? » Ad quaesitum istud S. C. EE. et RR. (*22 Apr. 1872* apud *Monitore III.* II *140*) respondit: « Sorores, de quibus agitur, posse peragere extra piam « propriam domum sacramentalem confessionem penes quemcumque confes- « sarium ab Ordinario approbatum ».

IV. Differentia est insuper quia, etsi regulariter confessarii mutarentur et extraordinarii darentur, confessio apud alium peracta non semper esset invalida; hoc enim pendet a legibus canonicis, quatenus parochi sine auctoritate apostolica non possent excludi, qua de re vide *Theologiam Pastoralem n. 835*. Pendet 2° ab intentione Episcoporum, qui possunt designare confesssarium, sive pro valido, sive tantum pro licito vel etiam ex solo fine commodum communitati praestandi.

Quaenam autem Episcoporum intentio sit de facto, variis modis cognosci poterit. Sic. v. g. 1° Communiter reputatur quod Episcopi (consequenter mox dictis) non intendant excludere parochos, ut dicunt Gousset, Génicot etc. 2° In pluribus dioecesibus litterae approbationis pro audiendis christifidelium confessionibus aiunt: *exceptis monialibus:* et (in casu) hoc nomine intelliguntur, atque adeo exceptae censentur pro valido, etiam illae, quae olim vota solemnia emittebant et clausurae papali subiicebantur, quamvis hodie (ut supra dicebam *n. 710*) vota simplicia tantummodo emittant et clausuram solum episcopalem habeant. Gury (*II. 568*). 3° Loquendo autem de sororibus piarum congregationum quae clausurae non subiiciuntur, alicubi Episcopi declarant quod, seclusa speciali approbatione, confessiones sunt invalidae si audiantur in monasterio; et e contra, si audiantur extra monasterium, semper sunt validae, etsi possint esse illicitae propter regulas et constitutiones congregationis proprias. Génicot (*II. 340 not. 1*). 4° Si denique in dioecesi Episcopi soleant quidem mittere confessarios ordinarios atque extraordinarios ad sorores istas aut ad alias mulierum communitates, sed nunquam significaverint, iurisdictionem quoad illas aliis confessariis fuisse sublatam, tunc de confessionum et absolutionum invaliditate non constabit.

Hinc E.mus Card. Gennari (*Consultazioni Vol. I Cons. C. XXI 7*) dicit: « La Chiesa non può non approvare che una suora non soggetta a « clausura, quand'anche abbia in casa il confessore ordinario, trovandosi « fuori di casa, possa confessarsi per qualche bisogno con qualunque sa« cerdote confessore *utriusque sexus* ». Imo *Monitore* (*Vol. VII.* II *38*) dicit confessionem esse validam etiam si in pia domo et in consueto confessionali apud alium confiteretur, etsi tunc illicite se gerere posset. En

sua verba: « Una suora di voti semplici, che chiami al confessionale del « proprio oratorio un confessore estraneo, senza il permesso del Vescovo, « sarà validamente assoluta? Peccherà contro la disciplina, ma si confes- « serà validamente, purchè il Vescovo nella facoltà generale data ai con- « fessori non abbia escluse le donne dimoranti nei conservatorii e nelle « altre communità ». Interdum enim in ordinariis approbationis litteris dicitur non solum: *exclusis monialibus*, sed etiam: *exclusis mulieribus in communitate degentibus*. Si autem exclusio ista non adsit, etiam Pellizzari (*De Monialibus C. X. n. 167*) circa puellas quae sunt in educandatu dicit: « Videri probabile omnes illas posse valide confiteri cuicumque sacerdoti « approbato generaliter ad audiendas confessiones in dioecesi... Moreor quia « Gregorius XV, dum requirit specialem approbationem ad audiendas « monialium confessiones, loquitur expresse de monialibus tantum ». Omnes autem norunt quod in materia iurisdictionis, pro valido sufficit probabilitas, quia in opinionum probabilitate supplet Ecclesia.

ARTICULUS IX.

De manifestatione conscientiae non exigenda.

712. *Quid de* ***manifestatione conscientiae,*** *quae ex regula et consuetudine religionis, superiori, vel superiorissae, vel cuilibet alii praeter confessarium, fieri deberet?* S. C. EE. et RR. *(Decr. cit. Quemadmodum)* decernit sequentia.

I. In posterum manifestatio huiusmodi *libera omnino remaneat;* consuetudines autem et regulas illam exigentes, etsi Sedis Apostolicae approbationem obtinuerint, prorsus annullat.

II. Districte *prohibet superioribus ac superiorissis,* cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint, ne personas sibi subditas *inducere* pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis, ut huiusmodi conscientiae manifestationem faciant.

III. E converso *subditis praecipit,* ut superioribus maioribus *denuncient* superiores minores qui eos ad id inducere audeant: et, si agatur de moderatore vel moderatrice generali, denuntiatio ipsi S. Congregationi fieri debeat.

713. *Decretum istud valetne solum pro monialibus votorum solemnium?* Valet generalissime, nempe quoad congregationes, societates aut instituta sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione quoque ac regimine penitus laicorum, in quibus

scilicet non adsunt sodales sacerdotes, sed omnes sunt laici, ut contingit in illis qui dicuntur *Fratelli delle scuole cristiane*. Ita in eodem decreto. (Vide *Monitore Vol. XI pag. 225* et *XII pag. 508-514*).

ARTICULUS X.

De communione a superioribus vel superiorissis nec praecipienda nec prohibenda.

714. De re ista in eodem decreto *Quemadmodum* sic statuitur: « Quod vero attinet ad permissionem vel « prohibitionem ad sacram synaxim accedendi, eadem San- « ctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohi- « bitiones dumtaxat ad confessarium, ordinarium vel ex- « traordinarium spectare, quin superiores ullam habeant « auctoritatem hac in re sese ingerendi.

« Unicus excipitur casus, nempe si aliquis ex eorum « subditis post ultimam sacramentalem confessionem com- « munitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam « patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo « accesserit.

« Monentur omnes, ut ad sacram synaxim curent « diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis « regulis statutis, et quoties (ob fervorem et spiritualem « alicuius profectum) confessarius expedire iudicaverit ut « frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti « poterit.

« Verum qui licentiam a confessario obtinuerit fre- « quentioris ac etiam quotidianae communionis, de hoc « certiorem reddere superiorem teneatur; quod si hic « iustas gravesque causas se habere reputet contra fre- « quentiores huiusmodi communiones, eas confessario ma- « nifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino « erit ».

ARTICULUS XI.

De monialibus quaestuantibus.

715. *Moniales, quae extra monasterium ad eleemosynas quaerendas se conferunt, quasnam regulas observare debent?* Tenentur servare regulas expositas in decreto S. C. EE. et RR. (*27 Martii 1896*), quarum praecipuae sunt sequentes.

I. « Votorum simplicium sororibus non liceat eleemosynas quaerere sive intra dioecesim in qua ipsae resident, sive extra, sine licentia Ordinarii loci respectivae residentiae.... Licentia contineat litteras ad parochos aliasve prudentes personas vel commendatitias ad Ordinarios etc.

II. « Stipem quaesiturae extra dioecesim respectivae residentiae licentiam obtinere insuper debent ab Ordinario loci, in quo eleemosynam quaeritare desiderant.

« Quisque loci Ordinarius sorores ex aliena dioecesi advenientes ad eleemosynas colligendas non admittat, nisi prius eamdem licentiam proprii Ordinarii sibi exhibuerint.

III. « Superiorissae, praesertim extra locum ubi domum habent, nunquam ad eleemosynas quaerendas mittant sorores, nisi *binas, aetate et animo maturas,* intra dioecesim non ultra mensem, extra dioecesim *non ultra duos menses,* et semper ea pecuniae summa instructas, qua, inopinato quocumque casu cogente, possint statim domum redire.

IV. « Sorores quaeritantes semper et ubique ea qua decet modestia eniteant, virorum familiaritatem et sermones inutiles caveant; clamores, tabernas aliaque loca incongrua evitent; nec in domibus longiorem moram faciant, quam sit necessarium pro expectandis eleemosynis. Singulae nunquam incedant, neque ab invicem separentur, nisi necessitate impellente.

V. « Iter facientes, si commode fieri poterit, utantur via ferrea; sed, quantum possunt, de nocte neque ab uno loco discedant, neque ad alium perveniant.

VI. « De suo adventu futuro praemoneant illum, cui « dandae sunt Episcopi litterae; eique cum pervenerint « se sistant precesque adhibeant, ut intercedat pro inve- « nienda hospitalitate apud aliquod pium foeminarum in- « stitutum, vel saltem apud aliquam honestam mulierem; « nunquam vero in domo ubi possint in aliquod pericu- « lum offendere.

VII. « Matutinas ac vespertinas preces non omittant: « quotidie de mane aliquam ex vicinioribus ecclesiis petant, « ibique Sacro assistant: singulis hebdomadis poenitentiae « et eucharistiae sacramentis reficiantur.

VIII. « Ante solis ortum et post occasum eleemo- « synas per loca non quaeritent.

IX. « Elapso tempore ad quaeritandum eis praefixo, « sine ulla mora ad propriam superiorissam recto tramite « remigrent.

X. « Eleemosynas nunquam arroganter vel tamquam « debitas postulent, sed breviter et humiliter sua et pio- « rum operum exposita inopia, si quid sponte offertur « accipiant, secus patienter Divinae Providentiae confidant.

XI. « Alias normas opportunas, quae a propria supe- « riorissa dari poterunt, adamussim observent ». Apud *Monitore* (*Vol. XI.* II *29*).

ARTICULUS XII.

De Regularibus circa sacramentorum administrationem et verbi Dei praedicationem.

716. *Quid de Regularibus quoad administrationem* ***viatici et extremae unctionis*** *saecularibus?* Respond. Nec viaticum nec extremam unctionem saecularibus (sine licentia parochi) administrare possunt, nisi parochus abesset et casus urgeret. Contra praesumentes id facere adest excomm. Rom. Pontif. reservata.

717. *An Regulares possint administrare saecularibus* ***eucharistiam die paschatis?*** Eo die praecise talis administratio iisdem prohibetur pontificiis constitutionibus; idque intelligendum etsi christifideles non

ad satisfaciendum praecepto paschali sed ex mera devotione eucharistiam sumere vellent. Vide Ballerini apud Gury (*II 290*).

Si tamen alicubi talis lex hodie in viridi observantia non esset, consuetudo facile tolerari posset; imo tunc dicerem nihil mali esse si ex praesumpto Ecclesiae consensu iis quoque eucharistia distribueretur, qui praecepto paschali bona fide satisfacere intendunt, quatenus secus nullo modo satisfacturi essent.

718. *Quid circa verbi Dei* ***praedicationem?*** Nedum proprii superioris approbatio necessaria est, sed etiam Episcopi benedictio exigitur, qui non solum facultatem (quamvis de concionibus habendis in Regularium ecclesiis ageretur) denegare, sed etiam praedicatorem iam approbatum iustis de causis suspendere potest. Cf. S. Lig. (*I App. II 125-128*), et Reinfest. (*I.* XXXI *146*), maxime vero celebrem encyclicam S. C. EE. et RR. circa sacram praedicationem (*31 Iul. 1894*) apud *Monitore* (*VIII.* II *151*).

ARTICULUS XIII.

Notantur aliqua in particulari circa religiosos ad episcopatum promotos, vel dispersos, vel saecularizatos.

719. *Quid de religioso* ***ad episcopatum promoto?***

Remanet regularis; unde non solum ad vota, sed etiam ad illas regulas, quae in conscientia obligant, tenetur, si (prudenti eiusdem iudicio) cum episcopali officio compatibiles sint (Acta *I 465*); unde debet, v. g. habitum (quoad colorem) et insignia proprii ordinis deferre; obedientiam Romano Pontifici etiam vi voti praestare; et, si forte episcopatum resignaret, ad propria claustra redire.

Attamen officium non sui ordinis sed propriae dioecesis recitare tenetur.

Quoad paupertatem, vide supra dicta (*Vol. praec. n. 232* III).

720. *Quid de religiosis* ***dispersis?***

Casus est si, propter politicas perturbationes proximoque iam instante violentae expulsionis periculo, claustra relinquere coacti fuerint.

Hi remanent regulares, et proinde non solum vota, sed etiam propriae religionis regulas servare tenentur; attamen eo modo quo poterunt.

Superioribus propriis remanent subiecti; atque ad eorum nutum in aliis domibus simul coadunari debent; quo casu, *si non sint minus quam tres,* a iurisdictione Episcopi, apud nos, exempti remanent sicut prius. Si autem prorsus dispersi persistant, tunc (pro Italia) statutum est ut superioribus suis regularibus simul et Episcopo subiecti remaneant; fixum domicilium in aliqua dioecesi eligant; Ordinario (tamquam praelato immediato) obediant; neque, sine eius licentia *in scriptis* a proprio ordinis superiore confirmanda, alibi se conferant, ita ut itinera quoque, ex recreatione suscipienda, eisdem interdicantur.

Si proprio habitu uti nequeant, in veste clericali, aut (si clerici non sint) laicali modesti coloris incedere, atque sub illa signum propriae religionis adhibere tenentur.

Circa votum paupertatis in religiosis civiliter suppressis, vide dicta *Vol. praec.* (*a. 232* I).

721. *Quid de religiosis* ***saecularizatis in perpetuum*** *per indultum pontificium?* Regulares esse desinunt sed religiosi remanent; quatenus scilicet ad regulas (v. g. iciuniorum, precum etc.) non amplius teneantur; sed substantialia votorum propriae professionis cum novo statu compatibilia observare, nempe obedientiam Episcopo in omnibus (sicut prius Praelato) praestare, et castitatem nec non paupertatem servare debeant.

Nihilominus quoad paupertatem notanda sunt dicta (*l. c.* II).

722. *Quid si religiosus ad obtinendum saecularizationis indultum, motiva falsa exposuisset?* R. Si Religiosus sat bene se gerebat, et diabolica suggestione victus indultum saecularizationis praedicto modo postulasset, tunc certe indultum nihil valeret, et non solum procurare ut denuo in religione acceptetur, sed etiam, donec in saeculo maneat, tamquam regularis se gerere deberet. Si vero oportebat ut veluti membrum putridum a religionis corpore recideretur, tunc iudultum validum videtur; nedum enim Pontifex voluntatem indultum concedendi ita habuit ut, si etiam falsitatem cognovisset, illud concessisset, sed etiam praesumendum est quod ipsi superiores regulares (ut facilius venia obtineretur) veram causam Pontifici indicaverint. Videtur itaque quod tunc religiosus tamquam vere saecularizatus, regularis esse desinat, et sic ad regulas observandas non teneatur. Adde quod in casu sub specie saecularizationis expulsio locum haberet, et valde probabile est quod expulsi (secus est de profugis seu apostatis), quamvis ad vota, prout novus status permittit, ut explicat Bened. XIV (*De Syn. XIII.* IX 20) teneantur, tamen ad regulas non obligentur.

Caeterum saecularizatio hoc modo obtenta, iuxta mentem Pontificis, non debet censeri perpetua et absoluta; sed solum sub conditione: *nisi emendetur et aliquando revocetur.*

Certe religiosus ad bonos mores redire deberet; et, si quando religio illum revocatura esset, sua claustra (non secus ac de expulsis in iure statuitur) denuo ingredi teneretur. Cf. D'Annibale, De Varceno (*ll. cc.*) et Frassinetti (*I not. 10*).

ARTICULUS XIV.

De privilegiis Regularium.

723. Privilegia Regularium sunt praecipue sequentia.

I. *Exemptio a iurisdictione episcopali.* Excipe 1° Monasteria monialium Regularibus non subiectarum; imo et iisdem subiectarum quoad aliqua et speciatim circa clausuram et confessarios. 2° Si Regulares non sint simul conviventes in numero praescripto. Iure communi debent esse ad minus sex, quorum quatuor sint sacerdotes. In Italia post gubernii suppressionem sufficit si sint tres (in sensu explicato mox supra *n. 720*), quorum unus sit sacerdos. In missionibus exteris, etiam in Anglia, semper eximuntur. 3° Si Regulares parochi officium exerceant; tunc enim, quoad ea quae ad paroeciam pertinent, Episcopi iurisdictioni subiiciuntur. 4° Quoad confessiones saecularium; indigent enim approbatione Episcopi, qui (saltem si ad tempus illam concesserit) religiosos denuo ad examen vocare potest. 5° Quoad statuta dioecesana circa missae celebrationem, v. g. ne Regulares sinant ut sacerdotes advenae sine licentia Ordinarii celebrent. 6° Quoad processiones, ad quas vocati intervenire tenentur. 7° Quoad petitionem eleemosynae in ipsorum ecclesiis, quae (seclusa legitima consuetudine) ipsis interdicitur. 8° Quoad libros de rebus sacris typis mandandos. 9° Quoad observationem festorum quae in dioecesi sint de praecepto. 10° Quoad punitionem religiosi qui publicum scandalum fidelibus praebeat, si a propriis superioribus, instante Episcopo, non puniretur, aut alibi impunitus transmissus fuisset, dummodo tamen delictum extra claustra aut in monasterii ecclesia commissum fuisset. Cf. S. Lig. (*I App. II*) et Reiffenstuel (*I.* XXXI *119*).

II. *Nonnullae facultates circa sacramenta.*

1°) Regulares non indigent approbatione Ordinarii ut confessiones religiosorum eiusdem ordinis audiant, sed sufficit si a praelatis propriis approbati fuerint; unde quoad illos reservationi dioecesanae attendere non debent; et notandum quod non solum professi, sed etiam novitii et conversi, imo et famuli qui actu famulantur et quasi de familia ac perpetui

commensales intra claustra die noctuque commorantur, a iurisdictione Episcopi exempti sunt, et proinde sicut religiosi professi considerantur; unde etiam in monasterio communioni paschali satisfacere, et a religiosis viaticum atque extremam unctionem recipere possunt (Cf. Gury *II 176*); idque verum esse quamvis casu extra monasterium degerent, dicit D'Annibale (*III 304*).

2°) Generales, Provinciales et Abbates *quoad suos subditos* in iure Episcopis aequiparantur; unde illos a censuris, quae de iure Episcopis reservantur, ipsi quoque absolvere possunt. Si itaque religiosus, suadente diabolo, suum consodalem leviter (nempe citra mutilationem, contusionem aut magnam sanguinis effusionem) percussisset; vel post professionem matrimonium contrahere attentasset; vel abortum procurasset, effectu secuto; vel demum litteris apostolicis falsis scienter usus fuisset; in his, inquam casibus a proprio Abbate vel Provinciali absolvi posset.

Ante constitutionem *Apostolicae Sedis* idem dicendum erat de censuris Romano Pontifici reservatis (dummodo essent occultae et extra Bullam *Coenae*); sed privilegium istud per eandem const. *Apostolicae Sedis* fuit quidem relictum Episcopis, sed aliis quibuscumque prorsus ademptum; unde ad quaesitum: « An praelati regulares post const. *Apostolicae Sedis* « iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, idest possint necne suos sub- « ditos absolvere a casibus papalibus in dicta constitutione simpliciter « reservatis? » S. Poenitentiaria (*5 Dec. 1873*) respondit: « Negative, « salvis illis facultatibus quae promanant ex rescriptis particularibus ad « tempus concessis ».

III. *Nonnulla alia privilegia circa dispensationes.* Generales et Provinciales, quum, ut dixi, circa suos subditos Episcopi locum teneant, plures licentias, v. g. circa ieiunia et abstinentias, atque horas canonicas iusta de causa eis concedere queunt. Eos quoque dispensare possunt a iuramentis et votis Pontifici non reservatis, necnon ab irregularitate sive ex delicto occulto (excepto homicidio voluntario), sive aliter (pluribus in casibus) proveniente. (Cf. S. Lig. *I App. II n. 104. 105*).

Mendicantes officium confessarii exercentes, si specialem a propriis superioribus licentiam habeant, dispensationem *christifidelibus* concedere possunt circa iuramenta et vota Pontifici non reservata; imo et circa votum castitatis quoad coniugatos, nec non quoad sponsos in casu necessitatis, et denique ab irregularitatibus ex delicto occulto etc. S. Lig. (*Append. cit. n. 104. 108. 109*).

IV. *Privilegium circa horam missae celebrandae.* Possunt nempe celebrare in ecclesia propria una hora ante auroram; et (cum causa) usque ad tertiam horam post meridiem. S. Lig. (*l. c. n. 127*).

ARTICULUS XV.

Notantur summatim differentiae inter ordines religiosos veri nominis et congregationes votorum simplicium.

724. Votum potest esse privatum et publicum. Publicum (seu emissum in faciem Ecclesiae) potest esse solemne et simplex. Quod autem tamquam solemne vel simplex haberi debeat, non iam a ritus diversitate, sed solum a voluntate et lege Ecclesiae pendet; quae etiam efficere potest ut votum quod fuit solemne evadat simplex, et viceversa quod votum simplex (dummodo sit perpetuum et absolutum) evadat solemne, et quidem ita ut consensus voventis aut nova professio minime exigatur (De Angelis *III.* xxxi *4 Tom. II*). Dixi *dummodo sit perpetuum et absolutum;* interdum enim vota simplicia sunt temporanea, vel conditionata, v. g. *donec in congregatione remansero*, et tunc profecto solemnia sine nova professione evadere nequeunt.

725. Differentiae praecipuae inter vota solemnia et simplicia sunt sequentes.

I. *Votum castitatis*, si sit solemne, dirimit matrimonium contrahendum et solvit matrimonium ratum non consummatum; secus si sit simplex; tunc enim non solvit matrimonium ratum, neque (excepto voto simplici Iesuitarum, quamdiu durat) dirimit contrahendum.

II. *Votum paupertatis*, si sit solemne, privat dominio radicaliter ita ut, cessante quovis dominio anteriori, religiosus fiat inhabilis ad quascumque res sibi in futurum valide acquirendas; si vero sit simplex, privat dominio et actibus dominii solum quoad licitum, non vero quoad validum: adde quod votum simplex paupertatis saepe subiicitur restrictionibus; unde, v. g. voventes rebus suis non se spoliant, sed earum dominium licite retinere posse intendunt, quamvis quoad dominii exercitium a propriis superioribus plus vel minus dependere debeant.

III. *Votum obedientiae*, si sit solemne, efficit ut superior quaslibet promissiones sive Deo (per votum) sive

hominibus a subdito factas irritare possit: si vero sit simplex, tunc illicite quidem procedet subditus promittendo aut vovendo sine licentia, sed superior promissiones factas reddere invalidas minime poterit. Cf. Suarez (*VIII.* v *2-3*) et *Monitore* (*V.* I *114. 188-190*).

IV. *Clausura*, si vota monialium sint solemnia, est papalis et proinde severa admodum sub poena excommunicationis (ut dixi); si vero sint simplicia, tunc aliquando nullatenus clausura adest; sed ordinarie adest clausura episcopalis; et haec quoque obligat sub gravi (non tamen sub excommunicatione, nisi Episcopus hanc quoque poenam adiecerit). Quamvis autem Episcopus a tali clausura dispensare possit, tamen (ne magna sequantur incommoda) causa iusta semper exigitur. Vide Lucidi (*II.* v *§ 2*).

V. De differentia quoad validitatem confessionis apud confessarium diversum a designato peractae, secundum quod moniales sint vel non sint claustrales, recole mox dicta (*n. 711*).

VI. Pariter circa obligationem recitandi officium divinum, recole differentiam adnotatam supra (*n. 688 II et n. 350 III*).

VII. Piae congregationes votorum simplicium (secluso speciali decreto vel consuetudine) privilegiis Regularium non gaudent. Hinc nequeunt v. g. confiteri apud consodalem ab Episcopo non approbatum: administrare communionem paschalem aut ultima sacramenta propriis familiaribus; dispensare a votis, irregularitatibus etc. A iurisdictione Episcoporum non sunt exempti, imo parochis (quoad iura stricte parochialia) subiecti remanent. Dixi *secluso speciali decreto vel consuetudine;* saepe enim piae congregationes sive virorum sive mulierum, ob decreta specialia (sive Pontificis sive Episcopi) aut consuetudinem iam legitimam, privilegiis et exemptionibus plus vel minus fruuntur. Cf. Gury (*n. 176*), Scavini (*I 508. 509*) et Berengo (*n. 39*).

VIII. Difficillimum quidem est quod a votis solemnibus Papa dispenset, sed, quoad vota in his congregationibus emissa, valde facilius dispensatio obtineri potest; idque quamvis de matrimonio contrahendo ageretur. Interdum

ipsi Episcopi dispensare possunt, nempe 1° Si speciale indultum apostolicum habeant. 2° Si congregatio non fuerit adhuc a S. Sede approbata, et dispensatio circa vota paupertatis et obedientiae, non vero circa votum castitatis *perpetuae*, versetur. Gury (*II 180*).

IX. Votum religionis, si non iam ordinem religiosum veri nominis, sed solam aliquam ex his congregationibus, pro obiecto habeat, non est reservatum. Cf. Gury (*II 180 q. 4°*).

X. Circa Religiosorum expulsionem, vide decretum *Auctis admodum* apud Acta (*Vol. XXV pag. 312*).

CAPUT IV.

DE RECTORIBUS ECCLESIARUM.

726. Plures istorum obligationes iam supra recensitae fuerunt, v. g. circa munditiem et nitorem ecclesiae (*n. 412*), circa sacras supellectiles (*n. 509*); circa Sacrorum rituum observantiam (*n. 533*); circa custodiam et renovationem SS.mi Sacramenti (*n. 500*); circa devotionem in sacris functionibus procurandam (*n. 584 et seqq.*); circa processiones (*n. 588*); circa missas adventitias diligenter notandas, et intra debitum tempus atque observando circumstantias requisitas celebrandas (*n. 543 et seq.*) etc.

727. *Praeter haec, rectores ecclesiarum ad quid tenentur?*

I. Legatis et oneribus omnibus sive missarum, sive suffragiorum, sive festorum etc. adamussim satisfaciant; atque in libris ad hoc destinatis satisfactiones adnotatas habeant. Onerum perpetuorum tabellam (quae hodie quoque sit accurata et veritati respondeat) in sacristia expositam teneant; et rationem adimplementi Episcopo reddant etc. Vide *Monitore* (*Vol. II 17*). Nihil dico de reductionibus ad triennium etc. ita utendum, ut non supersit periculum procedendi iuxta illas elapso etiam tempore concesso. De sanatoriis vide supra *n. 564*.

II. Horis fixis, populo commodis et sub quovis respectu convenientibus (quamvis sibi incommodis) missas pro

dictis festis ordinent aliasque sacras functiones peragant. Dixi *sub quoris respectu contenientibus*; cavendum enim ne inconsulte aliarum ecclesiarum functiones turbentur; maxime vero ne populi concursus a missa parochiali vel cathechismo irrationabiliter avertatur. Cf. Bened. XIV (Const. *Etsi minime*) et Clementem XI apud Berengo (*n. 153 Decret. n. 19*).

III. Non permittant ut advenae et prorsus incogniti debitisque destituti litteris testimonialibus missam celebrent; etiamsi hac de re nihil peculiariter proprius statuerit Episcopus; generalis enim Ecclesiae disciplina id vetat. Berengo (*n. 156*).

IV. Caveant (quantum fieri poterit) ne tales confessarios aut praedicatores acceptent qui iam certe et notorie proprio muneri perperam functuri sint, quamvis Episcopus adhuc illos non suspenderit. Idem dic de sacerdotibus nimis festinanter et irreverenter cum populi scandalo missam celebrantibus. Et, si modo stabili iam fuerint acceptati, tunc aut eorum emendationem procurent, aut (nisi maiora mala pertimescant) illos arceant, aut saltem Episcopo denuntient.

V. Circa laicos sacristiae inservientes vigilent ut sacerdotibus et rebus sacris debitam reverentiam praestent, neque sacerdotum defectus propalent. Maxime vero vigilent ne pueri sacristiae addicti in vicinis cubiculis aliisque locis solitariis turpia committant.

VI. Curent ut omnia, maxime vero picturae antiquae et aliae res pretiosae, nullum detrimentum patiantur et bene serventur. Caveant ne ex intentione eas restaurandi vel ad meliorem formam reducendi, illarum valorem atque pretiositatem ad nihilum redigant. Caveant autem quam maxime ne decepti ab illis mercatoribus qui in hunc finem in gyrum se conferunt, res antiquas vendant aut commutent.

VII. Sedulam operam navent ut omnia in tuto sint. Provideant ne tempore nocturno quisquam in ecclesia aut turri campanaria absconditus remanere possit. Vasa sacra atque alias res magni momenti sub clavibus retineant, clavesque apud semetipsos servent.

VIII. Aeris quoque salubritatem a se curandum esse censeant: et proinde identidem (maxime vero postquam

magnus populi concursus in Ecclesia adfuit) efficiant ut, omnia aperiendo, aer renovetur.

IX. Devotiones antiquas non destruant, sed illas foveant, atque ut magis magisque adaugeantur satagant.

X. Laudandus qui alias quoque devotiones (servatis servandis) introducit. Hac in re 1° Cavendum ne ad nova festa novasve functiones introducendas eleemosynarum collectiones nimis multiplicentur; hodie enim hac de causa christifideles nimia molestia passim afficiuntur, opera bona maioris momenti detrimentum subeunt, et aliquando verum scandalum efformatur. 2° Eleemosynae collectae, ad finem propter quem datae fuerunt usque ad assem scrupulose erogentur; idque populo pateat. 3° Generatim curandum ne festum introducatur si iam aliud eiusdem tituli in alia eiusdem loci ecclesia celebretur. 4° Cavendum denique (ruri, aut in parvis oppidis) ne diebus ferialibus nimiae functiones peragantur. Semper enim in eo esse ut campanae pulsentur, populusque advocetur, potius quam in aedificationem, in destructionem redundare potest; facile enim foeminae plus aequo accurrunt, et sic propriis muneribus deficiunt, virosque ad iracundiam provocant; unde tandem parochus minus existimatur, tamquam imprudens nimisque exigens (ut dicit etiam S. De-Rossi) traducitur, et ipsa religio invisa redditur.

XI. Quoad functiones ante ortum et post occasum solis peragendas, scripsit Berengo (*n. 182*): « Hac in re « attendenda est consuetudo et indoles populi; nam in « plurimis locis id solum custoditur ut sacra non potra- « hantur ad multam noctem ». Scavini (*I 663*) dicit: « Hodie fere ubique ruricolae in pagis, et operarii in civi- « tate ad exercitia spiritualia, ad novendialia, praedicatio- « nem etc. in feriis nonnisi sub noctem convenire pos- « sunt ». Episcopi Neapolitani in Epistola *26 Apr. 1864* (apud Berengo *l. c.*) scripserunt: « Cultus catholicus ne- « cessario requirit, ut ecclesiae accessibiles sint fidelibus « ante ortum et post occasum solis: et praeceptum de « habendis sacris conventibus ab albescente ad vespere- « scentem diem quatuor quintas partes catholicorum im- « pediret a participatione functionum catholici cultus ».

Attamen, quando populo sub noctem in ecclesia aditus relinquitur, oportet omnino ut ecclesia ipsa quaquaversus ita illuminetur, ut turpium actionum periculo aditus praecludatur.

XII. De concionibus pro solis viris tempore nocturno, et de speciali commoditate pro confessionibus eisdem praestanda, vide dicta in opuscolo *De hodierno motu catholico n. 4.*

XIII. Solemnitates cum pompa extraordinaria (nisi sint nimis frequentes) omnino approbari debent; quamvis enim malis non careant, tamen ad concursum valde maiorem obtinendum, atque adeo ad catholicum cultum sustinendum et augendum quam maxime deserviunt atque ab Ecclesia approbantur. Curandum tamen ut in musica (iuxta dicta *n. 411*) theatralia et profana arceantur; brachii saecularis auxilio sapientique rerum omnium dispositione inordinationes praepediantur; neque ultra vires expensae fiant unde ecclesiae aere alieno nimis graventur. Curandum praecipue ne in dicta pompa omnia consistant; bene vero ut ipsa tamquam medium adhibeatur, quo (addendo conciones, copiam confessariorum, communionem generalem etc.) fructus spiritualis copiosius obtineatur. Dicerem etiam, solemnitates non facile a proprio die ad alium esse transferendas, et omnino non esse tolerandum ut dies, in quam huiusmodi translatio fiat, alicuius sacri mysterii aut festiva de praecepto alterius Sancti sit.

XIV. Rectores ecclesiarum si forte aliquam piam confraternitatem in propria ecclesia habeant, magno affectu illam foveant; hae enim confraternitates (ut ait cl. Berengo *n. 187*) sunt veluti totidem fidei publica testimonia, et mirum in modum deserviunt, ut confratres dum propriam protestantur fidem, pietatem simul foveant, morum honestatem sectentur, atque exemplo suo ad bonum alios pertrahant. Praeterea parochis praesertim magno adiumento sunt; in hodiernis enim ecclesiarum angustiis (praeter multas in suffragiis erogationes) ad externi cultus splendorem per propriarum solemnitatum celebrationem (sine ullis parochi expensis) valde conferunt. Rectores ecclesiarum itaque et parochi cum ipsis comiter omnino se gerant;

nisi agatur de rebus prorsus non tolerabilibus (ut puta, si parochiales functiones omnino impedire vellent), multa dissimulent; compatiantur horum laicorum non infrequenti ignorantiae, si quid incaute per imprudentem zelum commiserint, nec super eos nimis arroganter insurgant; sed placide, benevole, paterne notent ipsorum defectus, et hoc modo facillime vitabunt ne error renovetur. Studeant speciatim parochi ne huiusmodi sodalitia omnes curas tantum convertant ad externum ecclesiae apparatum; sed pro sodalitiorum natura et diversitate curent (ut modo dicebam) ea pietatis exercitia inducere, quae animos sodalium valeant ad verae pietatis sensus conducere, quos si semel induerint sodales, nullo labore parochus corrigere poterit quae antea forte minus recte ab eis factitari consueverunt.

CAPUT V.

DE ADMINISTRATORIBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM ET SPECIATIM DE AEDITUIS (IT. *fabbricieri*) ATQUE CONSTITUENTIBUS COMMISSIONES CAPSARUM ECCLESIASTICARUM.

728. Quinam sunt *administratores isti?* Episcopi, parochi, beneficiati, oeconomi seminariorum vel capitulorum etc. Item syndici monasteriorum, et praesides hospitalium aliorumque locorum piorum. Adde illos qui pias fiducias adimplere debent.

729. *Administratores isti* ad quid tenentur? Reminiscantur imprimis quod bona ecclesiastica (ut dicit Trid. *XXV*, II) *Dei sunt*, et quod summopere oportet ut sarta tectaque serventur, ut Dei cultui vel pauperum levamini prospici possit. Negligentia gravis itaque, ex qua piae institutioni gravia damna obventura sint, peccatum mortale (et quidem cum onere in conscientia reparationis damnorum), nisi forte ignorantia excusaret, includeret sine dubio. Quid itaque de illis qui haec et alia officia ecclesiastica acceptant (ut dicit solet) *pro forma*, quasi scilicet de solo honore et de oneribus adimplendis nihil vel fere nihil ageretur?

Sed de obligationibus istis iam egi supra singillatim *n. 285-288*, ubi etiam exposui doctrinam hodie maxime apud nos scitu necessariam circa administratores locorum piorum ; et quoad nonnulla alia (speciatim quoad pias fiducias) remisi lectorem ad *Vol. III n. 1448 et 199*. De bonorum ecclesiasticorum alienationibus opportunius agam infra (*De censuris*). Hic superest aliquid dicendum de aedituis, atque de illis qui capsarum ecclesiasticarum commissiones constituunt.

730. *Quid itaque de* **aedituis**, *scilicet de illis laicis qui alicubi bona parochialia administrant?*

I. Hi non semper sunt illegitimi ; sed in multis locis ex consensu Ecclesiae (v. g. ex concordato cum Principibus) legitime hanc administrationem exercent ; neque id sua utilitate caret, propter duas rationes, quas adducit Bouix (*De Par. V.* XIV *§ 3*) inquiens : « Cum apud populum facile spargi possint sinistrae suspiciones, ne forte « parochus ea quae reficiendae fabricae et augendae sacrae « supellectili addicenda sunt, in proprios usus convertat, « aliove modo ecclesiae parochialis bona dilapidet, nil « aptum magis ad arcendam huiusmodi odiositatem, quam « deputari nonnullos civitatis praecipuos cives, qui simul « cum parocho de his omnibus deliberent atque decernant. « Atque insuper, dum ad solvendum adigendi sunt ii, qui « ex aliquo titulo ecclesiae parochiali debitores sunt, nemo « non videt quam expediat id, non a parocho ipso immediate fieri, sed a deputato illo laicorum coetu ».

II. Quibus autem limitibus et sub quibus conditionibus aeditui administrationem iure exercere possint, hoc iuxta diversa statuta vel diversas consuetudines varium est.

III. Alicubi huiusmodi institutio nunquam fuit ab Ecclesia approbata ; et alicubi, quamvis approbata fuerit, postea abusibus subiecta evasit. Subinde autem in casibus particularibus aeditui exigunt quae exigere non possunt, et sive hoc sive illo modo male se gerunt. Utique tunc iura ecclesiae et parochi plus vel minus laeduntur ; sed, si parochus omnino et mordicus vellet ut omnia semper bene procederent, non solum incassum laboraret, sed etiam mala longe maiora provocaret. Reliquum est itaque ut bonis

modis procedat, aedituorum amorem sibi conciliet, blandas persuasiones, prudentiam et patientiam adhibeat, atque in aliquibus cedat, ut postea alia obtineat. Cf. Frassinetti (*Man. n. 160*), Berengo (*n. 233*), Scavini (*I 622*), Rivarolo (*II.* I. III), Bouix (*l. c.*) et Zucchini (*Concordia tra parochi e fabbricieri P. II*).

IV. Caeterum aeditui easdem, quas caeteri ecclesiasticorum bonorum administratores, obligationes habent.

731. *Quid de illis qui* ***capsarum ecclesiasticarum*** *commissiones constituunt?*

I. Praeter obligationes generales aliis administratoribus communes, imprimis cognoscere et observare tenentur instructionem (it. *regolamento*) a S. Sede propositam.

II. Decisiones sine eorum voto sunt invalidae. Standum est maioritati votorum. Ordinarius (qui praesidet) unum sicut illi votum habet; et solum in paritate duplici voto gaudet.

III. Securitas et maius bonum iuxta conscientiam (seposito quovis alio respectu) respici debet.

IV. Pecunia solum in schedulis debiti publici aut illorum institutorum, quae *fundiaria* dicuntur; non vero in mutuis erga personas particulares (secluso beneplacito apostolico) et multo minus in capsis parsimonialibus etc. investiri possunt.

V. Occurrente speciali difficultate, ad S. C. EE. et RR. recurrendum esset.

CAPUT VI.

DE BENEFICIATIS.

732. *Quid imprimis de differentia inter beneficium et capellaniam sive laicalem sive collativam?* De hoc vide dicta *Vol. III* (*n. 217*).

733. *Quaenam sunt speciales beneficiati, vel habentis capellaniam collativam,* ***obligationes?*** Debet 1° Horas canonicas recitare. 2° Onera specialia (si quae beneficio adnectantur) adimplere. 3° Beneficii fructus recte impendere.

734. *Circa obligationem beneficiati recitandi* ***horas canonicas,*** *praeter supra dicta* (*n. 329 et seqq.*) *estne aliquid aliud notandum?* Beneficiatus, qui pro titulo Ecclesiam habeat, celebrare debet festum Titularis cum octava.

Festum celebratur ritu duplici 1. cl. Fit de Titulari, nisi occurrat 1° Cum alio dupl. 1. cl. digniori (quale esset etiam Festum Nativ. S. Io. Baptistae et Ss. Ap. Petri et Pauli). 2° Cum Dom. I cl. 3° Cum vig. Nativ. D. N. I. C. et Pent.; die Circumcis.; die oct. Epiph,; fer. 4. cin.; tota hebdom. mai.; infr. oct. Pasch. et Pent.; in Ascens. D.; in fest. Corp. Christi; in Assumpt. B. V.; et Solemn. omnium Sanctor. In tali occursu transfertur ad primam diem non impeditam iuxta regulas translationis. Si non adsit offic. propr., fit de commun.; lectiones, utrum ex 1°, an vero ex 2° loc. sumi debeant, dignoscitur ex evangelio vel oratione: sin minus prout melius videbitur. In missa dicitur Cr.

Post festum celebratur octava; quae tamen non habet locum a fer. 1. cin. usque ad Dom. in Albis; a vig. Pent. usq. ad fest. SS.mae Trinitatis; et a die 17 Decemb. usq. ad Epiph. inclusive. Infra oct. fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus cum commemoratione octavae. Si vero occurrant dies neque dictis festis neque dominicâ impediti, tunc fit de oct. ritu semiduplici. Lect. 1. noct. script. curr.; lect. 2. et 3. noct. de communi (quae ex 1. et 2. loc. alternandae sunt, si pluries de octava fiat). Missa sicut in die festi cum 2. et 3. orat.

Dies octava celebratur ritu dupl. min. Si eo die occurrat dupl. 1 vel 2., cl., tunc de die octavae fit commemoratio dumtaxat in vesp., laud., et miss., etiam solemni. Si tale dupl. classicum non occurrat, tunc fit de die octavæ; et omnia sicut in die festi, exceptis lection. quae in 1. noct. erunt script. curr. et in aliis de communi cum commemoratione Sancti occurrentis in 1. et 2. vesp. in laud. et miss.

Si festum Titularis aut eius octava deiecerint a propria sede alia festa in kalendario indicata, ut supra diximus, tunc ista transferri debent ad primam feriam, nisi sint duplicia minora vel semiduplicia, quia hoc in casu simplificanda sunt eo die quo cadunt, iuxta rubricas a Leone XIII promulgatas.

735. *Quaenam esse possunt* ***onera specialia*** *quae beneficio adnectantur?* Esse possunt, v. g. 1° onera missarum, aliarumve functionum, vel curae animarum; 2° onus (in beneficiis curatis) tenendi vicarios aliosve officiales; 3° onera pensionum quae forte beneficium gravarent.

Quoad *missas* notanda sunt praecipue quae circa reductiones et sanatorias dixi supra (*n. 555 et seqq.*). Item quae dixi (*n. 551*) circa Missas quotidianas Capellaniae. parochi et Episcopi tenentur etiam ad missam *pro populo* celebrandam; et hac de re vide *Theologiam Pastoralem* (*n. 73 et seqq.*) et *De Episcopo* (*n. 17*).

Onus *tenendi vicarios* aliosve officiales verificatur praecipue in parochis et Episcopis. Loquendo de parochis,

ipsi tenentur certe (si ipsi non sufficiant) tot sacerdotes sibi adsciscere quot ad sacramenta exhibenda et functiones celebrandas sint necessarii (*Trid. XXI.* IV). Si autem beneficii redditus non essent sufficientes, tunc populus concurrere deberet. S. C. C. (*16 Apr. 1639*).

736. *Redditus beneficiorum quomodo erogandi?* De hoc iam egi supra diffuso sermone (*Vol. III n. 189 et seqq.*).

CAPUT VII.

DE RESIDENTIA CUIUS OBLIGATIO PLURIBUS COMPETIT.

737. ***Quid est*** *residentia?* Est praesentia personalis in loco ubi quis officium exercere debet. Dicitur *formalis* si quis resideat et agat; *materialis* si quis resideat et nihil agat. Sed in hoc Articulo non consideratur an qui residet agat vel non agat; bene vero de sola obligatione residendi personaliter sermo habetur.

738. *Quinam* ***tenentur*** *ad residentiam?*

I. Ex Tridentino tenentur imprimis *Episcopi.*

En verba Concilii (*XXIII.* I): « Declarat sacrosancta Synodus, omnes « patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus Ecclesiis « quibuscumque, quocumque nomine et titulo praefectos, etiam si Sanct. « Rom. Eccles. Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia « vel Dioecesi residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi teneantur, « neque abesse posse nisi ex causis et modis infrascriptis.

« Nam cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, « ac evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas aliquos nonnunquam abesse « postulent et exigant; decernit eadem sacrosancta Synodus has legitimae « absentiae causas a Beatiss. Rom. Pont., aut a Metropolitano... in scriptis « esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus et « Reipublicae officium Episcopatibus adiunctum... Interea meminerint di- « scessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex « ipsorum absentia nullum damnum accipiant.

« Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt... non videantur « abesse... sacrosancta Synodus vult, illud absentiae spatium singulis annis « sive continuum, sive interruptum, extra praedictas causas, nullo pacto « debere... ad summum tres menses excedere, et haberi rationem, ut id « aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento; quod an ita sit, « abscedentium conscientiae relinquit... Eosdem interim admonet et in Do- « mino hortatur, ne per illius temporis spatium Dominici adventus, Qua- « dragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Cor- « poris Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris « praesentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, « nisi episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent.

« Si quis autem... contra huius decreti prohibitionem abfuerit, statuit « sacrosancta Synodus, praeter alias poenas adversus non residentes sub « Paullo III impositas et innovatas (Cf. *Sess. II.* 1), ac mortalis peccati « reatum quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos non « facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi « detinere posse ; sed teneri... illos fabricae Ecclesiarum aut pauperibus « loci erogare ».

II. Ex eodem Tridentino ad residentiam tenentur *parochi* ; de quibus post verba praedicta sequenti modo loquitur Concilium.

« Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum et poe- « nas, de curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod « ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta Synodus « declarat, et decernit ; ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per « Episcopum cognita, et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum, ab « ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. « Discendedi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra « bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant ».

III. Ex eodem Tridentino (*XXIV.* XII) ad residentiam tenentur *canonici*. De his Concilium sic loquitur.

« Obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, « canonicatus, praebendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet sta- « tuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet « anno abesse : salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae « longius servitii tempus requirunt : alioquin anno primo privetur unus- « quisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac re- « sidentiae, fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, pri- « vetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit ».

739. Ex eodem Tridentino (*l. c.*), praeter Episcopos, et parochos perpetuos, iuxta communem interpretationem et plura S. C. C. responsa (ut videre est apud Bouix *De Par. V.* II *§ 2*), tenentur 1° *Parochi amovibiles*. 2° *Curati tam perpetui quam amovibiles* (qui scilicet pro parocho habituali, v. g. capitulo, monasterio etc. paroeciam administrant). 3° *Coadiutores cum iure successionis*, et *oeconomi spirituales* (parocho prorsus inepto et missam non celebrante). Item oeconomi paroecia vacante.

740. Ex contractu (non vero ex Tridentino) teneri possunt *capellani* et subsidiarii parochum coadiuvantes. Ex ipsa autem rei natura tenentur *confessarii monialium, capellani hospitalium, rectores seminariorum* etc.

741. *An Episcopi et parochi etiam iure divino ad residentiam teneantur ?* Iure divino tenentur certe ad curam ; an autem sic teneantur etiam ad residentiam per-

sonalem, affirmant quidem multi; sed alii non sine probabilitate id negant. Cf. De Angelis (*II.* 1 *Tit. IV 3*). Lambertini (*Notif. XVII*), Bouix (*l. c.*).

742. *Sufficitne si Episcopi in dioecesi, et curati inferiores in paroecia resideant?* Negative, sed oportet ut Episcopi in palatio episcopali, et curati inferiores in domo parochiali (vulgo *canonica*), si adsit, resideant (nisi dispensentur); secus residentia quidem subsisteret, sed imperfecta esset. Cf. Bouix (*l. c. § 7 prop. 2*).

743. *Loquendo de parochis, possuntne ipsi aliquo tempore abesse, et qua de causa et sub quibus conditionibus?*

I. Parochus, *supposito gregis detrimento,* a paroecia recedere nequit ne tempore quidem brevissimo: unde (ad minus) regulariter exigitur substitutio vicarii (utique idonei).

II. Pro absentia integrae hebdomadae, de iure communi, petenda est licentia ab Episcopo; leges autem dioecesanae illam exigere solent pro tempore adhuc breviori. Licentia autem ex falsis causis dolose obtenta nihil valeret.

III. Episcopus ex aequa et rationabili causa (etsi non absolute gravi, v. g. ad invisendos parentes, ad melius convalescendum, ad verbum Dei praedicandum, ad piam peregrinationem perficiendam, ad moderatam recreationem sumendam) concedere potest licentiam abessendi per bimestre quotannis; ita tamen ut 1° bimestre unius anni non uniatur cum bimestri anni sequentis; 2° sola causa recreationis sufficere quidem possit pro una vel altera hebdomada sed *non pro integro bimestri quotannis;* 3° dierum solemniorum ratio habeatur; 4° bimestre ex absentia non solum continua sed interpolata (integris diebus abessendo) computari debeat.

IV. Qui semper aut fere semper non una vel altera hora tantummodo, sed tota aut fere tota die a paroecia absunt (etsi nocturno tempore domi sint) contra residentiam (nisi forte parvo intervallo et ex iusta causa abessent) certe delinquunt.

V. Pro absentia ultra bimestre causae absolute graves vel gravissimae et indultum Apostolicum exigerentur. Causae huiusmodi esse possunt 1° Christiana charitas.

2° Urgens necessitas. 3° Debita obedientia. 4° Evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas. Sed de his vide explicationes in *Theologia pastorali* (*n. 24 et seqq.*).

VI. Defectus residentiae peccatum mortale constituere potest 1° ex gravi detrimento gregis eiusve periculo vel scandalo (ut puta, si propter parochi absentiam moribundi sine sacramentis morerentur, aut ille tempore pestis fugeret etc.); 2° ex diuturnitate absentiae sine licentia, ut puta, si parochus decem vel duodecim diebus sic abesset ultra dies permissos aut ultra concessum bimestre; imo (ad peccatum mortale constituendum) brevior absentia vel simplex discessus sufficere posset si Episcopus (valde invitum se ostendendo) discedendi licentiam denegasset, aut si causa rationabilis prorsus deesset, maxime vero si ad malum finem discessus interveniret.

VII. Parochus residentiae deficiens sive ultra bimestre absque venia apostolica, sive infra bimestre cum gregis detrimento aut sine aequa et rationabili causa, non facit fructus suos, eosque amittit in conscientia; attamen solum pro rata absentiae et habita ratione aliorum onerum, quibus satisfaciat. Adesse possunt etiam aliae poenae ferendae sententiae. Sed de his quoque vide *Theologiam pastoralem* (*n. 56 et 57*).

VIII. Quid de parocho, qui resideret quidem materialiter sed non formaliter, vel utcumque ad curam ineptus evasisset? Remedia canonica in hoc casu exponuntur *loc. cit.* (*n. 58 et seqq.*).

CAPUT VIII.

DE EPISCOPO.

744. *Quaenam sunt Episcopi* ***obligationes?*** Episcopus procurare debet bonum Dioecesis, partim per se ipsum immediate, partim (imo maxima ex parte) ope cleri, partim denique etiam ope laicorum.

ARTICULUS I.

Exponitur summatim ad quid per se ipsum Episcopus teneatur.

745. Episcopus **per se ipsum immediate** debet praecipue 1° Omnes praecedere bono exemplo, atque virtutibus quam maxime conspicuis (speciatim ferventi Dei et proximi charitate atque singulari prudentia) praefulgere. 2° Praedicare. 3° Sacramenta confirmationis et ordini sacri administrare. 5° Audientiam praestare. 6° Missam *pro populo* celebrare. 7° De maioribus dioecesis necessitatibus informationes capere atque providere.

ARTICULUS II.

Exponitur summatim ad quid teneatur Episcopus ope cleri.

746. **Ope cleri** tenetur bonum dioecesis suae procurare; et media sunt praecipue sequentia, nempe 1° Dabit operam ut clerum sufficientem habeat; 2° Maximam adhibebit prudentiam quoad sacras ordinationes; 3° Totus erit in procurando ut in clero sanctitas, doctrina et unio semper conserventur atque florescant. 4° Maximam item adhibebit prudentiam quoad electionem parochorum, aliorumque officialium. 5° Vigilabit et remedia apponet. 6° Gravibus suae dioecesis necessitatibus, quantum fieri poterit, providebit. 7° Mala publica praecipue impedire, et e contra instituta

quae in bonum publicum vergunt procurare curabit. 8° Item curabit ut instituta ipsa bene dirigantur. 9° Sacerdotes suos bene cognoscat atque procuret ut illi vires suas in bonum dioecesis ita exerceant, ut ex iisdem quantum fieri potest utilitatem capiat. 10° Sit homo sui temporis, et novis malis nova remedia apponere satagat.

Sed haec omnia sunt explicanda.

PUNCTUM I.

Det operam ut clerum sufficientem habeat.

747 In hunc finem necesse est 1° Ut pro clero ipso adsint (quantum fieri potest) *media sustentationis*. 2° Ut promoveantur et diligentissime custodiantur *vocationes*.

Quum hodie beneficia ecclesiastica adeo pauca et tenuia sint, et bonae familiae (a quibus solis vocationes ecclesiasticae et largitiones erga Ecclesiam expectari possunt) adeo rarae evaserint, unde in multis locis iam ipsae eleemosynae missarum deficiunt: oportet omnino ut (procurante Episcopo) in sermonibus ad populum, et maxime in sacris missionibus, de necessitate ut Ecclesia bonis sacerdotibus provideatur, atque adeo de consiliis evangelicis et de sacerdotio verba fiant.

Oportet insuper ut pia relicta (quae hodie fere solum ope fiduciarum exequi possunt) perfecta aestimatione et confidentia gaudeant.

Alicubi potest expedire prohibitio ne a sacerdotibus extra dioecesim missae celebrandae tradantur, vel oportere ut a beneficiis pinguioribus aliqua resecentur, ut alii sacerdotes miserrimi saltem habeant unde vivant.

Nihil dico de pia opera (vulgo *S. Caroli*) pro clericis pauperibus (ut studia in seminario perficere possint), et de societate mutui succursus ut sacerdotibus infirmis aliquo modo provideatur.

Quamvis demum fere ubique penuria cleri lugenda sit, tamen alicubi nimia est abundantia presbyterorum, qui maxima ex parte ad hoc solum valent ut consument

immensum numerum eleemosynarum, dum caeteroquin non desunt qui Ecclesiae nedum inutiles sed valde noxii sunt.

748. Loquendo praecise *de promovendis et custodiendis vocationibus,* praeter modo dicta, oportet ut Episcopus imprimis magnam seminarii sui curam habeat, providendo praecipue 1° Ut Director spiritualis veram pietatem et spiritum ecclesiasticum in alumnis foveat. 2° Rector et Praefecti vigilantiam adhibeant. 3° Si qui sint petra scandali (absque mora et indulgentia ulla) arceantur. 4° Ut iuvenes maiori numero possibili in seminario recipiantur, in quem finem maxime deservit ut distinctio fiat inter divites, et pauperes qui victum inferiorem habeant et minus solvant.

Circa seminaria autem sedulo legenda est Encyclica Leonis XIII *8 Dec. 1902.* Apud Acta *Vol. XXXV 257.*

749. Multae vocationes pretiosissimae deperduntur ob quatuor rationes. Prima est quod pueri in scholis publicis (etiam elementaribus), tum propter consodales, tum propter principia liberalia a magistris audita atque propositiones contra Ecclesiam ipsosque Romanos Pontifices etc., facile circa religionem detrimentum subeunt et contra clerum aversionem concipiunt. Secunda est quod in dioecesi extra civitatem episcopalem multi iuvenes, qui bonam praeberent spem, ad seminarium (sive quia sint nimis pauperes, sive quia illorum genitores nolint cum incertitudine boni exitus expensas sustinere) se conferre nequeunt. Tertia consistit in periculis quae sive in domibus particularibus sive conversando cum saecularibus heu nimis inveniuntur. Quarta est militia, scilicet conscriptio militaris (it. *la leva*).

Hinc pro illis pueris et adolescentibus supra indicatis (qui pro scholis elementaribus et gymnasialibus ad civitatem episcopalem se conferre nequeunt) necessariae sunt scholae privatae (in eorundem oppidis vel paroeciis) a sacerdotibus directae, et (ubi possibile sit) parva seminaria secundaria in quibus ita recipiantur ut in meridie domum redeant ibique nocturno tempore maneant, et singulis annis a deputatis Episcopi examen subeant. Oportet etiam ut quo citius fieri potest a saecularibus separentur vestesque

clericales induant, et pro sacris functionibus et cathechismo Ecclesiae inserviant.

Quoad illos autem qui a Dioecesi ad civitatem episcopalem se conferunt quin recipiantur in seminario, maxime cavendum ne collocentur apud familias in quibus pericula inveniant, atque adeo potius coadunentur ubi, sub regula et vigilantia speciali, in tuto serventur. Nihil dico de apposita congregatione ab iisdem adeunda (convenientes audiendo ibi sermones) diebus vacationis. Nihil dico de exercitiis spiritualibus etc.

Denique quoad militiam ad quam clerici quoque obligantur, media imminuendi pericula ex illa provenientia sunt 1° annus *voluntariati* et pia associatio ad corrogandam in hunc finem pecuniam necessariam pro clericis pauperibus. 2° Monita praeservativa unicuique clerico pro militia discessuro suggerenda. 3° Obligatio clericis ipsis imposita certiorem faciendi Episcopum de locis ubi morabuntur, ut Ordinarii locales rogari de vigilantia et consilio, necnon Episcopo ipsi informationes dare possint. Cf. instructionem S. C. S. O. *16 Sept. 1875* (in Opusc. *De Episcopo n. 92*).

PUNCTUM II.

Maximam quoad sacras ordinationes prudentiam Episcopus adhibeat.

750. Ab illo scilicet nemo est ordinandus, de cuius vocatione, cum fundata et magna spe quod vere futurus sit Ecclesiae utilis, prudens iudicium efformari nequeat.

In quem finem oportet quod de iuvenis habituali virtute, mortificatione, et usu mediorum spiritualium constet ut tentationibus (speciatim carnalibus) serius ocius insurgentibus (et quidem ordinarie gravissimis) resistere possit.

Certe autem antequam studia sacra incipiantur, decidendum erit an hic vel ille iuvenis viam ecclesiasticam prosequi debeat, necne; et in casu negativo partes Episcopi erunt ei denegare primam tonsuram aliosque ordines, atque efficere ut vestes clericales deponat, ne seipsum in

ruinam coniiciat, atque ex una parte redditus Ecclesiae iam adeo extenuatos absumat, et ex alia Ecclesiae ipsi nullam utilitatem sed potius magnum damnum afferat. Conscientia Episcopi hoc in puncto (ubi patet) gravissime oneratur.

PUNCTUM III.

Episcopus totus erit in procurando ut in clero sanctitas, doctrina et unio semper conserventur atque florescant.

751. Quum tota vis cleri consistat in virtute, doctrina et unione, in hunc finem deserviet imprimis si Episcopus, post curam adhibitam (ut supra) pro clericis, palam faciat has dotes ei quam maxime cordi esse, et solum ex his ad beneficia et officia distribuenda se normam semper esse sumpturum.

752. *Quid in particulari de cura Episcopi ut clerus* ***sanctitate*** *et virtute eniteat?* Maxime valent exercitia spiritualia quotannis procuranda; dies spiritualis recollectionis in communi singulis mensibus in civitatibus et oppidis; occupatio, ita ut omnes aliquod officium habeant, et nemo in otio versetur; paternae admonitiones.

753. *Quid de cura Episcopi ut clerus* ***doctrina*** *exornetur?* Observandum quod pro studiis sacris in seminario tempus est breve, et clerici maxima ex parte non magno ingenio ditantur; unde oportet 1° in scholis illas res antiquas, quae hodie ad nihil deserviunt, resecare omnino; et, expositis principiis generalibus, agere solum de rebus practicis magisque necessariis pro dioecesi (quae scilicet exiguntur ad bene exercenda officia confessarii, parochi, concionatoris etc.), plurima proinde omittendo quae ad efformandos (sicut Romae) iurisconsultos, canonistas, publicistas, advocatos, vicarios generales, episcopos etc. deservirent; studia enim (attentis actualibus circumstantiis dioecesis) minus necessaria praeiudicium magis necessariis allatura, et sic magis in destructionem quam in aedificationem futura essent. Hinc oportet magnam claritatem et

(sepositis longis demonstrationibus) brevitatem adhibere. Procurandum autem ut professores, atque etiam (quantum possibile est) libri textus, his normis conformentur. Exigendum insuper ut examina nedum in scriptis perficiantur, sed etiam oralia sint; pro promotionibus autem ad scholas superiores et pro sacris ordinationibus, examina non levia et superficialia, sed seria et rigorosa esse debent.

Ut autem sacerdotes a seminario egressi ad studium incumbere pergant, Episcopus servet pariter rigorem in examinibus tum pro confessione (quae pluries repetantur antequam sacerdotes pro utroque sensu indeterminatim vel ad longum tempus approbentur), tum pro praedicatione. Exigat insuper ut omnes se praesentent ad concursus paroeciarum (saltem ad honorem) per quatuor vel quinque annos post adeptum sacerdotium. Exigat praeterea ut confessarii omnes interveniant bene parati conferentiis singulis mensibus pro casuum moralium solutione (iuxta dicta *n. 597*).

Curet ut, speciatim in exercitiis spiritualibus, clerus admoneatur ut otium declinet, neque terat tempus in nimis legendis diariis; sed ei indicentur libri qui magis utiles atque opportuni sint.

Curet quammaxime ut clerus bene cognoscat tempora in quibus versamur, cognoscat scilicet quod malum societatis consistit non solum in corruptione morum et vitiis plurimis, sed etiam, imo praecipue (saltem quoad civitates et oppida), in defectu fidei, quatenus non pauci (etsi ecclesiam frequentent) in dubio versantur multisque contra religionem praeiudiciis laborant; alii autem plurimi sive indifferentistae, sive rationalistae, sive positivistae, sive materialistae, sive athei, sive utcumque increduli et apostatae, religionem ipsam nedum tamquam falsam et superstitiosam, sed etiam tamquam maleficam et odio habendam, traducunt atque infinitis modis et omnibus artibus (directis praecipue contra iuventutem) acerrime persequuntur. Oportet profecto ut clerus haec omnia bene cognoscat, ut scilicet magistri, concionatores, parochi etc. regulam sumant, et (non curando de haeresibus antiquis aut de protestantismo etc.) malis apud nos vere existentibus et talem ac

tantam stragem facientibus curam applicent, eoque tela ubi revera est inimicus dirigant. De re ista adeo necessaria (veniendo valde ad particularia circa methodum et remedia) egi in *Theologia pastorali*, nec non in opusculo *De officio parochi nostris temporibus.*

754. *Quid de cura Episcopi ut in clero* ***unio*** *adsit?*

I. Unionem quam maxime esse necessariam indicavi supra (*n. 609*); cleri quippe scissura illius vim enervat, bona opera impedit, scandalum ingerit, et efficit ut hostibus aciem compactam opponere non possit.

II. Clerus debet esse unitus 1° cum Episcopo; 2° in se ipso. Hanc igitur duplicem unionem Episcopus toto nisu procurabit.

III. Quoad unionem cum Episcopo, oportet ut ille existimationem et amorem sibi conciliet. Existimationem virtutibus, scientia et prudentia (non vero pompa et luxu etc.) sibi comparabit. Circa amorem autem, quid de Episcopis, (quod tamen vix unquam contingit), qui, quasi solum de ostensione potentiae curam haberent, denegando quae concedere possent, exigendo quae exigendi ius non habent, de suis sacerdotibus male loquendo, illos spernendo, absque certitudine culpae vel excesssive puniendo, aspere malisque modis cum omnibus procedendo etc., se molestissimos atque intolerabiles redderent, et sic loco amoris, aversionem et malevolentiam omnium contra se concitarent?

Ab huiusmodi agendi ratione longissime aberunt Episcopi, et potius conscientiam sibi facient sequendi monita Concilii Tridentini (*XIII.* 1) dicentis: « Illud primum (S. Synodus) eos admonendos censet ut se pastores « non percussores esse meminerint, atque ita praeesse suis subditis oportere, ut non eis dominentur, sed illos tamquam filios et fratres diligant, « elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi « deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid « per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis « servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia « quam austeritas; plus exhortatio quam comminatio; plus charitas quam « potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virgâ opus fuerit, tunc cum « mansuetudine rigor; cum misericordia iudicium; cum lenitate severitas « adhibenda est ».

IV. Quoad secundam autem unionis speciem, scilicet ut clerus *sit unitus in se ipso*, advertat Episcopus quod divisiones et scissurae provenire possunt tum ex passio-

nibus (et maxime ex superbia), tum ex principiis et iudiciis falsis (cuiusmodi hodie esse solent praecipue principia liberalismi, ipercriticae etc.), sed interdum est etiam fanatismus in ipsis principiis bonis, ut puta, si pars cleri perfectionem ita in omnibus vellet, ut aliam partem bonam quidem sed minus perfectam persecutionibus afficeret. Si itaque Episcopus habeat clerum satis unitum, procuret ut talis remaneat; si vero scissurae iam adessent, earum causas investiget, easque destruere conetur. Media autem cleri unionem conservandi vel procurandi esse possunt 1° Praecipere aut saltem enixe et saepe hortari sacerdotes, ne diaria liberalismo infecta prae manibus habeant. 2° Impedire (quantum fieri potest) ne in dioecesi serpent ephemerides aut aliae publicationes, quae (v. g. circa studia biblica, vel critica, vel socialia etc.) cum decisionibus vel instructionibus S. Sedis non cohaereant; primus enim unionis cardo est obedientia Superioribus et imprimis Summo Pontifici praestanda. 3° Efficere ut in exercitiis spiritualibus nedum indirecte (quod in ipsis semper fit), sed etiam directe, cleri unio sub omni respectu et toto nisu procuretur.

PUNCTUM IV.

In electione parochorum aliorumque superiorum atque officialium et dignitariorum, maximam Episcopus prudentiam adhibebit.

755. I. Quum parochis et vice parochis cura animarum et dioecesis portiones custodiendae tradantur: quum aliis officialibus (v. g. vicariis foraneis, rectoribus et magistris seminarii, confessariis monialium, capellanis hospitalium etc.) officia valde momentosa concredita sint; quum canonici quoque, utpote qui sunt senatus Episcopi, suisque consiliis illum assistere et viri spectatissimi esse debeant, iam per se patet, conscientiam Episcopi in illis eligendis, maxime onerari.

II. Episcopus non permittat ut sacerdotes meliores, scilicet virtute et doctrina magis praestantes, alibi (sine cogentissima causa) stabiliter se conferant, et multo minus

formalem excardinationem eis concedat: sed pro necessitate et utilitate suae dioecesis illos retineat, ut (ascendendo de gradu in gradum) suo tempore officia magis momentosa sustineant melioribusque beneficiis provideantur.

III. Debet habere omnium sacerdotum, illis quoque comprehensis qui forte extra dioecesim (sine excardinatione) versantur, elenchum (secretum), in quo uniuscuiusque bonae et malae qualitates, tum quoad ingenium et doctrinam, tum quoad indolem et moralitatem (a praemiis in seminario obtentis vel non obtentis, et ab officiis bene vel non bene adimpletis etc. regulam sumendo) accurate indicentur. In hunc finem sumat etiam informationes, sed caute (ne decipiatur) atque ita ut referentes nec directe nec indirecte unquam detegat (secus enim, uti patet, confidentiam amitteret, et nemo illi quidquam dicere auderet).

IV. Officia diversa distribuat sed non accumulet. Accumulatio officiorum in unicam personam efficere solet 1° ut alii sine occupatione et provisione remaneant; 2° ut officia ipsa minus bene vel prorsus male adimpleantur; 3° ut, eveniente morte vel renuntiatione vel infirmitate sacerdotis plura officia habentis, difficilius sit statim officiis ipsis eodem tempore simul vacantibus supplere vel providere.

V. Curandum ut officiales penes se habeant et bene cognoscant proprii officii regulas, quae maiori non solum rectitudine sed etiam extensione possibili bonum producant. Sic., v. g. officium magistri caeremoniarum civitatis episcopalis extendatur etiam aliquo modo ad totam dioecesim, ut vigilet et provideat circa puncta magis necessaria, v. g. ut diebus festis missae sint bene distributae ad commodum populi; ut non fiant expositiones SS.mi Sacramenti in forma solemni sine adoratoribus etc. Item magister theologiae moralis vigilet ut in singulis vicariatibus fiant conferentiae et resolutiones casuum conscientiae etc.

VI. Episcopus distribuere debet officia (et gratias) iuxta merita et maius bonum Ecclesiae, non vero iuxta commendationes, intercessiones, importunitates, aut servitia sibi praestita, si alio modo compensari debuissent. Uno verbo semper et unice prae oculis habeat merita, et bonum officiorum ipsorum quae distribuenda sunt. Secus subseque-

rentur mala gravissima, nempe 1° damnum animarum; 2° animi deiectio in sacerdotibus, qui sic minus curabunt de studio, de virtute, et de laborando pro Ecclesia; 3° scandalum et magnum detrimentum existimationis in Episcopo ipso, quasi esset iniustus etc.

PUNCTUM V.

Agitur in particulari de concursu ad paroecias.

756. Loquendo in particulari de paroeciis per concursum conferendis, Episcopus stare debebit regulis a Concil. Tridentino (*Sess. XXIV C. 18*), a S. Congreg. Concil. (*10 Ian. 1721*) et a Benedicto XIV (Const. *Cum illud*) designatis: quae sunt sequentis tenoris.

757. Trident. dicit: « Per edictum etiam publicum vocentur qui vo-
« lent examinari. Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fue-
« rint, examinentur ab Episcopo..... atque ab aliis examinatoribus non
« paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint,
« accedere possit Episcopus.... Peracto deinde examine, renuntientur quot-
« cumque ab his (examinatoribus) idonei iudicati fuerint aetate, moribus,
« doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam
« opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum
« iudicaverit ».

758. N. B. — I. Si examinator in dubio versaretur, unde abstinendo nec approbaret nec reprobaret, perinde esset ac si votum album simul et nigrum daret. Hinc si omnes examinatores ita se gererent, tunc quoque vota paria essent, et Episcopus accedere posset. Ita Vespignani Ep. Caesen. in Opusculo *De concursibus* (*Cap. VII n. 7*).

II. Casus voti *singularis* verificaretur, si unus examinator approbaret, alter reprobaret. Cf. meum opusculum *De Episcopo* (*n. 113*).

759. S. C. C. dicit: « 1° Assignentur eaedem omnibus concurrentibus
« quaestiones, iidem casus, idemque textus Evangelii, super quod sermonis
« aliquid praescribatur ad probandam dicendi pro concione facultatem.
« 2° Casus et quaestiones dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus
« pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur. 3° Certum idemque
« omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant,
« quaestionibus respondeant, conciunculam componant. 4° Eodem concurren-
« tes omnes in conclavi claudantur, unde.... nemo eorum egredi neque
« alius quispiam eo ingredi possit. 5° Omnes sua quisque manu tum re-
« sponsa tum sermonem scribant et subscribant. 6° Responsa quidem latine,
« sermo autem ea, qua ad populum haberi solet, lingua scribatur. 7° Unum-
« quodque responsum et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concur-
« rentium exhibebitur, non solum ab eo qui scripsit, atque a cancellario
« concursus, verum etiam ab examinatoribus et ab Ordinario subscribatur ».
Attamen quoad hoc postremum sufficit si aequivalenter (prout de more apud nos) praestetur.

760. Benedictus XIV dicit: « Publico evulgetur edicto notitia con-
« cursus, congruo et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi: eodemque
« edicto omnes clare et aperte moneantur ut interim, decurrente termino
« assignato, coram cancellario episcopali vel altero ab Episcopo deputando,
« suarum qualitatum, meritorum, et munerum probationes, attestationes
« tam iudiciales quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae
« fraude vacent, exhibeant. Alioquin dicto termino elapso documenta huius-
« modi quaecumque et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

« Eveniente die concursus, a cancellario episcopali singulorum merita,
« qualitates et requisita (ut vocant), incorrupta fide deprompta a iuribus
« tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur. Porro copiae
« epitomes tradetur non solum Episcopo, vel vicario generali vices illius
« obeunti, sed singillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis,
« ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendae Ecclesiae ne-
« cessariis dotibus ferant iudicium.

« Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate
« in omnibus forma tradita in supra relatis litteris *anno 1721* editis,
« totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro
« examinatores, ad assequendam certam et indubiam coniecturam scien-
« tiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evol-
« vendo, explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel
« a SS. Patribus, vel a Sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Ro-
« mano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas
« responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehen-
« derint qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis
« in conciuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico, vel altero
« dato themati accomodata; parem, ni forte maiorem, solertiam examina-
« tores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum
« consentaneis: morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam,
« praestita hactenus Ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus
« laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere
« consocianda; hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suf-
« fragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuncient.

« Absoluto concursu ab Episcopo, vel, eo impedito, a vicario generali
« una cum examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, notula
« compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui
« illam comburat, vel penes acta secreto custodiat, et nemini ostendat,
« nisi de mandato Episcopi, vel eius vicarii generalis. Subinde vero Ordi-
« narius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem ».

761. Circa leges istas notari et deduci debent sequentia.

1°) Aliqua spectant certe ad substantiam et exiguntur sive pro valido, sive ita ut secus appellatio intervenire possit; sed aliqua minutiora sunt solum pro licito; quamvis enim in cit. Const. Benedictus XIV dixerit: *Officii nostri esse duximus praescribere* etc., tamen clausulam irritantem minime apposuit; imo nonnulla ad meram instructionem pertinere censentur (Cf. Acta *Vol. XXII pag. 137*); aut saltem (v. g. quod traductio concilii vel catechismi fiat *oretenus*) consuetudinem tolerabilem in contrarium habere possunt.

2°) Examinatores ordinarie iudicare debent de scientia solum ex scriptis a concurrente adhibitis. Enimvero Benedictus XIV (*Encycl. cit.*) sic docet et praescribit. Insuper practice de re nimis vaga et periculosa ageretur. Adde quod, si quando oporteret conferre paroeciam sacerdoti, qui in concursu quoad doctrinae experimentum male se gessisset, semper

praxis est recurrendi pro dispensatione ad S. Sedem, quamvis aliunde tamquam satis superque doctus cognosceretur. Ita laudatus Vespignani (*l. c. IV*). Dixi *ordinarie;* aliquando enim examinatores (Cf. Acta *l. c. pag. 136*) in aliis signis fundari possent, sed tunc oporteret ut de hac re ex actis (v. g. ex requisitis supra dictis *n. 760*) constaret; secus enim iudicium ipsum in appellatione sustineri non posset, dicente Benedicto XIV (*Const. cit.*): « Iudex innitatur *solummodo* probationibus ab actis elicitis « tam respectu doctrinae quam respectu meritorum ». Addit tamen: « Ubi « vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam con- « tulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam...., fa- « miliaribus litteris iudicem (appellationis) certiorem efficiat, inviolabili « secreti lege adiecta ».

3°) Reperto concurrente idoneo quoad scientiam, oportet perpendere an sit idoneus etiam quoad mores aliasque qualitates; secus, concursus foret invalidus. S. Cong. Conc. (*12 Aug. 1606*). Cf. Vespignani (*l. c. Cap. II in fin.*).

4°) E contra, casu quo in concurrente non reperiatur sufficientia in scientia, reprobari poterit, quin reliqua examinentur. Apud Acta S. Sedis (*Vol. XIII pag. 117*) legitur: « Lex Tridentina iubet, examinatores in- « quirere debere de aetate, moribus, doctrina, prudentia concurrentium: « at, scientia deficiente, inutile videtur excutere caetera merita, eo quod « concurrens ex unius defectu *inidoneus* iam iudicatus fuerit. Scitum est « etiam ex sacris canonibus, quod ignorantes et indocti a parochiali munere « sunt arcendi; ideoque videtur ea legis dispositione examinatoribus onus « incumbere tunc solum super merita inquirendi quando concurrentes de- « terminatos scientiae gradus, facto periculo, attigerint. Sic in *Anagnina* « concursus ad paroeciam S. Pancratii *die 20 Iulii 1872,* ex eo quod exa- « minatores haud merita expenderant sacerdotis T, qui reprobatus quoad « scientiam fuerat, proposito dubio: *An constet de nullitate concursus ad « paroeciam S. Pancratii, ut in casu,* Cong. Conc. respondit *Negative.* « Quae quidem resolutio confirmari meruit in comitiis *14 Decembris* anni « eiusdem, adiecta clausula: *Et amplius* ». Cf. Vespignani (*l. c. Cap. III*).

Paritate rationis, si quis reprobatus fuerit quoad mores, absolute reprobari poterit, nec oportebit terere tempus in legendis eiusdem scriptis; scientia enim (etiam superabundans) defectum probitatis supplere, illumque ex improbo probum reddere nequit.

5°) Ut concurrens approbatus remaneat, oportet ut habeat pro se maiorem numerum examinatorum.

6° Alicubi contingere potest quod, propter malam methodum votationis et multitudinem votorum, ingeratur confusio, et appareat approbatus qui revera ab uno dumtaxat examinatore approbatus fuisset (habendo scilicet pro se maiorem numerum votorum sed non examinatorum), aut qui scientiae quidem superabundantiam haberet, sed probitate aliisve qualitatibus necessariis prorsus careret. Methodus tuta est, ut unusquisque examinator duo tantummodo vota (album et nigrum) habeat. Si approbet, album; si reprobet, nigrum; si nec approbet nec reprobet, utrumque in urnam deponat. Cf. Vespignani (*l. c. Cap. II*).

7°) Episcopus potest quidem accedere (idque actu ipso concursus et in praesentia examinatorum facere deberet) in paritate votorum; sed de caetero nequit eligere a maiori parte reprobatum; secus, electio invalida esset.

8°) Examinatores debent iudicare de sufficientia et idoneitate, sed nullum ius habent iudicandi quisnam sit magis dignus. Si tamen Episcopus hac etiam in parte eorundem consilium exposceret, vel talis esset dioe-

cesis consuetudo, tunc tale consilium quidem postea dare poterunt, sed ita ut Episcopus illud sequi nullatenus teneatur.

762. *Potestne Episcopus conferre paroeciam cuilibet ex concurrentibus, qui tamquam idoneus ab examinatoribus ei denuntiatus fuerit; an vero tenetur perpendere quinam sit magis idoneus, eumque aliis minus idoneis praeferre?* Tenetur certe conferre paroeciam magis idoneo, dicente Tridentino: « Ex hisque (idoneis) Episcopus eum « eligat, quem caeteris magis idonenm iudicaverit ». (*Sess.* XXIV *C. 18*).

Episcopus qui aliter se gereret non leviter sed mortaliter peccaret; agitur enim de salute animarum, de retributione meritorum, et de re in ipso concursus edicto concurrentibus promissa. Adde supra dicta (*n. 755 VI*).

Imo plurimi theologi dicunt quod Episcopus ad restitutionem teneretur, et hanc sententiam S. Lig. (*IV 109*) dicit esse communem et valde probabiliorem; ab eaque non audere recedere.

Aliqui dicunt etiam quod collatio esset invalida. Veritas est quod magis idoneus postpositus posset intra decem dies se appellare, eique iudex (reiecto sic indebite proviso) paroeciam conferre deberet. (S. Lig. *l. c. 102. 103*).

763. *Quaenam regulae tenendae sunt ab Episcopo, ut de maiori idoneitate recte iudicet?*

I. « Maior dignitas eligendorum non accipienda est « absolute, sed respective ad utilitatem Ecclesiae et fide« lium » S. Lig. (*IV 92*).

Rationem dat Viva (*in Prop. XLVII* Innoc. XI *n. 15*) inquiens: « Beneficia, cum conferantur primario in bonum « Ecclesiae et secundario in praemium meritorum, confe« renda potius sunt illi qui censetur Ecclesiae utilior ». Quod (*n. 17*) sic explicat: « Posse eligi minus dignum « digniore, quod minus dignus est magis utilis, vel quia « magis sedulus, vel quia magis expertus, vel quia est « indigena, vel quia minus distinetur extraneis curis etc. ».

« Caeteris paribus, censendum esse digniorem qui est « senior...., et pauper praeferendus est diviti ».

« Qui praeditus est maiori sanctitate aut prudentia,

« praeferendus est ei qui sola scientia praeeminet » S. Lig. (*l. c.*).

II. « Quando, post praemissas debitas considerationes « ac preces coram Deo, adhuc res est dubia, tunc bene- « ficia conferri poterunt alicui ex aeque dignis ». Viva (*l. c.*).

III. Maxime cavendum quoad iuvenes, ne scilicet facile tamquam magis idonei iudicentur quia melius responderunt, vel quia quemdam maiorem fervorem, vel quia quoad mores nihil contra ipsos auditum fuerit. Advertendum est enim quod 1° sui probationem adhuc dare non potuerunt. 2° Nihil vel fere nihil experientiae habent. 3° Servitia momentosa adhuc Ecclesiae non praestiterunt. 4° Defectus in senioribus apparuerunt, sed in iuvenibus apparebunt in posterum. 5° Ipsa iuventus magnus defectus est.

764. *Quid si Episcopus magis idoneo praeferret minus idoneum ex motivis bonis quidem, sed extrinsecis v. g. quia illo subiecto pro schola (in civitate ubi paroeciam ei dat) indigeat, vel quia melius sit ut dignior in loco ubi est remaneat, et alia magis momentosa paroecia in posterum ei dari velit, vel quia minus dignus iam a longo tempore concurrat (etsi, hac etiam circumstantia inspecta, minus dignus remaneat) etc.?* Quaestionem istam valde practicam apud auctores non inveni, praecise pro casu concursus; extra concursum enim certe superior pro bono publico minus dignum digniori praeferre potest, ut dicit Lugo (*De Iust. XXXIV 22*). Sed, stante concursu, certe dignior sic praetermissus se appellare posset, et Episcopus de mala (scilicet non canonica) electione damnaretur. Tunc itaque potius peti deberet a S. Sede dispensatio a concursu, quae bene obtineri poterit, quia pro generali dioecesis utilitate ita fieret.

765. *An obligatio praeferendi digniores adsit etiam quoad beneficia pro quibus concursus non datur?* Affirmative, et quidem (per se loquendo) sub gravi. Audiantur theologi sequentes.

« In beneficiis etiam simplicibus maioris momenti, « qualia sunt decanatus, archidiaconatus, canonicatus pin-

« gues et similia, nec semel liceret absque gravi culpa « digniores praetermittere: quia, licet curam animarum « non habeant, multum tamen ex eis pendet Ecclesiae « bona administratio et decor atque pulchritudo ecclesia- « stici cultus ». Ita Lugo (*De Iust. et iur. D.* xxxv *n. 20*).

« Si (consanguinei) dignioribus praeferantur, est pec- « catum personarum acceptionis in dispensatione spiritua- « lium, quorum Praelatus ecclesiasticus non est dominus « ut possit ea dare pro libito, sed dispensator, secundum « illud (*Cor. 4*): *Sic vos existimet homo ut ministros « Christi et dispensatores mysteriorum Dei* ». Ita D. Th. (*2, 2 q. 63 a. 2 ad 1*). Et (*l. c. ad 3*). « Quantum « ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem ».

« Sententia communior et probabilior docet, sub gravi « obligatione etiam ad beneficia simplicia (*limitant nisi « sint parvi momenti*) eligendos esse digniores.... Si enim « verum est (ut doctores communiter fatentur) quod be- « neficia non solum sint instituta in bonum commune, « sed etiam (licet minus principaliter) in praemium meri- « torum, patet inde ad illa maius habere ius, qui com- « mune bonum magis promovent.... Ipsa utilitas Ecclesiae « (ob quam sunt beneficia instituta) postulat de se, ut « digniores promoveantur, alioquin clerici parum incum- « berent ad digniores se reddendos, et sic valde deficeret « Ecclesiae utilitas. Hoc autem damnum non leve sed « satis notabile videtur ». S. Lig. (*IV 93*).

766. *An in casu concursus Episcopus excludere possit aliquem petentem adscribi inter concurrentes?*

I. Si se praesentet intra tempus in edicto praefixum, tunc nequit excludi. Excipe nisi de eiusdem indignitate Episcopo constaret. Vide Acta (*XVII pag. 590*).

II. Si vero se praesentet tempore iam elapso; tunc Episcopus nedum potest sed debet illum excludere. Excipe nisi, rationabili impedimento detentus, tempestive se praesentare nequivisset. Ita S. Rota apud *Monitore* (*IV.* 1 *16*).

767. *Quid si concursus ita perficerentur, ut Episcopus prius vocaret sacerdotem cui paroeciam conferre vult?* Hoc licere potest sub duabus conditionibus. Prima est quod, si ex concursu resultaret alium esse magis ido-

neum, illi et non vocato paroecia conferatur; et idem dic si Episcopus alicui non vocato paroeciam promisisset. Secunda conditio est quod vocatio ad casus urgentis et manifestae necessitatis, atque adeo rarissimos reservetur. Si enim res ista frequenter aut fere semper accideret, tunc concursus creditum amitterent, et tandem deserti vel fere deserti remanerent. Sic autem sacerdotes ad studendum, aliasque dotes sibi procurandas, stimulos (qui ex concursibus proveniunt) non amplius haberent; unde systema huiusmodi longe magis in malum quam in bonum redundaret; quamvis enim contingere posset quod interdum aliqua paroecia sic melius provideretur, aliae plurimae iuvenibus tantummodo (qui solum tunc concurrerent), indoctis, imparatis, et forte quaquaversus minus aptis, conferri deberent. Adde quod de ipsa validitate concursuum dubitari posset, de concursibus enim non iam sinceris sed illusoriis ageretur.

PUNCTUM VI.

De vigilantia super clerum ab Episcopo adhibenda et de remediis apponendis.

768. Certe Episcopus debet modo particulari vigilare super clerum; idque praestabit (speciatim si habeat indicia) informationes capiendo v. g. per vicarios foraneos, vel occasione sive audientiae quotidianae sive visitationis pastoralis etc.

Caveat tamen ne spontaneis delatoribus facile credat, aut confidentias faciat, vel utcumque demonstret se de hoc vel illo male sentire.

Pro remedio autem, admonitiones paternas in camera charitatis (et quidem eas quoque prudenter) faciat; nec ad punitiones procedat nisi certus sit quod delictum vere subsistat, et quod ex punitione maiora mala secutura non sint, prout (maxime in his miserrimis temporibus) contingere posset, si punitio ipsa redderet certum quod apud populum dubium esset.

Recursus quidem audiat, sed ordinarie contra parochos, magistros etc. iisdem non obsecundet, bene vero (quantum potest) eorum gesta excuset, vel etiam (si casus ita ferat) aperte approbet, sustineat, confirmet et laudet. Nihil profecto peius quam si parochus, vel alius quilibet superior, exauctoratus remaneat: quemnam enim tunc influxum habere aut quid boni facere poterit?

Caeterum aliquando punitiones sunt necessariae, ut caeteri timorem habeant, neque profecto maiora mala sunt semper ita pertimescenda, ut ad exemplarem aliquam punitionem nunquam procedatur.

PUNCTUM VII.

De obligatione qua Episcopus detineri potest illis maioribus dioecesis necessitatibus providendi, quibus providere ad alios non spectet.

769. Casus huiusmodi esse possent sequentes. 1° Necessitas construendi novam ecclesiam parochialem aut subsidiariam v. g. propter nimiam alicuius paroeciae vastitatem, distantias, novas fabricationes, novas instaurationes (it. *benificiales*) etc. 2° Necessitas deveniendi ad aliquam paroeciae dismembrationem, vel diversam delimitationem. 3° Necessitas providendi spiritualia in carceribus, vel in novis hospitiis v. g. pro senibus, chronicis etc.

PUNCTUM VIII.

De speciali necessitate ut Episcopus animadvertat ad ea quae in publicum malum, atque ad ea quae in publicum bonum redundant, ut quantum fieri potest illa impediat, et ista instituat vel iam instituta conservet atque meliora reddat.

770. In malum publicum redundant sectae, diaria, publicationes et publici sermones, si contra fidem aut bonos mores sint. Item mali professores in scholis, mali consiliarii in municipiis, mali directores in publicis insti-

tutis etc. E contra tamquam e diametro opposita in bonum publicum redundant societates catholicae, bona diaria, bona ephemerides, boni libri, conferentiae in favorem Religionis et bonorum operum, boni magistri, boni consiliarii, boni superiores in institutis etc.

PUNCTUM IX.

De obligatione qua tenetur Episcopus non solum ut bona instituta promoveat, ut supra, sed etiam efficiat ut bene dirigantur.

771. A bona directione omnia pendent; si enim instituta etiam optima male dirigerentur, vel parum boni producerent, vel etiam (sin minus in malum degenerarent) corruerent.

In statuto generali operae congressum (*Art. 1°*) dicitur, operam ipsam procedere debere *sotto la scorta dell'Episcopato*. Et Leo XIII (in Encyclica *Inimica vis*) dixit: « Vestrum est, venerabiles fratres, accendere suasione, hortatu, exemplo animos..., pariterque efficiendum « ut *ductu auspiciisque vestris* una omnes mente eademque « disciplina in certamen animose descendant ».

Hinc Episcopi tenentur speciatim 1° attendere bonae electioni illorum qui comitatum dioecesanum componere debent. 2° Designare assistentem ecclesiasticum cum debitis instructionibus. 3° Occurrentibus casibus, in quibus conveniat vel oporteat ut comitatus (sive regionales, sive dioecesani, sive parochiales) auxilium praestent et pro bono dioecesis et religionis aliquid faciant, de his rebus cum Praesidibus agere et convenire. 4° Si res male verterent, et consilia propria non iuvarent, tunc ad ipsam S. Sedem pro remedio recurrere.

PUNCTUM X.

Sacerdotes suos Episcopus bene cognoscat, atque satagat ut vires suas ita exerceant, ut ex iisdem in bonum dioecesis, quantum fieri potest, utilitatem capiat.

772. Cognoscat scilicet quantum unusquisque valeat virtute, ingenio, doctrina, et in hoc caveat ne deceptus remaneat (quod speciatim in primis sui episcopatus annis contingere potest).

Regulam autem exinde sumat in officiis distribuendis; nec sit de illis qui, neglectis dignis prae humilitate nihil exigentibus, solum audacibus, et importunis atque adulatoribus illa conferunt.

PUNCTUM XI.

Sit homo sui temporis, et novis malis nova remedia apponat.

773. De re ista, utique valde necessaria, explicationes hic non superaddo, de illa autem in *Theologia pastorali* (*n. 690-726*) ex professo, et descendendo valde ad particularia, sermonem feci.

PUNCTUM XII.

De quibusdam necessariis ut Episcopus obligationibus adeo multiplicibus atque adeo onerosis bene et congrue satisfacere possit.

774. I. Oportet ut curiam suam bene constituat, ut scilicet personis vere idoneis officia admodum momentosa vicarii generalis, secretarii, cancellarii etc. committat. Oportet insuper ut (si possibile sit) suum canonistam civilemque iurisconsultum habeat. Oportet etiam ut quaedam negotia commissionibus expedienda tradat. Extrema autem apposita sunt: omnia facere per se ipsum: omnia facere per alios.

II. Oportet ut vere sit *homo Dei* et *non quaerat quae sua sunt, sed quae Iesu Christi.* Seclusa hac plena sui ipsius mortificatione, Episcopus erit (ut ita dicam) *homo pacis suae:* partes odiosas, et negotia laboriosa vel fastidiosa vel dispendiosa declinabit. Eius modus se gerendi erit, omnibus annuere, omnes contentos reddere, medias (uti aiunt) mensuras semper adhibere, in tricis nunquam se constituere, et odia omnia in alios refundere. Interim v. g. scandala adsunt, legata pia non adimplentur, capitalia et iura Ecclesiae deperduntur etc. etc.; sed, quia correctiones essent faciendae et remedia fortia essent adhibenda, Episcopi huiusmodi super omnia oculos claudent et omnia tolerabunt: cum quanto dioecesis detrimento, unusquisque videt.

775. N. B. Plura alia essent dicenda vel fusius explicanda, sed, quum de his omnibus egerim ex professo in opusculo, quod inscribitur *De Episcopo,* hic praedicta sufficiant.

CAPUT IX.

DE CANONICIS.

776. Iam composui opusculum, in quo de officiis canonicorum tum in generali tum in particulari ex professo pertractavi.

Hic tamen de punctis principalibus, in quibus practice defectus contingere solent, breviter verba facio sub forma sequentis

CASUS CONSCIENTIAE.

Quidam canonicus abest a choro pro lubito suo, et dicit: tribus mensibus iam habeo vacationes, et ultra illas solvo quidquid debeo pro punctaturis. Dicit insuper se habere causas, nempe alia officia, nec firma gaudere valetudine, et iam se esse senem. Dicit demum quod identidem alium sibi substituit. Dum autem choro intervenit, modo sine causa urgenti discedit, modo non cantat, modo dormit et modo cum canonicis ad latus suum stantibus confabulatur. Praeterea ad sessiones capitulares

(*it.* sedute) *se confert rarissime et fere solum quando agitur de rebus pro quibus commendationem aliquam recepit et votum suum promisit; et, tunc magno clamore collegas in suam sententiam trahit, qua re obtenta, discedit. Denique nullum officium particulare* (*v. g. sacristae, fabricerii etc.*) *acceptare vult, et dicit modo se esse ineptum, et modo aliis* (*ut supra*) *officiis praepediri. Videtur autem quod in his omnibus sine scrupulo ullo ita se gerat.*

777. *Quid de dictaminibus istis?*

RESPONSIO.

Incredibile est quod canonicus sine remorsu et quieta prorsus conscientia dictamina huiusmodi sibi efformare possit. Oporteret enim ut nedum summa levitate laboraret, sed etiam ignorantissimus et pene dixerim stupidus foret. Quisnam rusticus ignorat, in ecclesia non esse confabulandum? Nonne pueri quoque sciunt, in orationibus maxime vero in ecclesia, devotionem esse servandam? Canonici praecellentissimo bono exemplo nedum saecularibus sed etiam sacerdotibus praefulgere debent. In hunc finem pii benefactores eorum praebendas constituerunt. Sed nunquid quia praebendas habent, a choro pro libitu abesse, et quando interveniunt tam male se gerere poterunt sine scrupulo?

Nunc veniamus ad particularia in casu exposita.

Imprimis canonicus noster dictam absentiam a choro excusare praetendit dicendo: *tribus mensibus iam dantur vocationes, et ultra illas solvo quidquid debeo pro punctaturis.*

Sed nunquid ratio ista valebit ut canonicus possit abesse a choro pro libitu suo? Minime profecto; advertenda enim sunt sequentia.

Quoad vocationes, verum est quod canonici tribus mensibus (sive continuis sive interpolatis) illas habent quotannis; sed 1° Abesse nequeunt in quadragesima, in adventu, et in maioribus anni festivitatibus. 2° Quum relate ad chorum vacationes nunquam adsint, canonici iuri quidem

suo uti poterunt, sed ita ut alii in numero sufficienti pro congruo et decenti chori aliarumque functionem servitio semper remaneant (1). 3° Expressa Episcopi licentia exigeretur, si canonicus non solum a choro abesse, sed etiam extra dioecesim ad notabile tempus se conferre vellet. De his omnibus vide decreta apud Lucidi (*Vol. I. C.* III. *n. 11*).

Quoad absentiam ultra tres menses vacationum, certe canonicus non eximitur a peccato ea sola ratione quod solvit quidquid debet quo punctaturis. Audiantur theologi. S. Ligorius (*III 675*): « Verius Suarez, Bonacina etc. « docent peccare mortaliter (canonicum) qui a choro abest « notabiliter ultra tempus a Tridentino permissum. Ratio « est quia..... obligatio assistendi (choro) non oritur ex » distributionibus, sed ex primaria institutione ipsius be- « neficii (canonicalis)... Dixi autem *notabiliter,* nam si « absit canonicus per tres vel quatuor dies, est communis « sententia non peccare graviter ». D'Annibale (*III 568*):

---

(1) Notandum quod id non est intelligendum de numero qui pro aliquo casu sufficeret (sic enim duo canonici cum aliquo mansionario possent sufficere, ut videre est apud Ferraris v. *Canonicus A. V n. 50*), bene vero intelligi debet de numero semper sufficienti, semperque decenti.

Quinam numerus canonicorum hoc sensu requiratur, decisio pendet praecipue a numero totali ipsorum, qui singulis diebus intervenire debeant; aliud enim si v. g. viginti vel triginta, et aliud si tantummodo duodecim vel decem vel octo forent. Hinc S. C. C. de hoc interrogata modo respondit, numerum sufficientem remanere si quarta tantummodo vel ad summum tertia pars canonicorum abesset; et modo respondit standum esse iudicio Capituli, probante etiam Episcopo. Vide Lucidi (*l. c.*) et Scavini (*I n. 431*).

Practice distinguendum est inter absentias interpolatas et valde breves nempe horarum tantummodo vel alicuius diei, et absentias continuas (v. g. absente canonico per integras hebdomadas vel integros menses). Interpolatae et breves remittendae sunt discretioni canonicorum, quin ipsi ullam licentiam petere teneantur; sed quoad continuas, si Capitulum non sit valde numerosum, et proinde adsit periculum ne in quibusdam epochis (v. g. in autumno) chori et ecclesiae sufficiens servitium deficiat; tunc prorsus necessarium esset ut (relate ad epochas praedictas) licentia tempestive peteretur a Praefecto chori, qui considerare deberet imprimis quot canonici sive propter officium (nempe officium poenitentiarii) sive propter infirmitatem vel balnea etc. a choro abfuturi sint necessario; ex hoc enim coniiciet quot aliis (propter rusticationem, venationem, itinera etc.) licentiam abessendi concedere poterit: procurando (quantum possibile erit) res ita componere ut praeferantur illi, quibus (attentis circumstantiis) magis convenit ut licentia concedatur. Patet autem quod licentia ipsa posset esse limitata (v. g. exceptis diebus festivis) vel conditionata (v. g. nisi canonicus aliquis infirmetur); et notandum quod ut plurimum ex sese conditio subintelligitur, et licentia concessa revocabilis est.

« Qui absunt a choro ultra menses vacationis, graviter « peccant, quamvis distributionibus cedant..., nisi forte « tribus vel quatuor anni diebus absint » (1). Scavini (*I 431. 3*): « Errant ergo canonici illi, qui se tutos in « conscientia putant, quia si absunt sine causa a choro « ultra dies permissos, distributiones etiam libenter cedunt; « obligatio enim chori est a distributione ipsa independens ».

Sed canonicus noster dicit *se habere causas, nempe aliis officiis praepediri, non firma gaudere valetudine, et iam se esse senem.*

Circa causas respondeo prius in genere faciendam esse differentiam inter causam et causam. Aliquae enim causae sunt ita leves et futiles ut nullatenus excusent. Aliae sunt ita graves ut per se semper excusent, modo amittendo distributiones, modo etiam illis gaudendo. Aliae excusant quidem, sed ita ut pro illis canonicus procurare debeat ut mensibus vacationum utatur. Aliae denique sufficiunt ut obtineri possit dispensatio a S. Sede; sed, illa seclusa, per se non excusant.

778. *Quid itaque de canonico nostro dicente se* ***habere alia officia?*** Nisi agatur de officiis quae ipso iure excusant (v. g. poenitentiarii et parochi), vel de absentia a choro ultra menses vacationum parum protracta (iudicio Episcopi), indultum apostolicum exigeretur. Cf. *Monitore* (*Vol. XI pag. 377*).

779. *Quid de alia causa adducta* ***non firmae valetudinis?*** Ut canonicus defectu valetudinis excusetur, infirmitas debet esse talis, ut sine gravi incommodo vel periculo ad chorum se conferre nequeat. Potest etiam contingere quod ex hoc capite excusetur in parte et non totaliter, quatenus scilicet v. g. excusetur a cantu sed non a praesentia, vel saltem diebus solemnioribus intervenire teneatur. (Cf. Lucidi *I. Cap. III § 1 n. 59*, et Pallottini v. *Canonici § VIII n. 66*). Adde quod canonicus infirmus non posset gaudere distributionibus, si, dum

(1) Aliqui indulgentius loquuntur, et censent quod circa peccati gravitatem sumi debeat regula a circumstantiis, et maxime a maiori vel minori necessitate pro servitio chori. Vide Ferraris (v. *Canonicus A. V n. 31*).

sanus erat, negligens fuisset; ut patet ex Decr. S. C. C. dicente: « Distributiones quotidianas ita demum oratori « infirmo deberi, si alias ecclesiae solitus erat inservire, « cuius iustificatio remittitur conscientiae Episcopi ». Maxime autem notandum quod Capitulum potest et facile debet se tutum reddere de vero rerum statu, canonicum visitando, vel medici (aut etiam, si opus esset, duorum medicorum) fidem iuratam exigendo. Vide *Monitore* (*Vol. IV pag. 26,* et *Vol. XIV pag. 376*).

780. *Quid de causa* ***senectutis?*** Tria dico. 1° Sola senectus per se non excusat; plures enim septuagenarii, vel etiam octuagenarii, robusti et plusquam iuvenes adhuc validi sunt. Oportet itaque ut alia adiuncta superaddantur. 2° Aliquando senes excusantur in parte (v. g. tempore hyemali, vel a missis cantatis etc.), sed non in toto. 3° Ut senes etiam in absentia distributiones lucrari possint, oportet ut (sicut supra dicebam de infirmis) prius laudabile servitium praestiterint. De his omnibus vide *Monitore* (*Vol. IX pag. 161*).

781. *Sed canonicus noster dicit* ***etiam quod identidem alium sibi substituit.*** *Valetne excusatio ista?* Quidquid sit utrum Tridentinum substitutiones absolute vetuisset; nunc certe permittitur ut canonicus (etiam sine causa) alium sibi substituat; attamen sub sequentibus conditionibus. 1° Oportet ut substitutus sit de gremio Capituli, scilicet praebendatus vel mansionarius, nec sufficit quod sit canonicus honorarius. S. C. C. apud Lucidi 2° Oportet ut substitutus non teneatur tunc inservire pro se, bene vero v. g. sit iubilatus vel exemptus propter vacationes. 3° Oportet ut substitutiones non sint nimis frequentes, iudicio Episcopi. 4° Oportet ut substituens non deficiat residentiae et quidem remaneat in civitate vel suburbio vel territorio. 5° Substitutiones fieri possunt etiam quoad missam cum cantu *pro turno,* sed pariter non frequenter, et substituendo Dignitarium si forte a Dignitario esset cantanda. De his omnibus vide Lucidi (*Vol. I Cap,* III *n. 21 et seqq.*); *Monitore* (*Vol. IX pag. 163, et X 116*) et Ferraris v. *Canonicus* (*n. 84*).

Nunc agendum est de aliis casibus, in quibus canonicus noster ad chorum quidem se confert, sed in illo male se gerit. Defectus indicantur singillatim in expositione casus, et sunt illi ipsi qui, simul cum praecedente, comprehenduntur in celebri versiculo dicente:

Canonicus absens, deambulans, non cantans, dormiens, confabulans.

782. *Quid itaque imprimis de canonico* ***deambulante?*** Hoc accidit quando canonicus exit a choro, vel deserit missam conventualem, sine causa urgenti, et plus vel minus in sacristia vel alibi moratur. Certum est quod nequidem ratione audiendi confessiones, aut celebrandi missam (nisi ageretur de missa ad commodum ecclesiae diebus festis cum licentia Praefecti chori), chorum (sine amissione distributionum) deserere posset; unde procul dubio debet punctari. S. C. C. *27 Sept. 1832.* Cf. Lucidi et Pallottini (v. *Canonici § 211 et seqq.*). Sed quid si canonicus ab aliqua persona ad sacristiam vocaretur? Providendum ut personae expectent, et canonici non advocentur nisi pro casibus urgentibus; in quibus etiam canonici ipsi quo citius fieri possit se expedire tenerentur. Quid de canonico dicente se a choro exire (etiam quotidie) indigere et paullisper in sacristia immorari causa salutis? Hoc, speciatim in illis qui nervismo et vertiginibus laborant, et maxime quando psalmodia in longum protrahitur, contingere potest reapse. Videndum itaque an de necessitate vera, an potius de praetextu agatur; et certe qui saepe saepius a choro exiret neque distributiones amittere praetenderet, causa (nisi esset manifesta) ab illo declarari atque a Capitulo probari deberet. Vide Scarfantonium (*L. II Tit. XIV*).

783. *Quid de canonico* ***non cantante?*** Non exigitur ut canonici proprie cantent, bene vero ut non submissa sed aliquantulum elata voce et placida modulatione psallant. Secus, essent considerandi tamquam absentes et sine dubio punctandi, ut patet ex pluribus S. C. C. resolutionibus, atque ex Bulla *Cum semper* et Brevi *Praeclara* Bened. XIV. Vide Lucidi (*Vol. I Cap.* III *n. 5*), et Scavini (*I n. 433*).

784. *Quid de canonico* ***dormiente?*** Nec choro nec obligationi officii satisfaceret et postea teneretur supplere unde ille quoque punctari deberet. Hoc vetitum fuit a pluribus conciliis, ut videre est apud Lambertini (*Const. CVII 15*). Aliud tamen esse posset si canonicus non proprie dormiret, sed solum (vim contra somnum faciendo) dormitaret. Cf. Scarfantonium (*Lib. II Tit.* VIII *n. 31*).

785. *Quid de canonico* ***confabulante?***

I. Confabulatio accidere potest speciatim 1° quando hebdomadarius legit nocturnorum lectiones; 2° inter versiculum et versiculum, dum scilicet altera pars chori respondet; 3° dum legitur martyrologium; 4° dum musici cantant et sonat organum; 5° tempore missae cui canonici in presbyterio assistunt.

III. Canonicus ita se gerens peccat, imprimis quia male orat, deficiente attentione non solum interna sed etiam externa; loquitur enim, et dum psallit de dictis et de dicendis cogitat.

III. Non excusatur ignorantia vel debilitate iudicii, sicut in rudibus et in pueris contingere posset.

IV. Peccat contra reverentiam ecclesiae debitam.

V. Agitur de oratione, pro qua emolumenta, nempe fructus praebendae, et fortasse decimas recipit.

VI. Agitur de oratione publica et solemni facta nomine Ecclesiae a sacerdote, imo a canonico qui ex officio debet orare et laudare Deum exemplariter.

VII. Confabulationes ut plurimum coniunguntur cum variarum specierum circumstantiis, modo enim evagationes oculorum, modo cachinni, modo derisiones, modo censurae (it. *critiche*), modo murmurationes, modo turbatio aliorum etc. locum habent. Adde circumstantiam quam maxime noxiam, quae consistit in scandalo, quod datur mansionariis, et subinde (quando interveniunt) seminaristis, atque etiam (si in presbyterio confabulatio fieret) populo.

VIII. Huiusmodi agendi ratio in dedecus nedum canonicorum sic confabulantium, sed etiam totius Capituli redundat.

IX. Canonicus confabulans nec officio nec choro satisfacit. Ad satisfaciendum enim non sufficit psallere mate-

rialiter, sed exigitur etiam ut canonici attendant ad versiculos qui ab alia chori parte cantantur, atque ad ea quae ab hebdomadario leguntur. Cf. Scarfantonium (*L. II tit.* VII *n. 21. 22*).

X. Canonici qui ita se gerunt debent punctari. Patet ex pluribus decretis. « Canonici confabulantes in choro « sunt punctandi et privandi distributionibus tamquam « absentes ». Ita S. Congr. Episcoporum et Reg. *7 Sept. 1597* (apud Ferraris v. *Canonicus A. V n. 59*). Et S. C. Concilii (id confirmans et punctationis ipsius modum declarans) ad quaesita : 1° « *An confabulantes in choro tem-* « *pore divinorum officiorum amittant quotidianas distri-* « *butiones?* 2° *An confabulationes istae possint constitui* « *a pluribus parvis collocutionibus?* Respondit : Ad pri- » mum affirmative. Ad secundum affirmative si plures « fiant in eadem hora. *27 Mart. 1837* » (apud Scavini *I n. 599*).

Notandum quod haec punctatura non est sicut illa quae fit pro simplici absentia computanda ut plurimum pro vacationibus permissis, bene vero est pro vero peccato, atque adeo probrosa ; imo si frequenter id accideret, et punctaturae ad canonicum emendandum non sufficerent, correctiones et forte etiam aliae poenae (v. g. mulctae) adhiberi possent ; et certe Episcopus in his et similibus casibus illas infligendi facultatem habet. Sed quid si punctaturae minime adhiberentur? Tunc 1° Capitulum, legibus et decretis S. Sedis contraveniendo, in culpa esset et quidem gravi ; notissimum enim est quod punctaturae condonari non possunt, et haec condonatio gravissime prohibetur. 2° Canonicus pro distributionibus indebite receptis ad restitutionem in conscientia teneretur. De his omnibus vide Benedictum XIV (*Instit. CVII n. 25 et 44*).

Sed nec correctiones, nec punctaturae, nec aliae poenae erunt necessariae, bene vero motiva spiritualia sufficient. Clemens XI (Encycl. ad Episcopos Italiae *an. 1703*), loquendo de canonicis, dixit : « Modestiam et silentium « decenter praeseferant, quemadmodum illos decet maxime, « qui ante conspectum Maiestatis Divinae versantur, ut « psallant magno pietatis studio..., ut hac ratione populus

« intelligat divinas laudes, et ad pietatem ac religionem « ex ipsarum cantu moveatur ». Elevent itaque iam inde ab initio mentem ad Deum, et non ore tantummodo, sed ex corde, atque, ad singula orationis praeparatoriae verba devote reflectendo, dicant : « Aperi, Domine, os meum ad « benedicendum nomen sanctum tuum. Munda quoque cor « meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationi- « bus. Intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, « attente ac devote hoc officium recitare valeam, et exau- « diri merear ante conspectum Divinae Maiestatis tuae.... « Domine in unione illius divinae intentionis, qua ipse in « terris laudes Deo persolvisti, has tibi horas persolvo ». In decursu autem officii modo ad Deum mentem et cor erigant, modo pios affectus iuxta sensum verborum concipiant, et modo cogitent quod psallunt cum Angelis *almae Sionis aemuli*.

786. *Sed quid de canonico nostro, qui ad sessiones capitulares rarissime se confert, et fere solum quando agendum est de rebus pro quibus commendationem aliquam recepit et votum suum promisit?* De sessionibus capitularibus (quae vulgo dicuntur *capitula*) egi ex professo in opusculo, quod inscribitur *De Canonicis*. Hic duo dico.

Primum est quod canonici veram habent obligationem interveniendi capitulis, quae (ut per se patet) sunt omnino necessaria ; et haec obligatio facile est gravis (ut patet etiam ex punctaturis, quae elevatae admodum esse solent). Quando autem, non interveniendo, peccatum mortale committeretur revera, pendet a circumstantiis, et maxime tum a gravitate rerum quae erunt pertractandae; tum a gradu influxus quem canonicus sive quoad discussionem sive quoad votum habere posset ; tum denique a qualitate causae, propter quam canonicus ab interventu abstineret. Caeterum sola ratio vacationum excusaret quidem etiam a veniali, si abessendo nihil mali timeri posset; non vero si gravia vel gravissima mala pertimesci deberent. Peccat itaque canonicus noster (et facile graviter) eo quod ad capitula rarissime se conferat.

Secundum est quod canonici in capitulis recta intentione procedere debent, unice sibi praestituendo veritatem,

iustitiam, decentiam, convenientiam et maius bonum. In casu autem videtur quod canonicus, quando intervenit, iam sit determinatus votum suum dare iuxta commendationem receptam et promissionem factam, quidquid sit de motivis supradictis, quae ex discussione in capitulo facienda, et forte in contrarium futurae essent; unde ex hoc etiam capite peccare (et quidem graviter) posset.

787. *Sed canonicus noster in suam sententiam alios trahit magno clamore. Quid de illo? Quid de istis?*

In capitulo negotia pertractanda sunt rationibus, non vero clamoribus, qui accidunt quando capitulares ex passione loquuntur, maxime vero quando plures eodem tempore loqui volunt, atque conantur obtinere clamoribus quod rationibus (quae deessent) optinere nequirent. De decisionibus inconsultissimis (et facile damnosissimis) exinde proventibus in culpa essent 1° Qui ad capitulum se conferrent fortiter determinati, discussione non audita. 2° Praepositus qui rem non bene exponeret, discussiones non bene dirigeret, et confusionem atque clamores permitteret; ubi notandum quod, si animi essent nimis accensi, ille ad aliud tempus decisionem remittere posset et facile deberet. Denique 3° in culpa essent illi canonici, qui ad rationum expositionem non attenderent, vel utcumque illas non considerarent, sed iuxta fortius clamantes votum darent. Isti omnes utique de malis consequentiis essent responsabiles, atque ad damnorum (quae forte subsequerentur) reparationem in conscientia teneri possent.

Quum autem canonicus noster, *votatione subsecuta et scopo suo obtento, a capitulo recedat,* in hoc etiam male se gerit, et quidem ita ut tamquam non intervenisset punctari debeat, iuxta effatum: *Non venisse dicitur qui venit et illicentiatus discedit.*

788. *Quid denique de canonico nostro qui nullum officium particulare (v. g. sacristae, fabricerii, secretarii, archivistae etc.) acceptare vult; et dicit modo se esse ineptum, et modo aliis occupationibus detineri?* Hac de re breviter quatuor dico.

I. Canonici, seclusa iusta causa (ut infra), tenentur in conscientia acceptare officia quae a capitulo eis assignantur.

Patet imprimis ex ipsa rei natura; haec enim officia sunt necessaria, neque officiales extra capitulum quaeri possunt. Si recusatio liceret uni, liceret etiam aliis, et sic necessarium servitium deficeret. Etsi autem amore pacis, et ad supplendum ignaviae vel pervicaciae recusantium, alii acceptarent, semper verum esset quod capitulum cogeretur vel tradere officia illis in quibus minorem vel etiam nullam confidentiam reponit, vel committere plura officia uni eidemque canonico, qui (prout ordinarie contingeret) illis omnibus convenienter satisfacere non posset, nisi etiam esset de illis qui omnia acceptant et nihil adimplent. Profecto de his malis consequentiis recusantium conscientia oneraretur.

Patet secundo ex S. Sedis decretis. Apud Scarfantonium (*L. IX Tit.* II *n. 44*) legitur : « Omnes canonici « tenentur et cogi possunt ad subeunda officia et munia « capitularia, ad quae fuerint electi, nec ab acceptatione « eximi possunt renuntiando voci activae et passivae, ut « censuit S. C. C. in *Nullius seu Terlibiens.* (*14 Ian.* « *1690*) ».

Haec autem obligatio strictius urget intuitu retributionis ; canonici enim gaudent redditibus praebendae, qui profecto non pro choro dumtaxat, sed etiam pro officiorum adimplemento eis suppeditantur.

II. Si canonicus iustas officium non acceptandi causas se habere existimaret, posset certe illas capitulo manifestare, sed iudicium de sufficienti excusatione ad capitulum ipsum spectaret. Ad summum, si capitulo in sua decisione firmo permanente, canonicus se omnino iniuste gravatum esse existimaret, ad Episcopum recurrere posset.

III. Si canonicus, officium recusando, diceret (prout in casu) se esse ineptum, excusatio ista ordinarie non valeret; ex una enim parte parum sufficere solet ut unusquisque satis idoneus vel sit vel cito evadat ; et ex alia necessitas efficere potest ut etiam minus idoneus eligatur, quum enim de gremio capituli esse debeat, in numero adeo restricto facile contingere potest quod solum minus idoneus inveniatur.

IV. Si denique canonicus se excusaret dicendo se habere alia officia capitulo extranea, ordinarie de praetextu futilissimo ageretur; illa enim ut plurimum cum quolibet officio canonicali compatibilia sunt, atque insuper contingere potest quod, si essent incompatibilia, illa dimittere teneatur; idque maxime si nulla necessitate coactus illa acceptasset, aut gratis se praestaret in officiis ad quae nullatenus teneretur, dum interim illa quae ad proprium munus pertinent, et pro quibus praebendam habet, acceptare et adimplere recusaret. Quod reapse ratione aliarum occupationum canonicus difficile excusetur, hoc adeo verum est, ut S. C. C. (*29 Mart. 1652*) censuerit, nequidem Vicarium Capitularem ab acceptando alio officio ei assignato excusari.

789. Quod autem dicitur de officiis acceptandis, dicendum est etiam de illis non renuntiandis.

Qui autem sine causa vere iusta officium non acceptaret, aut illud renuntiaret, gravi quoque mulcta plecti posset, prout Romae fieri solet.

CAPUT X.

DE PAROCHO.

790. *Quaenam sunt parochi* ***obligationes?***

Parochus tenetur 1° Residentiam servare. 2° Missam *pro populo* celebrare. 3° Sermonem ad populum habere, illum (circa omnia necessaria) instruendo et Evangelium explicando. 4° Specialem habere curam puerorum, illos catechizando etc. 5° Sacramenta administrare. 6° Vigilare, corrigere, et satagere ut scandala auferantur. 7° Discordias componere. 8° Bono exemplo omnes praecedere. 9° Moribundos assistere. 10° Defunctis ecclesiasticam sepulturam dare. 11° Libros parochiales (v. g. status animarum, matrimoniorum, mortuorum etc.) semper in regula servare et archivium custodire. 12° Quatenus opus sit, vicarium et coadiutores sibi adiungere. 13° Adimplere officia beneficiati et custodis ecclesiae. 14° Debitis satisfacere officiis erga parochos conterminos, maxime vero erga Episcopum,

N. B. De his omnibus vide explicationes in meo opere quod inscribitur *Theologia pastoralis*, quae, speciatim a parochis, est omnino videnda (*n. 1-737*).

791. *Quaenam sunt parochi* ***iura?*** Parochus ius habet (et quidem exclusivum) speciatim 1° Circa sacramenta viatici et extremae unctionis parochianis administranda. 2° Circa matrimonium. 3° Circa communionem paschalem. 4° Circa benedictionem domorum in paschate. 5° Circa sepulturam ecclesiasticam (attamen solum iuxta canonicas sanctiones). 6° Circa interventum ad synodum diocesanam. 7° Circa decimas aliosque fructus praebendae suae.

N. C. De his etiam vide explicationes (*l. c. n. 737-938*).

CAPUT XI.

DE ALIIS QUI PAROCHI NON SUNT, SED PRO CURA ET BONO ANIMARUM PLUS VEL MINUS LABORANT.

792. Hi (praeter simplices confessarios, de quibus agam infra *De sacramento poenitentiae*) sunt praecipue 1° Vicarii parochiales. 2° Curati, oeconomi et coadiutores. 3° Capellani hospitalium. 4° Confessarii monialium. 5° Concionatores. 6° Superiores in seminariis et collegiis.

Sed etiam de his omnibus egi quantum satis in *Theologia pastorali* (*n. 934-1044*), ad quam proinde iterum lectores remitto.

TRACTATUS III.

De Sacramentis in genere.

Agendum est 1° de natura; 2° de ministro; 3° de subiecto sacramentorum.

CAPUT I.

DE NATURA SACRAMENTORUM
SCILICET DE EORUNDEM ESSENTIA, NUMERO, MATERIA,
FORMA ET EFFECTIBUS.

ARTICULUS I.

De essentia et numero sacramentorum.

793. ***Quid** et **quot** sunt sacramenta?*

Sacramenta sunt signa sensibilia quae vim habent nedum significandi sed etiam conferendi gratiam ex opere operato et ex institutione Christi.

Differunt a sacramentalibus (cuiusmodi sunt, v. g. aqua lustralis, benedictiones etc.), quae instituta fuerunt ab Ecclesia, et gratiam ex opere operato non conferunt. Differunt etiam a sacramentis veteris legis (v. g. circumcisione, agno paschali etc.) quae pariter gratiam non conferebant, sed solum significabant etc.

Sacramenta autem esse *septem,* scilicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem sacrum et matrimonium, unusquisque novit.

794. *Quae in sacramentis exiguntur suntne omnia necessaria pro valido?*

Negative. Quaedam enim circa materiam, formam, ministrum et subiectum exiguntur pro valido; et quaedam alia solum pro licito.

Sic v. g. quoad baptismum tum caerimoniae tum ordo sacer in ministro, tum dispositiones in subiecto adulto solum pro licito exiguntur.

ARTICULUS II.

De materia et forma sacramentorum.

795. *Quid de* ***materia*** *et* ***forma*** *sacramentorum?*

Signum sensibile, ex quo sacramentum conficitur, partim ex materia et partim ex forma constat. Materia in re, et forma in verbis consistit. Sic in baptismo materia est aqua, et forma sunt verba: *Ego te baptizo* etc.

Materia autem distinguitur inter *remotam* et *proximam*. Remota est res ipsa, proxima autem est illius applicatio; unde in baptismo materia remota est aqua, et proxima est ablutio.

Quod tamen sacramenta constent materia et forma, cum aliqua discretione intelligi debet. Sic quoad eucharistiam, materia et forma sunt de essentia dum conficitur sacrificium, non vero dum ministratur sacramentum. Item essentia matrimonii in solo contractu, seu in sola mutua traditione iuris ad corpus, utcumque (atque adeo etiam solis signis) expressa, consistit. Essentia denique sacramenti poenitentiae, iuxta Scotum (attamen contra communem) in sola forma residet.

796. *Quid si in materia aut forma sacramentorum* ***mutationes*** *fierent?*

Mutatio *substantialis* obstat validitati sacramenti; *accidentalis* non obstat.

Si non dignoscatur an mutatio sit substantialis necne, sacramentis validitas dubia erit. Unde sacramentum potest esse vel certe validum, vel certe invalidum, vel dubie validum.

Mutatio *in materia* erit substantialis 1° si pristinam naturam per corruptionem amiserit (v. g. vinum evasit acetum); 2° si suo naturali usui deservire amplius nequeat (v. g. ex aqua factum est atramentum); 3° si iuxta communem aestimationem amplius dici nequeat illa quae a Christo fuit determinata (v. g. si vinum et aqua aequali

quantitate misceantur; tunc enim nec vinum nec aqua, sed mixtio utriusque dici posset).

Mutatio *in forma* erit substantialis si sensus formae ipsius a Christo institutae destruatur: quod accidere potest 1° additione; 2° detractione; 3° corruptione; 4° transmutatione; 5° versione; 6° transpositione; 7° interruptione; 8° substitutione.

Additione, ut puta, si diceretur: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti et Beatae Virginis,* intelligendo quod non valeat baptismus nisi etiam in virtute B. Virginis. Aliud esset si adderetur aliquid indifferens, v. g.: *Ego te baptizo hac aqua in nomine* etc.

Detractione, v. g. si diceretur: *Ego baptizo* (reticendo *te*), et pariter si diceretur: *Ego te in nomine Patris* etc. (reticendo *baptizo*). Casus iste facile accidere potest in illis qui ex habituali praecipitatione aut lapsu linguae, solum prima et ultima verba proferre solent. Aliud esset si reticeretur aliquid non substantiale, vel quod subintelligatur, dicendo v. g.: *Baptizo te* etc., reticendo *ego.*

Corruptione verborum, v. g. dicendo: *Ego te baptizabo;* vel: *ego te absolvi;* vel: *ego te bapzo* etc. Aliud esset si (prout contingit in iis qui litteram *r* pronuntiare nequeunt) diceretur *Patvis, Spivitus* etc.; sic enim communi intelligentia corruptio est levis et sensus minime destruitur.

Transmutatione, ut puta, si in baptismo diceretur: *Ego te ungo* etc. Aliud est si diceretur: *Ego te abluo.* Hoc enim et non illud synonimum est.

Versione, scilicet verba latina in aliam linguam ita male vertendo ut sensus destruatur, dicendo v. g.: *Io ti battezzo Padre, Figlio e Spirito Santo.* Nihil tamen obstaret, si, servato sensu, partim uno, et partim alio idiomate forma proferretur, dicendo v. g. *Io ti battezzo in nomine Patris* etc.

Transpositione, dicendo v. g. *Ego in te baptizo nomine Patris* etc. Caeterum transpositio ut plurimum non mutat sensum, ut puta, si diceretur: *In nomine Patris ego te baptizo et Filii* etc.

Interruptione, quae potest esse longa et brevis; in verbis et in syllabis; cum vel sine interiectione aliorum verborum. Interruptio, si sit longa (v. g. integri minuti primi) semper censetur invalidare formam; si vero sit brevis (v. g. medii minuti primi), tunc distinguunt inter interruptionem in verbis et in syllabis. Si sit in verbis, tunc non nocet, etsi alia verba interiicerentur (ut puta, si sacerdos postquam dixerit: *ego te baptizo,* diceret v. g. *silete,* vel *haec aqua est nimis frigida,* vel *verte folium* etc.), et postea prosequeretur dicendo: *In nomine* etc. Si vero sit in syllabis (v. g. *bap.... tizo, Spi.... ritus*); tunc quoque interruptiones, si sint brevissimae (maxime ex balbutie, tussi, vel oscitatione) non obstant; sed, si non adeo brevissimae sint, et maxime si aliquod verbum interiectum fuerit, plures theologi (contra alios) formam invalidari censent.

Substitutione aliorum signorum; si nempe loco verborum signa (prout faciunt muti) adhiberentur. Tunc forma certe invalidaretur; excepto tamen matrimonio, quod in contractu consistit et a mutis quoque celebrari potest.

797. *Quaenam esse debet* ***unio inter materiam et formam?***

Generatim sufficit unio *moralis,* eaque subsistente nihil refert utrum prius an vero postea forma proferatur. Dixi *generatim*; in eucharistia enim exigitur unio *physica;* exigitur nempe ut materia (panis et vinum) sit physice praesens, dum proferuntur verba: *Hoc est* etc. *hic est* etc. In poenitentia autem oportet ut prius materia ponatur et postea forma proferatur.

Unio moralis aderit si brevis (v. g. unius medii minuti), non vero si longa mora intercedat; excepta poenitentia, quae est ad modum iudicii, et proinde distantiam (etiam satis magnam) inter confessionem et absolutionem suffert.

798. *Quid de unione si sacramentum pluribus partibus distinctis et successivis constet, prout accidit in eucharistia (in qua prius panis et postea vinum consecratur), in extrema unctione (in qua plures unctiones fiunt), in ordine sacro (in quo traditio instrumentorum et manuum impositiones interveniunt) et in matrimonio (in quo prius unus et postea alter sponsus consensum exprimit?* Inter has partes exigitur unio moralis; quae tamen latius patet in matrimonio. Si autem pars una fuerit posita,

et alia adhuc non (vel invalide), nec unio moralis amplius adesse possit; tunc aliquando nihil erit faciendum (ut contingere posset in consecratione eucharistiae); aliquando erit repetendum et prosequendum (ut in extrema unctione); aliquando denique sufficere poterit si omissa suppleantur (ut in quibusdam casibus ordinis sacri). Cf. Bucceroni (*De Sacr. 33, et Enchir. De Sacr. 700, 701*).

799. *Qui formam profert debetne esse ille ipse qui materiam ponit? Potestne minister sub unica forma sacramentum conferre pluribus subiectis simul? Possuntne plures ministri unicum sacramentum conficere?*

In his standum est traditioni et consuetudini Ecclesiae, quae censetur esse iuxta institutionem Christi. Oportet etiam ut verba formae verificentur. Venio ad particularia.

I. Qui formam profert *debet esse ille ipse* qui materiam ponit; sic enim habetur ex traditione, et secus in baptismo et confirmatione (in Ecclesia latina) verba formae non verificarentur.

Attamen in sacramentis poenitentiae et eucharistiae sufficit si materia a ministro veluti acceptetur aut intentione determinetur.

II. Certe baptismus et poenitentia possunt *pluribus subiectis simul* ministrari valide, et etiam (attamen solum in casu necessitatis, v. g. naufragii, praelii imminentis etc.) licite. Sed tunc oportet ut forma exprimatur in plurali. S. Th. (*3° LXVII.* VI *ad 2*).

III. Casus sacramenti administrati *a pluribus* (v. g. duobus) ministris potest esse duplex.

Primus est si duo sacramentum conficiant ex integro, v. g. baptizando, vel absolvendo, vel consecrando etc.; et tunc sacramenti confectio valet; ita tamen ut, si forte quis prius alio ultimum formae verbum proferat, sacramentum tunc perfectum sit, et alius nihil efficiat. Sacramenta tamen hoc modo conficere illicitum est, excepto casu neo-presbyterorum qui simul cum Episcopo consecrant. S. Th. (*l. c.*).

Secundus casus est si sacramentum pluribus partibus constet (ut eucharistia, extrema-unctio, et ordo); et tunc valet sacramentum si pars una ab uno et alia ab alio ministro ponatur.

Sed hoc non licet, nisi in casu necessitatis et supposita unione morali (ut supra): prout accidere posset, v. g. si sacerdos post consecrationem panis moreretur; tunc enim (ad complendum Sacrificium) alius sacerdos praesens aut cito superveniens vinum consecrare et missam absolvere deberet.

ARTICULUS III.

De effectibus sacramentorum.

800. *Quinam sunt* ***effectus*** *sacramentorum?* Sunt sequentes.

Effectus I. *Gratia sanctificans,* sive *prima* (dum scilicet subiectus prius habebat peccatum mortale vel originale), sive *secunda*, quae est augmentum primae.

Sacramenta baptismi et poenitentiae (quae dicuntur *mortuorum*) ad conferendam primam gratiam; alia autem (quae *vivorum* appellantur) ad conferendam secundam sunt instituta. Caeterum *per accidens* sacramenta mortuorum secundam (si nempe subiectus per contritionem iam se constituisset in gratiam Dei, vel haberet sola venialia), et vivorum primam (si nempe quis esset in mortali, et bona fide cum attritione illa reciperet) conferre possent. Cf. Gury (*II 192, 193*).

Quod tamen sacramenta vivorum conferre possint primam gratiam est verisimile, sed non certum. Cf. Ballerini *Op. th. Tr. X Sect. I n. 78*).

Effectus II. *Gratia sacramentalis,* quae scilicet includit auxilia specialia, iuxta uniuscuiusque sacramenti naturam. Cf. Gury (*l. c. 195*).

Effectus III. *Character,* qui tamen solum a tribus sacramentis, scilicet baptismo, confirmatione et ordine sacro, imprimitur.

Character autem est signaculum quoddam spirituale indelebile impediens quod sacramentum iterari possit. Trid. (*Sess. VII Can. IX*).

801. *Quid de doctrina dicente quod sacramentum potest esse* ***validum et informe?***

Ad huius doctrinae intelligentiam notandum est quod aliqua exiguntur ad valorem sacramenti; ut materia, forma, et quaedam qualitates sive in subiecto, sive in ministro, unde, v. g. non valet sacramentum ordinis sacri si subiectus non sit masculus, vel si minister non sit Episcopus. Alia autem exiguntur tamquam dispositiones non iam ut sacramentum sit validum, sed solum ut producat effectus

gratiae sanctificantis et sacramentalis; unde in eodem sacramento ordinis sacri immunitas a peccato mortali aut saltem attritio exigitur.

Subsistentibus autem requisitis pro valore, et deficientibus requisitis pro consecutione gratiae, sacramentum *validum* et *informe* appellatur.

802. Quaeritur *an sacramentum informe reviviscat remoto obice; an scilicet gratia sacramenti remaneat impedita perpetuo, an vero remaneat solum suspensa, ita ut sublato impedimento, vi sacramenti ipsius in animam infundatur?* Resp. Reviviscentia sacramenti admittitur communiter *quoad sacramenta quae characterem imprimunt* et iterari non possunt; videtur enim consentaneum divinae bonitati, ne qui illa susceperunt perpetuo relinquantur destituti gratiis sacramentalibus, quibus adeo indigent.

Idem dicunt multi de matrimonio, atque etiam de extrema unctione, quae in eodem mortis periculo iterari non potest.

Circa sacramenta eucharistiae et poenitentiae, quae adeo facile iterari possunt, reviviscentiam communiter non admittunt, nisi in aliquibus casibus; nempe quoad eucharistiam si quis removeat obicem antequam consummentur species sacramentales; et quoad poenitentiam, si quis habens plura peccata mortalia, bona fide doleat solum de aliquo vel de aliquibus ex motivo particulari. Sed circa hunc postremum casum ego habeo difficultatem; quomodo enim erit validum sacramentum poenitentiae sine proposito *universali* non peccandi de caetero? Si tamen vera esset doctrina Scoti, qui ponit substantiam sacramenti in sola absolutione, tunc etiam sacramentum istud (deficientibus dispositionibus) validum et informe esse posset. Dixi quod circa sacramentum poenitentiae reviviscentiam non admittunt *communiter:* aliqui enim illam admittere videntur, inter quos D. Th. (*4 Sent. D. 17 q. 3 A. 4 q. 1*), ubi ait: « Et quamvis tunc non « percipiet absolutionis fructum, tamen, recedente fictione *(scilicet obice « malae dispositionis)*, percipere incipiet, sicut etiam in aliis sacramentis: « unde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur « postea fictionem suam confiteri ». At vero haec doctrina hodie est contra communem, quae docet iterandam esse confessionem et accusandum sacrilegium commissum.

803. *Sed quid exigitur ut obex removeatur?* Exigitur ut ponatur id quod adesse debuisset quando sacramentum receptum fuit; unde pro baptismo sufficit attritio. Si tamen post susceptum sacramentum, peccatum mortale commissum fuisset, tunc aut contritio perfecta (si casus ita ferret) aut, confessio cum attritione exigeretur.

De his omnibus vide Ballerini (*Op. th. X.* 1 *79-81*).

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

Quoad ministrum agendum est de iis quae in ipso exiguntur, scilicet de potestate, de intentione, de attentione, de statu gratiae et de immunitate a censuris et irregularitatibus. Deinde agendum erit de eiusdem obligatione conferandi et interdum iterandi vel denegandi sacramenta, eaque non simulandi, atque in eorundem administratione rite procedendi.

ARTICULUS I.

De ministro quoad potestatem.

804. *Quaenam potestas exigitur in ministro sacramentorum?*

I. Praescindendo a baptismo et matrimonio, in ministro **pro valido** (et a fortiori pro licito) exigitur *potestas ordinis* sive episcopalis sive sacerdotalis (prout notissimum est) quoad confirmationem, eucharistiam conficiendam, poenitentiam, extremam unctionem, et ordinem sacrum.

Quoad autem sacramentum poenitentiae (pariter pro valido) exigitur etiam *potestas iurisdictionis*.

II. **Pro licito** toties quoties exigitur potestas ordinis, exigitur quoque potestas iurisdictionis, excepta confectione eucharistiae, non tamen excepta eiusdem administratione.

III. Quoad *sacramentum baptismi*, pro valido neque ordinis neque iurisdictionis potestas requiritur. Pro licito tamen utraque potestas necessaria est, excepto casu necessitatis.

IV. Quoad *sacramentum matrimonii*, ministri sunt ipsi contrahentes, qui nullo impedimento detineantur.

Hoc tamen ita intelligendum, ut quoad partem caeremonialem pro licito minister habens potestatem ordinis et iurisdictionis exigatur; imo etiam pro valido parochus cum duobus testibus assistere debeat, prout notissimum est.

ARTICULUS II.

De ministro quoad intentionem.

805. *Circa intentionem in sacramentis conficiendis quot* ***distinctiones*** *principales fieri possunt?* Intentio posset 1° Deesse omnino. 2° Esse interna aut solum externa. 3° Esse explicita aut solum implicita. 4° Actualis aut solum virtualis aut habitualis aut interpretativa. 5° Determinata vel indeterminata. 6° Spontanea vel coacta. 7° Absoluta vel conditionata.

806. *Quandonam intentio est interna? Quandonam est solum externa? Quandonam nullo modo adest?*

I. **Interna** est quando quis intendit conficere sacramentum verum et validum.

II. **Solum externa** est quando quis intendit conficere sacramentum simulatum et invalidum; ita scilicet ut extrinsecus se gerat tamquam minister Ecclesiae et compleat ritum sacrum sicut alii faciunt, sed cum intentione (quam nullatenus manifestat) quod non habeat efficaciam, atque ita non faciendi ex toto quod scit Christum instituisse.

III. **Nullo modo adest** quando quis nullatenus intendit conficere sacramentum (nec validum nec invalidum), neque ullatenus intendit se gerere tamquam ministrum Christi et Ecclesiae; sed sacramenti materiam et formam ponit sive in statu dementiae vel ebrietatis, sive ex mero ioco (ludicre, v. g. imitando sacerdotem qui neonatum baptizat), sive ex alio quocumque motivo, v. g. ad docendam obstetricem de modo baptizandi, vel infantem munditiei causa lavando simulque ex devotione dicendo: *Ego te lavo in nomine Patris etc.*

807. *Quid de his tribus casibus relate ad validitatem sacramenti?*

I. In tertio casu (*si nempe intentio nullo modo adsit*) *est de fide quod sacramentum non conficitur.* Hoc definitum fuit contra Lutherum a Conc. Trid. (*VII.* XI) dicente: « Si quis dixerit in ministris non requiri, dum sacramenta

« conficiunt et conferunt, intentionem saltem faciendi quod « facit Ecclesia, anathema sit ».

II. In secundo casu pariter (*si nempe intentio sit solum externa*) *certum est quod sacramentum validum non conficitur*. Equidem sacramentum confici, neque esse in potestate ministri impedire effectum sacramenti sola sua voluntate interna, et sic decipere christifideles eosque tali damno afficere, docuit Catharinus ; sed haec doctrina reiicitur ab omnibus, et Viva (contra alios, inter quos Benedictus XIV *De Syn. VIII.* IV) censet fuisse damnatam ab Alexandro VIII, qui sequentem confixit propositionem: « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum « externum formamque baptizandi observat, intus vero « apud se resolvit: Non intendo facere quod facit Ecclesia ». Pendere autem a voluntate interna ministri effectum sacramentorum, patet etiam ex doctrinis communissimis de eorundem simulatione, et de administratione sub conditione (etsi solum mente retenta) ; et confirmatur ex missali romano dicente irritam esse consecrationem si sacerdos, habens coram se undecim hostias, intendat consecrare solum decem non determinando quas decem intendat ; cuius declarationis haec affertur ratio : « Quia requiritur intentio », utique interna, uti patet. Vide Perrone (*De Sacr. in genere in fin.*).

III. Solum itaque in primo casu (*si nempe adsit intentio interna*) *sacramentum vere et fructuose conficitur*. Intentio autem interna simul cum appositione materiae et formae sufficeret, quamvis haec appositio coram aliis ludicra aut ex alio motivo facta appareret, ut puta, si quis infantis morituri infidelium filii caput lavaret, quasi ei purgationem faciens, et demissa voce interim diceret : *Ego te baptizo* etc. Lugo (*VIII 21*).

808. *Intentio conficiendi sacramentum validum debetne esse explicita, an vero sufficit* ***implicita*** *?*

Sufficit implicita. Hinc sufficit intentio conficiendi sacramentum, etsi de eiusdem validitate, efficacia et effectibus nihil cogitetur ; et proinde valide consecrat valideque absolvit qui missam celebrandi et confessiones audiendi inten-

tionem habet, etsi de consecratione et absolutione hic et nunc reflexe non cogitet.

Hinc valent etiam sacramenta (cum materia et forma idonea) administrata ab haereticis, si intendant facere quod Christus instituit; neque obstarent errores quos forte haberent, v. g. quod sacramenta gratiam non conferant; huiusmodi enim errores a praevalenti illa voluntate faciendi quod Christus instituit absorpti remanerent. Cf. Bened. XIV *De Syn. XIII.* XXII 7 et Bucceroni *de Sacr. 39.* Imo valent etiam sacramenta si administrentur ab incredulis, dummodo intendant facere quod fit in Ecclesia Catholica, vel etiam in secta haeretica quae valide illa conficiat.

809. *An exigatur intentio actualis, an vero sufficiat* ***virtualis?*** *Vel etiam* ***habitualis*** *aut* ***interpretativa?***

Non exigitur intentio actualis, ut scilicet praecise dum ponitur materia et forma (v. g. actu consecrationis vel absolutionis) efformetur; sed *sufficit virtualis*, quae scilicet dum functio aut series functionum incipitur (v. g. dum quis ad missam se parabat, vel ad confessiones audiendas se conferebat), sive explicite sive (ut modo dicebam) implicite, efformata fuerit. Sic enim ex una parte sacramenta modo humano sufficienter administrantur, et ex alia (quum distractiones sint adeo faciles) practice vix aliter fieri potest, et proinde supponi nequit quod Christus Dominus hac intentione virtuali contentus non fuerit. Notandum est etiam, moraliter esse impossibile quod sacramentum aliquod cum suis consuetis caeremoniis administretur, quin huiusmodi intentio efformata fuerit.

Intentio autem mere *habitualis non sufficit,* et multo minus si esset solum *interpretativa;* unde, v. g. non valeret absolutio inadvertenter et modo mere machinali data moribundo sensibus destituto, etsi intentio de danda ei absolutione prius aliquando efformata fuisset (quo casu esset habitualis); et multo minus si sacerdos de illa danda non cogitasset, illam tamen daturus si id in mentem ei venisset (quo casu interpretativa foret).

A fortiori, non obstante intentione prius concepta, non valeret sacramentum quod postea in statu dementiae vel ebrietatis administratum fuisset.

810. *Quid si* ***duae intentiones contrariae et incompatibiles*** *efformatae fuissent?*

Praevaleret *praedominans*, quae contrariam ad nihil redigeret. Ad quod intelligendum considerari debet imprimis quod possent esse contemporaneae et successivae.

Essent *contemporaneae*, v. g. si quis vellet contrahere matrimonium sed nollet sacramentum. Tunc praesumendum est quod intentio praedominans sit contrahendi matrimonium verum eo modo quo possibile est illud contrahere; secus enim aut quid impossibile, aut non iam matrimonium sed concubinatum inire vellet. Quum autem impossibile sit inire matrimonium verum quod non sit sacramentum, plane sequitur quod, si velit illud contrahere, iam ex hoc ipso implicite vult etiam sacramentum. Intentio itaque excludendi sacramentum tunc reapse ad nihil reducitur; perinde enim est ac si diceret: nolo sacramentum quia credo non esse necessarium; sed, si vere absque illo matrimonium subsistere nequiret, illud vellem, sicut volunt alii qui de tali necessitate sunt persuasi. Sic autem intentio contrahendi verum matrimonium esset absoluta; intentio autem excludendi sacramentum esset conditionata, quatenus scilicet talis exclusio matrimonii validitati non obstaret. Si tamen quis ita esset affectus ut, cognita impossibilitate matrimonii validi quod non sit sacramentum, matrimonium potius reiecturus esset quam sacramento consensurus, atque adeo contentus esset solo concubinatu seu contractu coram Deo invalido; utique tunc intentio praedominans contra sacramentum foret; et sic certe sacramentum non subsisteret. Sed de hoc sermo redibit in tractatu *de matrimonio*.

Exemplum, in quo intentiones contrariae sunt *successivae*, esset si confessarius prius efformasset consuetam intentionem administrandi sacramentum poenitentiae, atque adeo absolutionem dandi poenitentibus dispositis. Postea autem, adveniente quodam poenitente disposito quidem sed cui ad medicinam melius erat differre absolutionem, statuit intra se dimittere illum inabsolutum. At vero dein, de hoc oblitus et distractus in aliis cogitationibus, nullo facto verbo de absolutione ei differenda, more solito poenitentiam et absolutionem ei dedit. In hoc casu intentio praedominans adhuc staret pro absolutione, quando enim confessarius statuit poenitentem dimittere inabsolutum, intelligebat differre quidem absolutionem, sed illum de hoc prius admonendo, non vero tacite et multo minus sacramentum simulando.

811. *An pro validitate sacramenti intentio debeat esse* ***determinata*** *ad certam materiam et personam?* Affirmative; quid enim si quis ex duobus infantibus vellet baptizare unum, non determinando qualem; aut ex duabus hostiis vellet consecrare unam non determinando qualem? Cf. supra (*n. 504 V*) et Bucceroni (*De Sacr. 40*).

812. *Quid si minister intentionem quidem habuerit administrandi sacramentum, illudque revera administraverit, sed* ***coacte?***

Valet administratio, *metus* enim non tollit voluntarium.

Excipitur tamen *matrimonium* ex lege Ecclesiae, et speciali ratione. S. Lig. (*n. 19*).

813. *Quid de intentione conditionata? Quid scilicet de administratione sacramentorum* ***sub conditione?*** *Estne valida? Estne licita?*

Quoad **validitatem** distinguendum est secundum quod conditio sit *de futuro*, vel sit sive *de praesenti* sive *de praeterito*.

Sacramentum administratum sub conditione *de futuro* (dicendo, v. g. *Ego te absolvo si futurum sit ut restituas*, etc.) est invalidum: non enim est in potestate ministri suspendere valorem sacramenti; quod neque conficeretur dum materia et forma ponitur, deficiente intentione; neque conficeretur eveniente conditione, deficiente tunc materia et forma.

Attamen sub conditione *de futuro* valet (etsi difficile liceat) matrimonium, quod ex divina institutione naturam contractus sequitur, prout suo loco melius declarabitur.

Sacramentum autem administratum sub conditione *de praeterito vel praesenti* (v. g. *Ego te baptizo si non fuisti baptizatus* vel *Ego te absolvo si restituisti, vel si hic et nunc sinceram habeas voluntatem restituendi* etc.); valet aut non valet secundum quod res de qua conditio ponitur, subsistit vel non subsistit.

Quoad **liceitatem,** appositio conditionis illicita est quando non adest ratio dubitandi de requisitis ut sacramentum valeat; contra ritum enim Ecclesiae tunc talis conditio scrupulose apponeretur. Hoc tamen culpam venialem non excederet. Conditio itaque potest adhiberi licite solum quando verum dubium subsistat.

814. *Quid itaque in praxi si de sacramenti valore dubium adesset?*

Tunc ad sacramenti administrationem procedere non liceret, etsi conditio apponeretur, quando facile administratio ipsa declinari, aut modo tuto procedi posset. Exigitur itaque ut necessitas vel *causa iusta* adsit, ut scilicet oporteat, vel saltem (omnibus perpensis) expediat, ut, non obstante dubio, sacramentum administretur.

Patet 1° Quia, deficiente iusta et legitima causa, damnum animarum sequeretur; sic enim christifideles exponerentur periculo recipiendi sacramenta invalida, et proinde quin illorum salutares et saepe quam maxime momentosos vel omnino necessarios effectus assequerentur, et quidem dum forsan effectus ipsos fuisse assecutos existimarent. Patet 2° Quia sine iusta causa exponeretur sacramentum, aut (si sic dicere mavis) ritus sacer, periculo frustrationis; appositio enim conditionis non impedit quominus ritus sacer, per se directus ad sacramentum conficiendum, ita defectuose

ponatur, ut periculum omnia frustrandi non subsistat; quod utique in ritus ipsius irreverentiam redundaret. Patet 3° Quia Innocentius XI damnavit sequentem propositionem : « Non est illicitum in sacramentis conferendis « sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore; nisi id « vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc « sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, or- « dinis sacerdotalis aut episcopalis ». Vide Viva (*in interpret. huius proposition.*).

815. Ad iudicandum autem *an causa sit satis iusta* ut sacramentum aliquod in dubio et sub conditione conficiatur vel administretur, considerandae sunt circumstantiae, et speciatim de quonam sacramento agatur. Pro praxi notentur sequentia.

I. Semper licebit conferre sacramentum sub conditione in dubio an illud prius fuerit valide collatum: idque verum est non solum in sacramentis characterem imprimentibus; sed etiam in aliis, ut puta, si dubites an valide matrimonium fuerit celebratum, vel an valide extrema unctio fuerit data, vel an particula fuerit consecrata, vel an valide formam consecrationis expresseris, vel an poenitenti absolutionem dederis etc.

II. Conferre sacramentum poenitentiae in dubio et sub conditione non raro licet; ex una parte enim in hoc sacramento, non obstante zelo confessariorum qui curent poenitentes disponere, dubia saepe saepius remanent; et ex alia bonum poenitentium ipsorum (maxime his nostris locis et temporibus), imo et ipsius sacramenti (ne scilicet odiosum reddatur) exigere solet ut poenitentes sine absolutione minime dimittantur.

III. Non ita est de aliis sacramentis: quae vel nunquam vel solum in extrema necessitate cum dubio de valore (scilicet cum materia dubia) confici possunt. Enimvero sic nunquam confici potest eucharistia (ob periculum materialis idololatriae): item sic nunquam conferri possunt ordines sacri (propter incommoda gravissima quae exinde subsecutura essent). Solum autem in extrema necessitate (scilicet in periculo mortis) sic conferri possent et deberent alia sacramenta, scilicet baptismum, confirmatio et extrema unctio.

IV. Dixi *in dubio de valore;* si enim ageretur solum de licito; eo quod v. g. subiectus vel minister careant

debitis dispositionibus pro licita susceptione vel administratione sacramenti, vel de iisdem dubitent; tunc aut erit abstinendum; aut, si nihilominus sacramentum administretur, nunquam hac de causa (excepto sacramento poenitentiae, in quo dispositiones utique exiguntur etiam pro valido) administratio fieri poterit sub conditione; casus enim in quibus postea reperiretur, sacramenta (propter conditionem non verificatam) invalide fuisse collata, et proinde necessitas illa iterum administrandi, nimis frequentes redderentur, et infinitis scrupulis et incommodis ianua aperiretur. Quid enim si adeo facile intervenire deberet necessitas iterandi baptismum, confirmationem, matrimonium etc?

816. *An conditio debeat esse* ***verbis expressa?***

Ordinarie sufficit si mente concipiatur. Imo, iuxta Suarez, Lugo etc. iam semper subintelligitur (Vide *De Recidivis n. 111*).

Dixi *ordinarie;* exprimi enim debet quando rituale in publica quorundam sacramentorum administratione (ad cuiusdam scandali occasionem avertendam) exigit ut exprimatur.

ARTICULUS III.

De ministro quoad attentionem.

817. ***Attentio*** *estne necessaria pro valido? Pro licito? Sub gravi?*

I. Supposita intentione, saltem virtuali, ut supra; attentio certe non exigitur pro valido; distractiones scilicet, etiam voluntariae, validitatem sacramentorum non impediunt.

II. Attentio tamen pro licito exigitur, unde distractiones (intellige semper si sint voluntariae), utpote quae irreverentiam includunt, a peccato excusari nequeunt.

III. Attamen peccatum huiusmodi non censetur mortale, nisi in tribus casibus: 1° si adesset periculum errandi graviter in forma: 2° si in sacramento poenitentiae magni et perniciosi errores facile subsecuturi essent: 3° si tota

missa sic valde distracte (comprehensa quoque consecratione et communione) celebraretur. Hoc tamen ultimum (semper ac adsit devotio externa) videtur non ab omnibus admitti. Cf. S. Lig. (*VI 410, 5*) et vide dicta (*n. 385*).

ARTICULUS IV.

De ministro quoad fidem, statum gratiae, et immunitatem a censuris et irregularitatibus.

818. *An in ministro* ***fides et probitas*** *exigantur pro valido?*

Negative; unde sine dubio valide baptizat infidelis; valide ordinat Episcopus haereticus vel schismaticus: valide absolvit confessarius impius, et valide celebrat sacerdos sceleratus.

Trid. (*VII.* XII) dicit: « Si quis dixerit ministrum in peccato mor-« tali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficien-« dum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre « sacramentum, anathema sit ». Ecclesia autem nunquam permisit ut rebaptizarentur ii, qui ab haereticis, cum materia et forma idonea, baptizati fuerunt.

819. *An* ***status gratiae*** *exigatur pro licito et sub gravi?* Affirmative, unde qui sacramentum ministrat aut missam celebrat in peccato mortali, certo certius grave sacrilegium committit. Vide supra (*Vol. II n. 399-401*).

820. *Utrum in missa celebranda (in qua sacerdos consecrat et se communicat) et in ministrandis sacramentis eucharistiae, poenitentiae, baptismi, confirmationis et ordinis sacri pluribus simul in eadem functione, peccata sint plura, an vero peccatam sit unicum?* Resp. Haec considerantur ad modum unius, et proinde peccatum tamquam unicum considerari potest; ita tamen ut poenitens significare debeat quod non uni sed pluribus haec sacramenta administravit; ut infra (*De eucharistia*) melius probabitur.

821. *Quid de* ***immunitate a censuris,*** *quid scilicet si excommunicatus sacramentum aliquod administret?*

I. Administratio est *valida*, excepto solo sacramento poenitentiae et quidem quoad solum excommunicatum *vi-*

tandum, qui (ad differentiam *tolerati*) iurisdictione privatur, et proinde invalide illud ministraret. Attamen ille quoque valide absolveret 1° in articulo mortis; 2° in casu erroris communis. Dixi *excepto solo sacramento poenitentiae;* matrimonio enim valide assisteret parochus excommunicatus etiam vitandus, dummodo adhuc parochus remaneret.

II. Administratio est *illicita*, et quidem graviter, atque sub poena incurrendi irregularitatem. Attamen, quoad excommunicatos omnes (etiam vitandos), excipiendi sunt casus 1° gravis incommodi; 2° gravis scandali; 3° gravis necessitatis proximi. Quoad autem excommunicatos toleratos (etsi notorios), excipiendi sunt casus in quibus sint requisiti (sive expresse, sive tacite). Oportet tamen semper non solum ut in statu gratiae sint, neque (administrando sacramentum) scandalum praebeant; sed etiam ut absolutionem a censura prius obtinere nequiverint. Sed haec omnia suo loco (scilicet in tractatu *de Censuris*) melius declarabuntur.

822. *Quid de sacerdote* ***suspenso?*** Quae dicta sunt de sacerdote excommunicato, dicenda sunt de suspenso, qui etiam potest esse *vitandus* et *toleratus*, et nulla quoad hoc (ut suo loco videbimus) differentia adest.

823. *Quid de sacerdote* ***irregulari?*** Irregularitas non solum susceptione ordinum, sed etiam illorum exercitio privare potest (ut puta, si sacerdos homicidium commisisset). Tunc autem administratio sacramentorum (quae utique esse solet actus ordinis) graviter illicita foret. Excipe tamen tunc quoque casus gravis necessitatis proximi: et nota quod irregularitas non obstat validitati sacramentorum et nequidem sacramenti poenitentiae (S. Lig. *VII 352*); eius autem violatio praeter peccatum mortale, nullam aliam consequentiam parit.

ARTICULUS V.

De ministro quoad obligationem sacramenta administrandi.

824. *Quotuplici ex capite sacramenta administrandi vel conficiendi* ***obligatio*** *adesse potest?* 1° Ex iustitia. 2° Ex charitate.

Ex *iustitia* tenentur 1° Qui habent curam animarum potestate ordinaria, prout sunt Episcopi, parochi, coadiutores cum iure successionis, oeconomi spirituales, et prae-

lati regulares. 2° Qui habent curam animarum potestate delegata, ita ut ad illam se obligaverint, prout sunt vicarii parochorum, et quotquot pacto speciali sive ad confessiones audiendas, sive ad baptismum administrandum etc. se obligaverint. 3° Qui onera missarum acceptaverunt. quatenus sic ex iustitia eucharistiae sacramentum (nisi per alios illas celebrare faciant) conficere tenentur.

Ex *charitate* teneri possunt quotquot sacramenta ministrandi vel conficiendi capaces sunt, si alii deficiant et necessitas adsit. Et hac de re vide dicta (*n. 587*).

825. *Loquendo de iis qui habent curam animarum potestate ordinaria,* ***quibusnam*** *tenentur sacramenta administrare?* Ex iustitia solis subditis, in sequentibus circumstantiis.

I. Si petant sive expresse sive tacite; idque verum est non solum si ex stricto praecepto (v. g. communionis annuae aut viatici) sacramenta recipere teneantur, aut magnam eorundem necessitatem habeant (eo quod, v. g. in peccato mortali versentur aut magnis tentationibus premantur); sed etiam si ad lucrandas indulgentias, vel ex simplici devotione illa recipere desiderent.

Excipe nisi indiscrete peterent, ut puta, si scrupulosus quotidie vel etiam pluries in die confessionem facere vellet.

II. Seclusa etiam petitione, parochi tenentur procurare ut parochiani sacramenta recipiant, urgente necessitate (v. g. viatici); imo et crebro ad sacramentorum frequentiam illos adhortari; atque in hunc finem sufficientem commoditatem eis praestare debent.

826. *An* ***parochi*** *teneantur conficere vel administrare sacramenta* ***personaliter?*** *An vero possint vel debeant adiutores sibi adsciscere?*

I. Personaliter tenentur 1° Conficere eucharisticum sacrificium, celebrando missam *pro populo* diebus dominicis et festivis etiam suppressis. 2° Confessiones audire nedum si personaliter sint requisiti pro casu aliquo, sed etiam habitualiter. 3° Generatim toties quoties contingat aliquid grave et difficile, in quo de aliena opera non esset fidendum, prout aliquando contingere posset, v. g. in matri-

moniis, in audienda confessione quorundam moribundorum etc.

II. Dummodo autem ipsi operam suam sic praestare ex desidia non declinent, utique alios adiutores idoneos sibi adsciscere nedum laudabiliter possunt, sed etiam interdum (si nempe ipsi vel sint impediti vel non sufficiant) districte tenentur. Patet ex rei natura, et ex Tridentino (*XXI.* IV). Cf. *Theologia Pastoralis* (*n. 568 et seqq.*).

827. *Quid de* ***gradu culpae*** *si minister ex officio obligatus nec impeditus sacramentum administrare recusaret, vel negligeret?*

I. In recusatione culpa esset mortalis; idque verum est non solum si subditi sacramento petito graviter indigerent (si nempe essent in peccato mortali, vel in periculo mortis, vel praecepto adstricti), sed etiam si ex mera devotione illud peterent. Attamen in hoc secundo casu peccatum mortale interveniret certe si frequenter: non vero si raro et sine magna petentis turbatione sacramentum recusaretur, aut ad aliam diem remitteretur.

II. Seclusa etiam petitione, utique culpa mortalis contingere potest in negligentia; ut puta, si parochus, audita confessione moribundi, de viatico vel extrema unctione non curaret; aut infra annum in praestanda parochianis commoditate ad confessionem accedendi (maxime si non facile illam alibi habere possent) valde deficeret.

Exemplum habes in parochis qui infra hebdomadam confessiones audire nolunt, et solum diebus festis, et quidem brevissimo tempore aut horis inopportunis, ad confessionale se conferunt.

828. *Quid de parochis qui sacramenta administrare non equidem recusant; sed morosos se exhibent, vel utcumque aegrum animum ostendunt?* Hoc, uti patet, fere perinde est ac recusare, atque a petendo in posterum parochianos impedire.

829. *An ministri sacramentorum,* ***non obstante magno incommodo spirituali*** *vel* ***temporali*** *(v. g. periculo peccati aut mortis) eadem sacramenta ministrare teneantur?*

Si sacramenta administrare debeant ex officio (ut parochi), tunc *periculum peccandi* generatim non excusat;

nimia enim esset inordinatio si ministri obligati ex iustitia, huiusmodi de causa, a sacramentis administrandis se eximere possent. Potius itaque modo alterius opera (v. g. vicarii) uti, et modo cautelis et subsidiis spiritualibus diligentius sibi prospicere debebunt.

Dixi *generatim*; circumstantiae enim particularissimae efficere possunt, ut parocho liceat, v. g. nolle audire confessionem alicuius personae, quae ex una parte in nimias tentationes illum coniiceret; et ex alia, accedendo ad alios confessarios, facile sibi prospicere valeret.

830. Sed quid si iidem ministri sine *periculo mortis, aut alterius gravissimi incommodi temporalis*, sacramenta administrare nequirent?

Certe non tenerentur si mala maiora ex tali obligatione secutura essent; v. g. 1° si mors parochi in damnum commune redundatura foret, ut puta, si, ad ministrandum sacramentum uni, alii multi sine sacramentis (mortuo parocho et deficientibus aliis sacerdotibus) remansuri essent. 2° Si posita obligatione occurrendi etiam cum tali vel tali incommodo, officium parochi ita redderetur odiosum, ut iam nemo illud acceptaturus esset; ut puta, si parochi, etiamsi graviter infirmi cum magna febri forent, ad sacramenta administranda se conferre tenerentur.

831. Caeterum casus huiusmodi melius resolvuntur in praxi considerando circumstantias particulares; maxime vero, si sensus communis illos iam resolverit, ab illo re-regulam sumendo. Hic noto tantummodo quod *tempore pestis* ordinarie non solum baptismum et poenitentiam, sed etiam viaticum et extremam unctionem parochi administrare debent; et doctrina contraria (etsi hodie communis) certe falsa et practice valde scandalosa est, ut in opusculo meo, cui titulus *Casus conscientiae* typis edito *anno 1885* luculenter demonstravi. Dixi *ordinarie*, pestis enim posset esse ita terrifica, ut pro bono communi magis expediret ut sacerdotes periculum moriendi aliquantulum declinarent, atque adeo ad ministranda sola sacramenta strictae necessitatis se limitarent, et iam sine ullo scandalo ita se gerere possent. Sacramenta autem strictae necessitatis sunt baptismum et poenitentia; si vero moribundus nullo modo confiteri posset, tunc loco poenitentiae extrema unctio strictae necessitatis evadere censeretur,

Quod tamen dicitur de moribundis peste, aut qui utique casus satis obvius est) alio morbo contagioso affectis, non videtur extendendum ad quoslibet alios casus rarissimos, in quibus sine vitae periculo parochus accurrere nequeat; non enim crederem, v. g. quod ad occumbentes in rixa se conferre deberet, dum rixa adhuc ferveret et ignei globuli adhuc undequaque advolarent; maxime quia tunc subiret periculum pereundi, antequam ad vulneratos accedere posset. Cf. Bucceroni (*De Sacr. in gen. 62*).

832. *Sed quid de sacerdotibus ex officio curam animarum non habentibus?*

Isti cum gravi incommodo obligari possunt in necessitate extrema, vel gravi publica; non vero in necessitate gravi privata, vel in necessitate ordinaria. Vide supra (*Vol. II n. 111*).

833. *Quid si sacramentum absque offensione modestiae sacerdotalis conferri non posset?* Casus esset, v. g. si sacerdos ad baptismum conferendum foetui clauso in utero matris, operationem caesaream facere vel syphone (indecenter admodum) uti deberet; aut si mulier (cui danda essent sacramenta) nuda foret. Dicerem autem quod si baptismum per aliam personam sic procurari non posset, illud conferendi obligatio non adesset. Et idem dicerem (saltem quoad sacramenta non strictae necessitatis) si dicta denudatio impediri nequiret (quod tamen practice contingere non solet).

ARTICULUS VI.

De ministro quoad iterationem sacramentorum.

834. *Quaenam quaestiones sunt hic pertractandae?* Hic non pertractantur quaedam quaestiones particulares, v. g. an viaticum et extrema unctio iterari possint in eadem infirmitate, vel an eucharistia administrari possit eidem subiecto bis in die, si nempe mane illam recepisset ex devotione, et post aliquas horas lethali morbo correptus iam versaretur in periculo mortis imminentis, unde esset casus illam iterum recipiendi ad modum viatici. Remittendo itaque quaestiones istas ad propria loca, hic agitur de casu, in quo suboriatur dubium de validitate alicuius sacramenti, et quaeritur an propter tale dubium possit et

debeat iterum confici vel administrari? Casus iste contingere potest diversis modis, et proinde locum habent quaestiones sequentes.

835. *An, suborto* ***dubio de validitate baptismi vel ordinis sacri*** *(maxime presbyteratus vel episcopatus), haec sacramenta possint et debeant iterum sub conditione administrari?*

I. Imprimis maturum et diligens rei eventae examen (iuxta possibilitatem) fieri debet.

II. Certe nec debent nec possunt iterum administrari haec sacramenta si nec de dubio nec de incertitudine ulla rationabili, sed de mero prorsusque spernendo scrupulo ageretur. E contra certe possunt et debent iterum administrari (et quidem quanto citius) si dubium esset grave, si nempe contra validitatem ratio gravis subsisteret, quamvis probabilitas certe et valde maior pro validitate staret. Sed quid si dubium (etsi in aliquo rationis vel auctoritatis momento fundaretur) omnino leve foret? Quum ex una parte agatur de rebus summi momenti (ex invaliditate enim baptismi (1) et dictorum ordinum consequentiae perniciosissimae oriturae essent), et quum ex alia parte nova administratio peragi possit privatim atque etiam imposito iuramento secreti, unde nullum scandalum, nulla infamia et nulla admiratio subsequatur (Cf. Ballerini *Op. th. X.* XII *19-29*); ad iterationem deveniri nedum posse sed debere censeo. Ita (inquam) ego censeo, nec mihi placent ea quae aliqua ex parte in contrarium apud Lugo (*Resp. moral. I.* XXX), Elbel (*XXI.* II), Gury (*Cas. Cons. II 828*), et Ballerini (*l. c. X.* I *29*) inveniuntur. Si tamen S. Sedes declarasset esse acquiescendum, tunc certe causa finita esset.

836. *Quid si* ***circa validitatem aliorum sacramentorum*** *dubium subortum fuerit?* In hoc quoque casu, dummodo non de scrupulo sed de vero dubio ageretur, sacra-

(1) Neque dicas sic adesse periculum incidendi in haeresim *Rebaptizantium :* totus enim illorum error erat quod baptismus collatus ab haereticis, ut invalidus haberi et hac de causa repeti deberet ; quod profecto a doctrina de repetendo baptismate sub conditione propter dubium circa validitatem prioris baptismatis, longe dissidet.

mentum repetendum esset. Attamen inter casum istum et praecedentem quaedam differentiae adsunt. 1° Facilius contingit quod non adsit tempus vel modus rem mature examinandi: ut puta, si confessarius, praesente poenitente, dubitaret an illum absolvisset, unde sine multa haesitatione absolutionem repeteret sub conditione. 2° Item facilius interveniunt difficultates quae repetitioni obstant; unde, tum propter illas tum propter minorem sacramentorum ipsorum necessitatem, a repetitione ipsa minister abstinere poterit vel debebit, idque maxime si dubium esset leve. Exemplum habes in confirmatione, atque etiam in sacramento poenitentiae, si poenitens iam recessisset et maxime si sola venialia habuisset etc.

ARTICULUS VII.

De ministro quoad obligationem non simulandi sacramenta.

837. *Quot modis contingere potest simulatio sacramenti?* Duobus modis.

Primus est si ficte (scilicet absque intentione sacramentum conficiendi) exterius apponantur omnia quae ad sacramentum exiguntur.

Secundus est si loco debitae materiae et formae aliud eorum speciem referens substituatur, v. g. applicando materiam et non proferendo formam, aut apponendo quidem materiam et formam sed non idoneam. Ballerini (*Op. th. X.* 1 *68*).

838. *Hebemusne decisiones authenticas Ecclesiae circa simulationem sacramentorum?* Habemus decisiones sequentes.

I. Ab Innocentio XI damnata fuit propositio quae dicebat: « Urgens metus gravis est causa iusta sacramen- « torum administrationem simulandi ».

II. Quum olim persuasum esset Turcis baptismum christianum valere contra mala corporalia, ad filios suos baptizandos cogebant sacerdotes catholicos, qui, ad mortem evitandam, baptismum ficte et absque formae prolatione administrabant. Sed, quum Episcopus Antibarensis postulasset a S. Sede: « An, cum sacerdotes coguntur a Turcis ut baptizent eorum filios,

« non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a « faetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et lupis: an in tali casu « possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita « forma ? » S. C. S. O. probante Pontifice (*6 Sept. 1625*) respondit: « Ne- « gative, quia baptismus est ianua sacramentorum, ac protestatio fidei, nec « ullo modo fingi potest ». (Cf. Bened. XIV. Const. *Postremo mense*).

III. Innocentius III (Cap. *De Homine* De celebr. Missar.) dixit: « Quaesivistis quid de incauto presbytero videatur, qui cum sciat se in « mortali crimine constitutum, missarum solemnia, quae non potest pro- « pter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscien- « tiam, dubitat celebrare: peractisque caeteris circumstantiis missam cele- « brare se fingit, et suppressis verbis quibus conficitur Corpus Christi, « panem et vinum tantummodo pure sumit: ita credens per id quod prae- « tendit (*scilicet fingit*) populo satisfacere: ut per hoc quod intendit, Deum « non debeat provocare. Cum ergo (*en responsio Pontificis*) falsa sint « abiicienda remedia, quae veris sunt periculis graviora, licet is qui pro « sui criminis conscientia reputat se indignum peccet graviter, si se in- « gerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere, qui sic « fraudulenter illud praesumpserit simulare: cum ille in solius misericor- « dis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo (cui non veretur illu- « dere) sed populo, quem decipit, se adstringat ».

839. *An nihilominus, iuxta probatos theologos, dentur casus in quibus* ***aliqua sacramentorum simulatio licita sit?*** Affirm. S. Lig. (*VI 59-60*) admittit 1° Posse confessarium super poenitentem indispositum (intellige si, gravia mala minitando, absolutionem exigeret) dicere: *Ego te non absolvo*, et quidem ita ut verbum *non* tam submisse proferat, ut poenitens illud percipere nequeat. 2° Confessarium nedum posse sed debere manum elevare et signum crucis facere super poenitentem indispositum, si hoc necessarium esset ad denegationem absolutionis, atque adeo eiusdem indispositionem, occultandam. 3° Administrationem eucharistiae posse ita simulari (si hoc necessarium esset ad sacrilegium vitandum, et infamiam, v. g. infirmi indispositi, declinandam) ut proferantur verba: *Accipe, frater, Viaticum* etc. vel *Corpus Domini nostri* etc., simulque hostia consecrata fingatur quidem dari sed non detur. 4° Ex gravi metu matrimonium ficte contrahi, vel etiam scienter cum impedimento dirimente (atque adeo invalide) celebrari posse.

840. *Quid igitur concludendum?*

Concludendum est I. quod simulatio sacramentorum per se et ordinarie est illicita et quidem graviter, tum quia (speciatim quoad sacramenta baptismi et ordinis sacri)

pessimae et perniciosissimae consequentiae oriri possent; tum quia magnum scandalum oriretur, si sacerdotes notorie cederent minis, et sacramenta (etsi solum apparenter) administrarent, dum illa administrare nullo modo liceret, et maxime si haec ipsa administratio in odium et contemptum religionis exigeretur, ut puta, si impii homines vellent ut rebaptizarentur baptizati; vel ordines sacri conferrentur foeminis, aut laicis dyscolis in derisionem; vel extrema unctio praeberetur sanis etc. Quoad eucharistiam autem quae ficte conficeretur, vel (tradendo hostiam non consecratam) administraretur, interveniret etiam idololatria (etsi materialis); christifideles enim, credendo Corpori Christi adorationem praestare, panem revera adorarent. Maior autem malitia interveniret si materia et forma absque ulla substantiali mutatione ponerentur; tunc enim vera frustratîo sacramenti interveniret. Communiter dicunt etiam, quod tunc mendacium (semper intrinsece malum) interveniret; sed hoc negari potest quia (ut ait S. Lig. *l. c. 59*) in prolatione formae sacramenti non tenetur minister ita proferre verba, ut sacramentum suscipiens illa audiat; mendacium autem ad decipiendam personam audientem dirigitur. Quod autem simulatio sacramentorum ordinarie illicita sit, patet etiam auctoritate D. Thomae, qui (*Quodl. V*, XII) scripsit: « In sacramentis Ecclesiae nihil esse per fictio-« nem agendum ».

Concludendum est II. quod simulatio sacramentorum (saltem si in materia et forma aliquid mutetur, quod practice valde facile esse solet) in aliquibus casibus licita esse potest; quando nempe circumstantiae sint tales, ut ex una parte in tali simulatione inordinatio magna non conspiciatur; et ex alia causa proportionata excuset, quatenus scilicet sacramenti aperta denegatio inordinationem maiorem productura esset. Exempla habes in casibus mox supra recensitis *n. 840*, quibus alii forsan addi possent. Quid si iuvenis morbo minime mortis periculoso (v. g. convulsionibus) afficeretur, eiusque pater (erronee timendo ne filius sine sacramentis moreretur) furiose mortem comminaretur parocho, nisi extremam unctionem ei praeberet? Iudicent

sapientiores. Neque est in contrarium damnatio propositionis supra relatae (*Urgens metus gravis etc.*); ut enim bene notat Didacus Hurtado, haec propositio propter nimiam suam generalitatem damnata fuit.

ARTICULUS VIII.

De ministro quoad obligationem interdum denegandi sacramenta.

841. *Sacramenta* ***quibusnam denegari*** *debeant?* Denegari debent (et quidem sub gravi) 1° indignis, nempe iis qui sacrilege (et quin poenitentia supponi possit) illa recepturi essent, dummodo facile et quin maiora mala provocentur, iisdem denegari possint; 2° dubie dispositis, seclusa necessitate (ut supra); 3° iis, quibus (etsi dispositi forent) sacramenta sine scandalo administrari nequirent. Sed haec sunt explicanda.

842. *Quomodo probatur quod sacramenta denegari debent indignis, si facile denegari possint?* Patet 1° Ex reverentia quae debetur sacramentis iisdem. 2° Ex verbis D. N. I. C. (Matth. *VII 6*): « Nolite dare sanctum « canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos ». 3° Ex cooperatione ad peccatum sacramentum sacrilege petentis. 4° Ex lege Ecclesiae, dicente rituali (v. g. *De eucharistia*): « Arcendi autem sunt publice indi- « gni ». 5° Ex scandalo, quod ex tali administratione plerumque, si nempe peccator esset publicus et notorie impoenitens, secuturum esset.

843. *Quomodo intervenire potest casus scandali in administratione sacramenti, etsi subiectus esset dispositus?*

Casus huismodi contingere posset si haereticus ex secta a sacerdote catholico sacramenta peteret (vide *Vol. II n. 189* III); sed casus practicus esset in eo qui publice censeretur impoenitens, sed, propter bonam fidem circa suas obligationes (v. g. *statim* retractationem faciendi, matrimonium celebrandi, locum peccati deserendi etc.) de quibus illum monere non expediret, vel propter impossibilitatem easdem statim adimplendi, impoenitens revera non esset.

Hic casus valde diversus est ab illo in quo subiectus est indispositus; quando enim in conscientia et coram Deo est dispositus, sola ratio scandali obstare poterit; et pro-

inde quoad eucharistiam quidem, sed non quoad absolutionem, poterit impedimentum adesse.

841. *Ministri sacramentorum teneanturne inquisitiones facere ad cavendum ne subiecti sint indigni: an vero sufficit si casu indignitatem reperiant?*

Inquisitiones huiusmodi ordinarie sacramentorum administrationem et susceptionem nimis difficilem et odiosam redderent; christifideles a sacramentis alienarent, et sic maiora mala provocarent; unde (ut patet etiam ex praxi) ordinarie non sunt faciendae, et ministri sacramentorum non iudices sed dispensatores censentur.

Dixi *ordinarie*: excipitur enim sacramentum poenitentiae; et aliqua ex parte sacramentum matrimonii, maxime vero sacramentum ordinis; atque etiam sacramentum baptismi si adultis conferatur. S. Lig. (*VI 43*).

845. *Veniendo ad particularia, quaenam regulae speciales observari debent?*

Prima Regula. Sacramentum denegari debet peccatori publico, sive occulte sive publice petat. Ratio est quia tunc ex una parte absque ulla subiecti infamia, et alienatione christifidelium a sacramentis, denegari potest; et ex alia urgent motiva mox supra (*n. 842*) indicata.

Secunda Regula. Sacramentum denegari debet peccatori occulto, si occulte petat; si nempe denegatio nec sit nec futura sit notoria. Ratio est ut supra.

Tertia Regula. Peccatori occulto publice petenti sacramentum ordinarie denegari non potest. Ratio est quia ex una parte ex denegatione infamia, turbationes magnae, alienatio a sacramentis, et sic maiora mala sequerentur; et ex alia ageretur de cooperatione non iam formali (prout demonstravi *Vol. II n. 287*), sed materiali, quae utique ad evitanda mala maiora licita est.

846. Regulae istae dantur a Rituali dicente (*De Euch.*): « Arcendi « sunt publice indigni: quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique « infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, bla« sphemi et alii eius generis publici peccatores, nisi de eorum poenitentia « et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint ».

« Occultos vere peccatores, si occulte petant et non eos emendatos « agnovit, repellat; non autem si publice petant et sine scandalo eos prae« terire nequeat ».

847. *Circa primam regulam de* ***sacramentis denegandis peccatoribus publicis*** *quid notandum?*

I. Delictum debet esse certum: si enim sacerdotes ob delicta dubia denegarent sacramenta, certo certius magnam alienationem a sacramentis ipsis, turbationes frequentis-

simas (propter infamiam), et sic mala longe maiora provocarent. Non itaque sufficiunt coniecturae, praesumptiones, incertae voces etc., quibus (ut ait Bened. XIV Encycl. *Ex omnibus*), dum fides habetur, satis compertum est, quot modis homines errare et falli ac in transversum ire contingat. Cf. *De Occasionariis* (*Ed. V n. 161*).

II. Delictum debet esse habituale et praesens; non vero sufficit si subiectus aliquod delictum semel vel iterum commiserit, vel etiam *olim* in eo habituatus fuerit; de his enim facile poenitentia praesumitur.

III. Debet etiam esse vere publicum hic et nunc; non vero sufficit si futurum sit ut in posterum publicetur, vel si aliqui (etiam ex praesentibus in ecclesia) illud cognoscant, vel si publicum sit in alio loco. Cf. Bucceroni (*De Sacr. in genere 66. 67*).

IV. Hodie apud nos non sunt arcendi a sacramentis illi omnes, quos Rituale indicat, v. g. blasphemi; ut enim bene scripsit Roncaglia, praesens Ecclesiae consuetudo id amplius non patitur; et certe magnae turbationes, atque offensiones, non sine magna alienatione a sacramentis orirentur, si quis a sacra mensa eos quoque repelleret, de quibus repellendis consuetudo non adest; illos enim iniustae infamiae exponeret, quasi de aliis delictis rei forent.

V. Personae, quibus hodie apud nos sacramenta denegari possunt atque debent, sunt 1° Meretrices in lupanari degentes. 2° Coniuncti solum in matrimonio civili. 3° Concubinarii sub eodem tecto conviventes et manifestissime tales; si nempe habitualiter et notorie in eodem lecto dormirent, filios secum retinerent etc. Non vero sufficeret si quis foeminam titulo non concubinae, sed famulae, secum retineret; nisi forte ex notoria atque habituali condormitione, et frequentia praegnationum, famulae nomen evanuisset. Cf. *De occasionariis* (*Ed. V n. 161*). 4° Mulieres quae vestitu valde immodesto et scandaloso ad sacram mensam se praesentarent. 5° Excommunicati *vitandi* seu nominatim et publice denuntiati; imo etiam *tolerati*, si notorie in censura obstinate insordescerent, maxime si aliquam haberent obligationem qua non satisfacta a censura absolvi nequirent, et manifeste pateret quod eidem

satisfacere nollent. 6° Obligati ad aliquam publicam retractationem quam adhuc non fecissent (vide *Vol. II n. 202*). 7° Quotquot eiusmodi essent, ut, si sacramenta eis praeberentur, scandalum generale oriretur aut doctrina falsa spargeretur in christifidelibus, qui dicturi essent: *Aut sacerdotes sanctum dant canibus, aut talis vel talis obligatio, quae adesse dicitur, reapse non adest.*

VI. Ut praedictae meretrices, praedicti concubinarii, vel civili tantum matrimonio coniuncti, vel obligati ad publicam retractationem, ad sacram mensam admitti possint, non sufficit quod notorie ad confessionem accesserint; populus enim non solum de sacerdote scienter eucharistiam eis ministrante, sed etiam de confessario, qui (lupanari non relicto vel concubina non eiecta etc.) eos absolvisset, scandalizaretur. S. Lig. (*n. 47*).

VII. Si moribundus obligationes (v. g. concubinam eiiciendi, vel matrimonii contrahendi, vel retractationem faciendi etc.) notorie haberet; a parocho procurandum esset ut illis ante viatici administrationem satisfaceret. Supposita impossibilitate, haec aliquo modo sufficienti divulganda foret, nisi esset manifesta. Concubina saltem a cubiculo infirmi arceri deberet, si possibile esset. Supposita autem possibilitate iisdem obligationibus satisfaciendi, sed ita ut haec ipsa satisfactio parum vel nihil sperari posset; tunc videndum, an moribundus sit in bona vel mala fide. Si esset in mala fide, tunc sacramenta omnia forent declinanda. Si vero esset in bona fide, tunc absolutio ei dari posset; viaticum autem et extremam unctionem declinare oporteret, nisi forte impediendi scandalum modus adesset, v. g. dicendo quod moribundus conscientiae suae consuluit, et sic singendo ut populus persuasionem conciperet quod ille aut satisfecerit, aut impedimento fuerit detentus et caeteroquin satisfaciendi bonam voluntatem habuerit.

VIII. Regula de repellendis publicis peccatoribus a sacramentis difficile locum habet pro matrimonio (nisi de excommunicatis vitandis ageretur); quandoquidem 1° matrimonium esse solet medium quo concubinarii, meretrices etc. statum peccati abrumpunt. 2° Difficile dabitur casus, in quo pars innocens a matrimonio contrahendo cum

peccatore desistere teneatur (vide supra *Vol. II n. 287 III*). 3° Difficile etiam dabitur casus, in quo parochus suam assistentiam recusare debeat; omissa tamen missae celebratione; qua de re vide dicta *n. cit.* et *De occasionariis* (*Ed. V n. 121*).

Hic addo sequens decretum S. Sedis relatum a cl. Bucceroni (*Enchir. pag. 161 n. 775*): « Utrum iuramentum massonicum non retractatum con-
« siderari et tractari possit vel debeat ad instar impedimenti matrimo-
« nium impedientis: et quae cautelae exigi debeant ut matrimonium
« puellae catholicae cum viro franco-muratore iurato licite a parocho be-
« nedici possit?.... R. Quod attinet ad matrimonium, in quo una contra-
« hentium pars clandestinis aggregationibus notorie adhaeret, donec Sedes
« Apostolica generatim decretum hac de re non ediderit, oportet ut Pastores
« caute et prudenter se gerant; et debent potius in casibus particularibus
« ea statuere, quae magis in Domino expedire iudicaverint, quam generali
« regula aliquid decernere; omnino vero excludatur celebratio Sacrificii
« Missae, *nisi quando adiuncta aliter exigant* ».

De matrimonio celebrando cum incredulo, apostata, aut *libero cogitatore*, agam infra (ubi de impedimentis matrimonii).

IX. Si sacramentum subiecto indigno denegari non posset sine vitae aut alterius gravis mali periculo, decisio pendet a circumstantiis; aliquando enim scandalum posset esse tale, ut vita quoque discrimini exponi debeat, ut puta, si in religionis contemptum et odium fidei sacramentum peteretur; aliquando e contra scandalum nullum vel parvum esse (ut puta, si facile sit credere quod minister non adverterit), et administratio licita evadere posset.

X. Quum denegatio sacramentorum sit res valde periculosa, sacerdotes ad illam procedere non debent nisi certissimi sint quod ita se gerere teneantur. In dubio autem (si tempus suppetat) consulant Episcopum.

XI. Cavendum ne, dum sacramentum denegatur, motivum (maxime audientibus aliis) indicetur; codex poenalis enim, etsi contra hanc denegationem praecise nihil statuat, tamen habet *Art. 395*, quo contra offendentes honorem personarum poenam statuit.

848. *Tertia regula* ***de sacramentis non denegandis peccatori occulto publice petenti*** *habetne aliquam exceptionem?* Utique; scilicet quoad sacramentum ordinis; sic enim exigit bonum publicum; et Tridentinum dicit (*XIV.* 1) quod Episcopus potest denegare

ordines ex quacumque causa, etiam ab occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter; nec tenetur cuiquam causam manifestare. Cf. Bucceroni (*n. 69*).

ARTICULUS IX.

De ministro quoad obligationem in sacramentorum administratione ritus servandi.

849. *Quid itaque de ritibus, caerimoniis, et vestibus sacris?*

Haec omnia (prout praescribuntur a rituali romano) cadunt certe sub obligatione, et quidem *per se* gravi.

Quoad vestes notandum quod superpelliceum et stola in omnibus sacramentis exiguntur. Excipiendi tamen sunt casus necessitatis, et secluso scandalo. Excipiendae sunt etiam legitimae consuetudines, quae circa sacramentum poenitentiae (etiam in confessionali) adesse solent. (Vide supra *n. 422*). Praescindendo etiam a consuetudine, non uti stola in hoc sacramento aliqua vice non videtur grave; imo idem dicunt plures de administratione eucharistiae. Cf. Bucceroni (*n. 76. 78*).

CAPUT III.

DE SUBIECTO SACRAMENTORUM.

Agendum est de subiecto sacramentorum 1° quoad validitatem; 2° quoad liceitatem; 3° quoad obligationem.

850. *Quinam est subiectus sacramenti?* Est homo qui sit capax effectus sacramenti quod suscipit.

851. *In subiecto* ***ad validam*** *sacramentorum receptionem quaenam exiguntur?*

I. Quoad sacramenta confirmationis, eucharistiae, poenitentiae, extremae unctionis, ordinis sacri et matrimonii, exigitur ut prius receptus fuerit *baptismus*, qui est ianua sacramentorum.

Matrimonium tamen inter duos non baptizatos erit validum, sed solum ut contractus.

II. Si sacramenta dentur adultis, qui sint vel fuerint aliquando rationis compotes; tunc in ipsis *exigitur intentio* seu positiva voluntas (etsi, ut infra declarabitur, in quibusdam sacramentis sufficere possit si sit habitualis, aut etiam solum implicita vel interpretativa) illa recipiendi; non vero sufficit si, proposito illis aliquo sacramento (v. g. baptismo), perplexi vel confusi remansissent; non sufficit nempe quod voluntatem contrariam non conceperint, ut (contra Caietanum) docent theologi communiter cum Benedicto XIV (Const. *Postremo mense n. 47-51*), qui notant sufficere etiam voluntatem metu conceptam; metus enim non tollit voluntarium.

Dixi *si dentur adultis*; quoad baptismum enim datum infantibus aut amentibus qui nunquam rationis usum habuerint (supplente intentione Christo vel Ecclesia vel ministro) a parte subiecti nihil exigitur. Idem dic de confirmatione, eucharistia et ordine sacro (1), si haec sacramenta infantibus (quod hodie non amplius usuvenit) administrarentur.

III. In particulari autem pro hoc vel illo sacramento *quaedam alia exiguntur*. Sic, v. g., in sacramento poenitentiae (iuxta doctrinam thomisticam, quae est communior) pro valido exiguntur etiam dispositiones, et proinde fides (de qua tamen de vide dicta *Vol. II n. 31*), contritio etc.

In matrimonio mutuus consensus coram parocho et testibus expressus exigitur.

Pro sacramentis imprimentibus characterem exigitur quod subiectus illa alia vice non receperit.

Pro extrema unctione exigitur quod sit infirmus in periculo mortis.

Pro ordine quod sit masculus.

Pro matrimonio, quod non adsint impedimenta dirimentia etc.

(1) Olim infantibus simul cum baptismo, confirmatio quoque et eucharistia dabatur. Validam esse quoque (etsi illicitam) ordinationem pueri vel amentis declarat Benedictus XIV (Const. *Eo quamvis*). Addit, eos vi illius non teneri ad divinum officium nec ad vitam caelibem. Assecuta aetate anni decimisexti, optio eis cari deberet, an vellent ratam habere ordinationem, quo casu ad omnia tenerentur sicut alii.

852. *Dixisti in adultis exigi ut habeant voluntatem positivam recipiendi sacramentum, et esse declarandum quomodo voluntas habitualis vel implicita seu interpretativa sufficere possit. Quaenam itaque explicationes hac in re sunt faciendae?*

I. Quoad intentionem *habitualem*, praescindendo nunc a sacramentis poenitentiae et matrimonii, et loquendo de aliis sacramentis, in subiecto (ad differentiam ministri; Cf. supra *n. 809*). Certe *sufficit intentio seu voluntas habitualis*, quae scilicet prius concepta fuerit et nunquam retractata: agitur enim de beneficio recipiendo, ad quod huiusmodi voluntas sufficit. Hinc personae, quae talem conceperit voluntatem, si postea in amentiam inciderit, vel utcumque sensibus destituta remanserit, valide in tali statu, saltem si in mortis periculo versetur, sacramenta conferuntur (sicut valide alia dona darentur). Hoc (quoad baptismum et extremam unctionem) patet etiam ex rituali romano.

II. Absente autem periculo mortis, an valide conferantur sacramenta (excepta extrema unctione) ei qui prius conceperit voluntatem illa recipiendi, conferendo, v. g. baptismum eidem dormienti vel ebrio vel amentia temporanea laboranti; hac de re theologi (Vide Ballerini *Op. Th. X.* 1 *71*) non conveniunt. Ego pro parte negativa starem; voluntas enim fuisset quidem recipiendi illa etiam inadvertenter, sed sic solum in casu necessitatis et quando aliter fieri nequiret. Sed haec est quaestio otiosa circa quam immorari non oportet.

III. Quoad intentionem *implicitam*, haec certe sufficit ad valide recipiendam extremam unctionem, dummodo caeteroquin moribundus non versetur in peccato mortali (de quo dolorem non conceperit); in generali enim voluntate se gerendi more boni christiani, comprehenditur etiam voluntas hoc sacramentum suo tempore recipiendi.

Huiusmodi voluntas implicita adesset etiam quoad baptismum in catechumeno, seu in eo qui christianam religionem amplecti statuisset, etsi de baptismo ipso recipiendo explicite non cogitasset.

Croix (cum quibusdam aliis) dicit, hanc voluntatem adesse quoque in Iudaeis aut quibuslibet aliis infidelibus, qui bene se gerendi generalem habuissent intentionem; quibus propterea dormientibus vel in phrenesim lapsis valide baptismum conferretur. Sed haec doctrina contra sensum Ecclesiae et falsa esse videtur; quantum enim verum est quod christianus vel catechumenus si interrogaretur an vellet mori cum sacramentis Ecclesiae, responderet affirmative; tantundem verum est quod Iudaeus aut quilibet alius infidelis sic interrogatus responderet negative. Attamen vide infra *De baptismo* (*Cap. V Punct.* IV) et Ballerini (*Op. th. l. c. 73*).

IV. Quoad intentionem *actualem aut virtualem*, istam in sacramento poenitentiae exigi pro valido dicunt communiter; idque verum est in sententia Thomistarum qui essentiam sacramenti in actibus quoque poenitentis reponunt; sed in sententia Scotistarum, qui censent hoc sacramentum in sola sacerdotis absolutione consistere, utique sufficere posset intentio habitualis vel etiam solum implicita; et certe absolutio danda est moribundo sensibus destituto qui, antequam sensibus destitueretur, illam petiverit, aut (illa etiam non petita) christianam vitam duxerit.

In matrimonio autem, certe exigitur intentio actualis aut virtualis; ita tamen, ut, si, contrahatur per procuratorem vel epistolam, valere possit quamvis, dum coram parocho matrimonium initur, ille, qui procuratorem vel epistolam misit, dormiret vel utcumque de matrimonio ipso tunc nihil cogitaret. Cf. S. Lig. (*VI 82*).

853. *Quid agendum si qui sacramentum recepit, postea affirmet se*

specie tenus et sine intentione illud recepisse? Si id affirmet ut illud iterum sibi conferatur, facile fides ei haberi poterit vel debebit (excipe nisi iam evidenter de scrupulo omnino spernendo (1) ageretur). Si autem id affirmet ut solvatur ab obligationibus, quae sacramento (v. g. baptismo, vel matrimonio, vel ordini sacro) inhaerent; res prius diligentissime exploranda erit, et, si non appareat manifeste intentionem defuisse, in foro externo non debet ei (etiam iurato) fides haberi; sin id appareat manifeste ac luce clarius, tunc hortandus ut rite faciat quod irrite fecit; at si obstinate repugnet, nihil aliud supererit nisi ut liber dimittatur. Cf. D'Annibale (*III 143*).

854. *In subiecto* ***ad licitam*** *sacramentorum receptionem quaenam exiguntur?*

I. Si agatur de sacramento *vivorum*, exigitur *status gratiae* et quidem sub gravi. Ad acquirendum autem statum gratiae sufficit contritio, excepta eucharistia pro qua (praescindendo a quibusdam casibus urgentibus) exigitur confessio. Dari possunt etiam quidam casus (etsi rarissimi) in quibus liceat sacramentum vivorum recipere in statu peccati, ut puta, si hostia consecrata esset profananda nisi statim absumeretur, vel si quis, accumbens iam in scamno communicantium et communionem mox recepturus, recordaretur peccati mortalis, et propter temporis nimiam brevitatem conteri non posset, ad quod tamen conari teneretur. Cf. Bucceroni (*n. 87*).

II. Si agatur de sacramentis *mortuorum* (scilicet de baptismo et poenitentia) recipiendis ab adultis ratione compotibus et sensibus minime destitutis, *exiguntur dispositiones*, scilicet (si subiectus peccata actualia habeat) dolor ex motivo cognito lumine fidei conceptus cum spe veniae.

III. Exigitur insuper ut subiectus *sit immunis a censuris*, nulla scilicet excommunicatione nulloque interdicto personali obstringatur. Excipe nisi quis ex una parte absolutionem in praesens obtinere nequeat, et ex alia sine

(1) Aliud esset si scrupulus non esset omnino spernendus, et ex invaliditate sacramenti (v. g. baptismi vel ordinis sacri) consequentiae damnosissimae oriri possent. Quid enim si in ordinatione praesbyteratus ordinandus ex scrupulo non habendi fidem vel statum gratiae explicite et formatiter intendisset non consentire ordinationi etsi ex respectu humano discedere non ausus fuisset? In tali casu S. C. S. O. (*28 Nov. 1900* apud *Monitore XII pag. 436*) decrevit: *Ordinationem esse iterandam ex integro sub conditione et secreto.*

gravi incommodo (v. g. scandalo vel infamia) a sacramentis recipiendis abstinere nequeat.

855. *An subiectus possit petere sacramentum* ***a ministro indigno?*** Imprimis nemo praesumi debet indignus, nisi constet eum esse habituatum vel etiam occasionarium sine subsecuta poenitentia. Post peccatum enim unusquisque facile se in Dei gratiam constituere potest.

Supposita autem manifesto statu peccati, certe charitas exigit ut ab illo sacramentum (speciatim si ad illud passim administrandum non esset paratus) minime petatur. Charitas tamen non obligat cum gravi incommodo; et causa plus vel minus gravis (iuxta circumstantias) excusat. Idem dic si minister esset excommunicatus *toleratus*. Si autem esset *vitandus*, tunc sola extrema vel gravissima necessitas excusaret.

856. *Quaenam (et quo pacto) sacramenta dari possunt vel debent* ***infirmis sensibus destitutis?***

I. Ordinarie dari possunt absolutio (sub conditione) et extrema-unctio. Quatenus opus sit, etiam baptismus et confirmatio. Difficile autem, propter periculum irreverentiae, dari poterit eucharistia.

II. Oportet ut sint in periculo mortis vicinae sine lucidis intervallis.

III. Ex necessitate autem intentionis, oportet ut, si ante morbum habuerint usum rationis, non fuerint infideles aut haeretici ex secta. Si autem fuerint catholici, oportet ut proxime ante sensuum amissionem, obstinatam (et subinde notoriam) non ostenderint voluntatem moriendi *impoenitentes* et sine sacramentis.

IV. Sacramenta moribundis sensibus destitutis dari debent non obstante dubio quod sint in statu peccati mortalis, sed aliter et aliter; si enim *fere* certum foret eos esse in tali statu, tunc illis sola sacramenta maioris necessitatis (nempe baptismus et absolutio) dari deberent; alia autem (si administratio absque scandalo vel infamia declinari posset) dari nequirent.

857. *An et quaenam et quo pacto sacramenta dari possint vel debeant* ***surdis mutis*** *a nativitate, qui iam sint adulti et in propriis scholis instructi non fuerint?*

I. Quam maxime verendum est ne Dei, Iesu Christi, et revelationis notitia prorsus careant, fidei veritates ignorent, nullum fidei actum emittere possint, sacramentorum nonnisi materialem cognitionem habeant (Vide supra *n. 89*); et proinde, si futurum sit ut in propriis scholis aut alio

modo sufficienti (prout esplicavi in *Theologia pastorali n. 171*), instruantur, expectandum erit ut hanc instructionem acquirant antequam sacramentum aliquod eis conferatur.

II. Si autem hanc instructionem non sint assecuturi, tunc, (non obstante magno periculo praedictae ignorantiae) certe debent baptizari (si in infantia non fuissent baptizati) et sacramentaliter absolvi (intellige sub conditione) saltem in periculo mortis atque in paschate, et si forte magnum aliquod facinus commiserint. Debent quoque admitti ad matrimonium. Communis autem praxis est ut etiam confirmatione et extrema unctione donentur. Non ita communiter convenitur in praxi quoad eucharistiam (propter specialissimam reverentiam huic sacramento debitam); sed de re ista vide supra dicta (*n. 89*).

III. Equidem, si lumine fidei prorsus carerent, absolutio sacramentalis invalida aut saltem inefficax esset, oportet enim ut contritio ex motivis lumine fidei cognitis eliciatur; sed quum ex una parte fere certum sit quod possint peccare mortaliter et proinde divina venia adeo indigere, et quum ex alia parte spes aliqua (etsi tenuis) subsistat quod absolutio eis iuvare possit; hac, saltem in praedictis circumstantiis, privari non debebunt.

858. *Quid de* ***obligatione recipiendi*** *sacramenta?*

Baptismus non baptizatis; et (saltem semel in anno atque in periculo mortis) poenitentia post baptismum lapsis in grave peccatum, necessaria sunt necessitate non tantum praecepti, sed etiam medii, in re vel in voto.

Eucharistia necessaria est necessitate praecepti in paschate et in morte. Similiter necessitate praecepti (etsi minus graviter) necessaria sunt confirmatio et extrema unctio.

Sacramenta denique ordinis et matrimonii libera sunt, et non nisi *per accidens* sub obligatione cadere possunt.

TRACTATUS IV.

De Baptismo.

Agendum est de baptismi 1° natura et effectibus; 2° materia; 3° forma; 4° ministro; 5° subiecto; 6° ritu, tempore et loco; 7° patrinis; 8° obligatione.

CAPUT I.

DE BABTISMI NATURA ET EFFECTIBUS.

859. ***Quid est*** *baptismus?* Est Sacramentum quod ante alia sacramenta recipitur et delet peccatum originale.

Agitur hic de baptismo quatenus est sacramentum et dicitur baptismus *aquae;* qui distinguitur tum a baptismo *flaminis* seu *desiderii* (consistente in amore Dei perfecto cum voto explicito vel implicito recipiendi sacramentum), tum a baptismo *sanguinis* (qui consistit in morte tolerata pro Christo sive in infantia, sive in adulta aetate, ablato saltem per attritionem affectu ad peccatum). Haec quoque baptismata sufficiunt ad salutem: sed non sunt sacramenta neque imprimunt characterem. Cf. Bucceroni (*De bapt. n. 4*).

860. *Quinam sunt* ***effectus*** *baptismi?* 1° Per infusionem gratiae sanctificantis delet peccatum originale, et alia quoque peccata si adsint. 2° Remittit omnem poenam peccatis debitam (unde babtizatis nulla satisfactio imponi potest). 3° Imprimit characterem (unde iterari non potest). 4° Introducit hominem in Ecclesiam Christi, illumque reddit capacem aliorum sacramentorum etc.

CAPUT II.

DE MATERIA BABTISMI.

861. *Quotuplex est materia baptismi?* Remota et proxima. De utraque in duobus punctis distinctis agendum est.

ARTICULUS I.

De materia remota.

862. *Quaenam est materia* ***remota?*** Est aqua. Quum tamen aqua possit esse corrupta vel mixta cum aliis substantiis, ideo examinandum quando materia sit certe valida, vel certe invalida, vel dubia.

I. Materia *certe valida* est aqua naturalis (seu elementaris composita in statu liquido ex hydrogene et oxygene), quae vel sit pura prorsus, vel cum aliis materiis ita commixta ut (attenta earundem parva quantitate, qualitate, et modo commixtionis) adhuc aqua appellari soleat vel possit, atque sit apta ad hominem aliqua in parte lavandum. Huiusmodi est aqua pluvialis, fontium, puteorum, cisternarum, fluminum, maris, lacuum, stagnorum paludum etc. Item aqua collecta ex rore. Item aqua salsa, sulphurea, ferruginosa vel utcumque mineralis. Item aqua quae vulgo dicitur *Seltz*. Item quae sive ex resolutione nivis vel glaciei vel grandinis vel pruinae; sive ex condensatione vaporis; sive ex distillatione et purgatione ab aliis materiis; sive ex chimica compositione vel decompositione, procurata fuerit. Item (loquendo semper de solo valido) aqua turbida, vel impura, vel condita cum saccharo, vel aliquo succo, vel substantia odorifera, dummodo maior pars sit semper aqua. Ad validitatem pariter non obstaret si esset venenata, nimis frigida, vel nimis calida etc.

II. Materia *certe invalida* est 1° illa in qua nihil sit aquae. Huiusmodi sunt humores corporum animalium, v. g. saliva, urina, sudor, lacrymae, sanguis, lac, serum, liquor amnii (in quo foetus innatat) etc.; item succus sive

fructuum, v. g. uvae, olivarum, pomorum, cucumerorum etc.; sive expressus ex floribus et plantis (attamen, quoad plantas vide subiectam notam (1); unde liquor, qui vulgo dicitur aqua rosae (nisi vera aqua adiuncta fuerit) tamquam materia invalida haberi debet. Neque attendendum si forte aliqua in re adsint elementa aquae (scilicet hydrogenes et oxygenes), haec enim elementa non sunt aqua, quamvis ex illis fieri possit aqua. Hinc glacies, nix, grando etc., donec non fuerint resoluta, materia valida minime sunt. 2° Materia certe invalida est illa, in qua adsit quidem aqua, sed aliae quoque substantiae adsint in maiori quantitate; mixta enim sequuntur naturam praedominantis. Hinc materia certe invalida sunt lutum, aqua mixta cum certe maiore quantitate vini, cerevisia (it. *birra*) admodum fortis (prout ordinarie esse solet) etc. 3° Denique materia certe invalida est illa in qua maior quidem quantitas sit aquae, sed certe ad lavandum inepta sit, v. g. atramentum.

III. Materia *dubia* est illa in qua aqua cum aliis elementis ita mixta sit ut incertum remaneat an praedominet, vel chimice substantialem mutationem subierit. Hoc contingere potest in aqua valde putrida (it. *acqua fangosa*), in qua scilicet magna adsit pars aliarum substantiarum putrefactarum etc., ita ut ambiguum sit an aqua an vero lutum dici debeat. Item in iusculo (it. *brodo*), in lixivio (it. *ranno*), in aqua salis humiditate soluti, in cerevisia non valde forti, in aqua mixta cum incerta quantitate vini; in aqua quae it. dicitur *gazosa;* in theo vel cafeo vel aqua multo citro condita (it. *aqua di limone*), saltem quando ignoretur an quantitas sacchari et aliarum substantiarum aequet vel superet quantitatem aquae. Dixi *contingere potest;* iusculum enim, v. g. adeo tenue vel adeo densum esse posset, ut tamquam materia certe valida vel certe invalida habendum esset.

(1) Quoad plantas, excipi debet succus per radices et stelum *ascendens*, qui revera est adhuc aqua; unde humor, qui verno tempore a vitibus depotatis fluere solet, materia invalida minime esse videtur. Sed quid de succis herbarum (ex quibus apud nos conficitur aqua quae vulgo dicitur *della masotta*)? In illis adest magna pars dictorum succorum *ascendentium*, qui certe sunt commixti cum aliis succis qui aqua minime sunt; et proinde materia dubia esse videntur.

ARTICULUS II.

De materia proxima.

863. *Quaenam est materia* ***proxima*** *baptismi?* Ablutio, quae (loquendo semper de sola validitate) non solum infusione (prout ritu nostro exigitur), sed etiam *immersione* et *aspersione* fieri potest. Sedulo notandum, non quamlibet simplicem madefactionem sufficere; sed oportere ut haec madefactio ad modum ablutionis peracta fuerit; ita scilicet ut dici possit quod minister subiectum vere lavaverit; quod contingit si in aquam illum immergat, aut si in illum ita immittat aquam, ut haec fluat et successive extendatur. Videtur etiam quod lavatio notabilis esse debeat, nec quid minimum et vix perceptibile sufficiat.

864. Hinc non sufficeret si quis infantem manu madefacta simpliciter tangeret; vel in fronte illius simpliciter poneret panniculum madefactum; vel capiti eiusdem applicaret glaciem (etsi haec ipsa glacies postea pedetentim naturali calore resolveretur in aquam et flueret).

Sufficeret tamen si quis spongia vel gossypio vel quavis alia re (quae sit aquâ intrisa) uteretur, dummodo, positive efficiendo ut aqua flueret aut successive extenderetur, vera lavatio interveniret.

Ad minus autem valde dubius esset baptismus, si quis exiguo motu digiti madefacti (speciatim si parum esset madefactus) baptizare praetenderet; et idem dic si unam vel alteram guttulam tantummodo in infantem cadere faceret.

Valeret tamen baptismus si quis aquae sive a coelo, sive a stilicidio, sive a fonte cadenti infantem subiiceret. Cf. Bucceroni (*l. c. 13-20*).

865. Negligo quaestiones aliquas inutiles v. g. *an valeat baptismus, si puer in puteum conticiatur* (qua de re theologi non conveniunt); et *an liceat ita facere si iam iam esset moriturus et aliud medium non adesset* (cui quaestioni respondendum est negative; etsi licere possit uti aqua frigida vel calida quae mortem esset acceleratura). Cf. S. Lig. (*IV 106*).

866. *An valeat baptismus collatus* ***in alia parte, quam in capite?*** Quod valeat, non est omnino certum; et dubium cresceret si pars abluta non esset (sicut pectus, dorsum, scapulae) principalis, sed secundaria (ut pes, manus, digitus). Cf. S. Lig. (*l. c. IV*).

867. *An valeat baptismus si aqua fluxerit quidem* ***in capillis,*** *sed cutem non tetigerit?* Plures absolute stant pro invaliditate, et alii multi censent de baptismo sic collato dubium serium concipi posse. Sed etiam in quaestione ista non immoror, et dico solum quod practice standum est a parte tuta. Vide S. Lig. (*l. c. 107 q. III*).

868. *Quid si aqua non in corpore sed* ***in vestibus*** *dumtaxat inciderit et fluxerit?* Theologi communiter (nisi vestes essent ita tenues ut aqua ad cutem pertingeret et flueret) stant pro invaliditate.

Attamen ne hoc quidem prorsus certum est; pro opposita enim sententia citantur theologi plures, et quidem primi subsellii, nempe Valentia, Soto, et Vega, ut videre est apud Leandrum (*q. XXIII*), qui hanc opinionem probabilem esse censet; et forsan habet etiam aliquod fundamentum in antiqua praxi, qua baptismus per aspersionem, et quidem (uti videtur) pluribus simul unica aspersione (non sine facili periculo quod aqua in solas vestes incideret) conferebatur. In praxi non solum standum est a parte tuta; sed etiam de baptismo sic collato valde tenuis spes validitatis haberi poterit.

869. *Quid de baptismo collato foetui dum adhuc est involutus* ***in decidua*** (it. *secondina*)*?* In casu urgenti posse sic administrari *sub conditione* et probabiliter valere, docent theologi passim; quia (dicunt) illud involucrum cum infantis umbilico unitur, et sic tamquam pars infantis considerari potest.

Capellmann hanc rationem excludit omnino; nunquid enim, quando decidua reciditur, pars pueri reciditur? Neque verum est quod decidua cum funiculo umbilicali connectatur. Connectuntur aliae duae membranae interiores (amnios et corion), sed non decidua. Dicendum est potius, deciduam esse quasi vestem, nec esse prorsus certum quod baptismum supra vestes collatum invalidum sit, ut supra dicebam; unde in casu extremo hic etiam baptizandi modus (si nempe secus infans certe sine baptismo moriturus esset) teneri poterit.

Ut tamen securius baptismus ministretur, involucrum ipsum perforari poterit, ita ut aqua infantis corpus immediate attingat; sed operatio huiusmodi ad peritos spectat; contingere enim potest quod tum foetui tum matri maximum nocumentum (et quidem sine ulla finis intenti consecutione) inferatur. Cf. Capellmann. Nec parochus quemquam ad rem huiusmodi impellere debet, nisi quatenus matri nullum discrimen obventurum sit, ne religio odiosa reddatur. Gousset (*II 83*).

870. *Infusio aquae debetne fieri* ***ab illo ipso qui formam profert;*** *an vero valere potest baptismus, si unus aquam infandat, et alius dicat: Ego te baptizo etc.?* Huiusmodi baptismum esse invalidum docent theologi communissime.

Sed aliqui (inter quos Card. Caietanus) dissentiunt; qui enim dicit: *Ego te baptizo,* loquitur nomine Christi (sicut sacerdos in Missa), et Christus est qui baptizat.

Hinc, si daretur casus pueri moribundi et in talibus circumstantiis ut aliter fieri nequiret (ut puta, si solus mutus posset infundere aquam, et solus mutilatus posset proferre formam); utique tunc etiam hoc modo conferri deberet baptismus, sub conditione.

Certius autem valeret baptismus si unus infunderet aquam, et alius puerum aquae sic cadenti (perinde ac si ex stilicidio caderet) manibus suis supponeret, simulque formam proferret.

CAPUT III.

DE FORMA BAPTISMI.

871. *Quaenam est forma baptismi?* R. In Ecclesia latina est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* In Ecclesia Graeca est: *Baptizatur servus (vel serva) Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* (Matth. *XVIII* et Trid. *VII.* IV).

Plures theologi (inter quos etiam S. Ligorius) dicunt addendam esse vocem *Amen;* sed haec doctrina nedum est contra rituale, sed etiam contra decretum S. R. C. (*9 Iun. 1853 n. 3014*) quod dicit: « Strictim in « casu servetur rituale ».

872. *Quid maxime notandum a parochis in praxi circa hanc formam?* Quod rudes (si forte in necessitate baptismum privatim conferant) facile censent satis esse si dicatur: *In nomine Patris etc.* (omittendo: *Ego te baptizo*), vel si dicatur: *Io ti battezzo* (omittendo: *In nomine etc.*); unde hac in re populus bene instrui debet.

873. *Quaenam exiguntur ut forma baptismi sit* ***valida?*** Sex exprimi debent: 1° Persona baptizans, saltem implicite. 2° Persona baptizandi. 3° Actus baptizandi. 4° Invocatio SS.mae Trinitatis. 5° Unitas Divinae Essentiae. 6° Nomina trium Divinarum Personarum.

874. *Quid si omitteretur vox* ***Ego?*** Valeret baptismus, quia implicite indicaretur in verbo *baptizo*. In forma autem Graecorum subintelligitur, quia perinde est ac si dicatur: *Baptizatur a me.*

875. *Quid si omitteretur pronomen* ***Te?*** Baptismus esset certe invalidus. S. C. Prop. Fid. (*5 Iul. 1841*) apud Zitelli (*De Bapt. n. 2*). Valeret tamen si persona baptizanda exprimeretur aequivalenter, dicendo, v. g.: *Battezzo voi, battezzo lei, battezzo vostra signoria*, etc. vel si adhiberetur nomen proprium etc.

876. *Quid de verbo* ***baptizo?***

I. Significat: abluo vel lavo sacramentaliter.

II. Valeret baptismus si ex ignorantia diceretur: *ego te baptismo* vel *io ti battizzo*, vel *io ti abbattezzo*, vel *io ti battesimo*. Patet ex pluribus decretis apud Bucceroni (*n. 25*). Non vero sufficeret si indicaretur effectus baptismi, dicendo, v. g. *io ti faccio cristiano* (ego facio te christianum) etc.

Certe etiam non valeret baptismus si quis diceret: *Battesimo*: *in nome ecc.*

877. *Quid de verbo* ***in nomine?***

I. Duo significat, nempe *cum invocatione* et *auctoritate*. Hoc postremum (scilicet *auctoritate*) unitatem divinae naturae indicat.

II. S. Lig. (*n. 111*) et D'Annibale (*n. 147*) dicunt dubium esse baptismum si, loco dicendi *in nomine*, diceretur *auctoritate* (quia non exprimeretur invocatio).

Certe invalidus esset baptismus si diceretur: *in nominibus.*

E contra esset certe validus si, loco dicendi *in nomine*, diceretur *cum nomine* (S. C. S. O. *7 Dec. 1742* apud Zitelli *l. c.*); vel si verbum istud repeteretur dicendo: *In nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti;* vel etiam si diceretur: *Ego te baptizo in nomine Patris; ego te baptizo in nomine Filii; ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti.* (S. C. S. O. *13 Ian. 1882*).

III. Si omitteretur particula *in*, dubium reddi baptismum censent plures; quia tunc (aiunt) sensus non esset

quod baptizetur in invocatione, sed solum quod baptizetur auctoritate, seu imperio Trinitatis. Hoc magis verum esse videtur in lingua italica, dicendo: *Io ti battezzo: nome del Padre etc.*

Aliqui dicunt baptismum sic administratum esse certe validum ex resolutione S. C. C. *12 Sept. 1801;* sed haec resolutio rem non evincit; agebatur enim de forma: *Io ti battezzo n' nome del Padre etc.;* in qua profecto particula *in* non deficiebat, sed solum proferebatur iuxta modum linguae etruscae, in qua littera *i* (ante *n*) per aspirationem supprimitur atque adeo subintelligitur, ut notat Lehmkuhl (*II 63*). Idem dicit Génicot (*II 137*)

878. *Quid de verbis* ***Patris et Filii et Spiritus Sancti?***

I. Invalidus esset baptismus si, loco eorundem, diceretur: *In nomine Iesu Christi;* quia tunc tres Personae non exprimerentur; et praeterea debet dici *Filii,* non vero *Iesu Christi.*

II. Dubius esset si diceretur: *In nomine SS.mae Trinitatis;* quia Christus voluit ut tres Personae distincte nominentur.

III. Item non certe validus esset baptismus si diceretur: *In nomine Dei Patris, et Dei Filii, et Dei Spiritus Sancti.* (Pro validitate stat Lehmkuhl *II 64* contra Gury Cas. *II 191*).

IV. Omissio particulae *et* non obesset, nisi mente haeretica omissa fuerit secundo loco ad excludendam personam Spiritus Sancti, atque ad significandum quod Pater et Filius sunt Spiritus Sancti. Cf. Lehmkuhl (*l. c.*).

Caeterum vide dicta (*n. 796*).

CAPUT IV.

DE MINISTRO BAPTISMI.

879. *Quisnam esse potest* ***minister*** *baptismi?*

I. *Pro valido*, quilibet usu rationis gaudens et satis peritus, nulla alia prorsus exceptione facta; ita tamen ut nemo unquam possit baptizare seipsum.

II. *Pro licito*, distinguendum est inter administrationem *solemnem* (scilicet cum caeremoniis a rituali praescriptis), et *privatam* in casu necessitatis.

880. Quoad *administrationem solemnem*, alius est minister *ordinarius*, et alius *extraordinarius*. Ordinarius est sacerdos qui iurisdictionem sive ordinariam (ut episcopus et parochus), sive delegatam habeat (delegari autem potest etiam sacerdos regularis). Extraordinarius est diaconus, ex delegatione Episcopi vel parochi et gravi de causa.

Graviter autem peccaret sacerdos, qui absque delegatione (saltem praesumpta), aut episcopus vel parochus qui sive non subditos (seclusa consuetudine aut delegatione expressa vel praesumpta), sive subditos extra proprium territorium, baptizarent.

881. Quoad *administrationem privatam*, minister potest esse quilibet; ita tamen ut, inter plures praesentes, capaces et non recusantes, oporteat quasdam regulas pro praelatione servare.

Rationes autem praelationis sunt 1° Decentia. 2° Professio religionis catholicae. 3° Immunitas ab excommunicatione. 4° Dignitas. 5° Maior peritia. Me explico. 1° *Decentia:* si nimirum adsit vir et foemina; decentia autem exigat ut haec baptizet (v. g. foetum qui ex utero matris adhuc non exiverit); tunc illa viro semper praeferri debebit. 2° *Professio religionis catholicae;* si nimirum adsint duae personae, una catholica et alia haeretica vel schismatica, tunc persona catholica (quaecumque ea sit) semper acatholicae praeferatur (C. S. O. *20 Aug. 1671*).

3° *Immunitas ab excommunicatione ;* quatenus sacerdos excommunicatus (etsi toleratus), praesente laico non excommunicato, accurrere minime posset (nisi forte toleratus esset requisitus, vel infamia excusaret). S. Ligorius (*n. 117 et VII 158*). 6° *Dignitas :* unde parochus simplici sacerdoti, sacerdos diacono, diaconus subdiacono, clericus laico, vir foeminae, et persona extranea (etsi foemina) matri vel patri infantis praeferri debeat. 5° *Maior peritia:* et hac ratione foemina magis perita viro, qui minus tuto baptizaturus esset, praeferenda esset.

882. Inversio autem huius ordinis modo levem modo gravem culpam constituere potest iuxta casuum et circumstantiarum diversitatem. Culpa mortalis recognoscitur a theologis, v. g. si a patre vel matre, alio praesente ; vel si a laico, praesente sacerdote (secus si praesens esset diaconus aut alius clericus), baptismus conferretur.

Si autem genitores, sic sine necessitate, baptizarent, cognationem spiritualem (usum matrimonii impedientem) contraherent ; secus si, alio deficiente, necessitas urgeret. Cf. Bucceroni et Zitelli.

CAPUT V.

DE SUBIECTO BAPTISMI.

ARTICULUS I.

De requisitis in subiecto pro valido.

883. *Quaenam exigantur in subiecto ut baptismus sit validus ?* Quatuor : 1° ut sit homo vivus ; 2° ut sit natus (saltem pro omnimoda securitate) ; 3° ut prius non fuerit valide baptizatus ; 4° ut, si sit adultus nec fuerit perpetuo amens, intentionem habeat. Haec sunt explicanda.

PUNCTUM I.

De primo requisito, quod nempe sit homo vivus.

N. B. Dubia hoc in puncto oriri possunt 1° si dubitetur de vita. 2° si agatur de monstris.

884. *Quaenam sunt* ***signa vitae et signa mortis?***

Signa vitae et mortis in infantibus modo regulari natis unicuique ita perspicui esse solent, ut nullum dubium supersit.

Non ita est *de foetibus abortivis*. Utique in his *signum certum vitae* est motus et pulsatio cordis vel funiculi umbilicalis. Sed non semper inquiri et distingui potest an cor pulset; nec defectus motus (maxime in primis quinque mensibus, deficiente vi musculorum) signum certum esse solet quod foetus mortuus fuerit.

Signum certum mortis est putrefactio, aut color omni in parte subfuscus (sicut cineris), aut si iam a longo tempore abortus acciderit, speciatim si foetus fuerit adhuc in primis mensibus, maxime vero si mater, ante abortum, iam inde a pluribus diebus liquorem amnii (nempe aquas in quibus foetus natat et sine quibus intra uterum vivere nequit) effuderit.

885. ***Si primo intuitu nec de vita nec de morte constet,*** *quoad baptismum quomodo agendum?*

Distinguere oportet inter foetus iam maturos, aut vitales, qui videlicet saltem septimum mensem incoeperint; et alios magis exiguos vel exiguissimos. (Recolendum quod hodie doctores passim existimant foetum in primis quoque conceptionis diebus anima humana praeditum esse).

In primo casu, aliqua diligentia in signis vitae exquirendis adhibenda erit, antequam de baptismo conferendo (sive absolute sive conditionaliter) aut non conferendo, consilium sumatur.

In secundo casu, non erit mora trahenda in exquirendis signis vitae (ne interim foetus moriatur), sed baptismus illico dari debebit sub conditione *si vivis*.

Notandum quod foetus abortivi saepe exeunt involuti intra deciduam, natantes in dicto liquore amnii ; et quod, si decidua abrumpatur et hic liquor effluat, foetus cito moriendi (imo statim, si sit exiguissimus, v. g. unius mensis, quo casu erit circiter 15 millim.) maximum periculum subit. Hinc auctores suggerunt ut baptismus prius conferatur conditionaliter supra deciduam, et postea decidua ipsa abrumpatur, atque (effluxo liquore amnii) baptismus iterum sub conditione (*si non es baptizatus*) administretur.

Addunt quod, si foetus esset, ut supra, exiguissimus, tunc, prolata forma (*Ego te baptizo etc.*), abruptio deciduae (pollice et indice utriusque manus aliquam membranae ipsius plicaturam apprehendendo) intra aquam fiat ; ita tamen ut ab aqua ipsa foetus postea statim extrahatur. Cf. Debreyne, Capellmann, Lehmkuhl etc.

886. *Quid de illis e corpore matrum emissionibus, quae non abortus, sed* ***molae*** *dicuntur ?*

Hae sunt massae carnis informis, modo magnae, modo exiguae, modo solidiores, et modo ex multis vesciculis liquore repletis efformatae, interdum cum grumis sanguinis, cum ossiculis etc. Interdum etiam quodam tegumento involvuntur. Ut plurimum nihil aliud sunt quam reliquiae foetus mortui ; sed aliquando intra illas foetus vivus (sive in decidua involutus sive non) adesse posset; unde molae ipsae a matribus et obstetricibus investigari et examinari debebunt. Scripsit Roncaglia: « Quot foetus abortivos ex ignorantia obstetricum et matrum excipit latrina, quorum « anima, si baptismate non fraudaretur, Deum in aeternum videret ; et corpus, licet informe, esset decentius « tumulandum ! Sed quibus potissimum sub gravi culpa « competit hanc expellere ignorantiam? Nonne parochis? ».

887. *Quid de* ***monstris*** *?*

I. Imprimis nulla quaestio esse potest de foetu belluae; hodie enim (ut ait Capellmann) tamquam certissimum habendum est quod ex copula inter hominem et brutum generatio sequi non potest.

II. Supponendo itaque quod monstrum ex muliere a viro foecundata natum fuerit, duo dubia intervenire possunt : 1° An monstrum sit homo, seu animâ humanâ informetur. 2° An res sit de homine unico, an vero de hominibus duobus.

III. Monstrum tamquam animâ humanâ informatum haberi non poterit (et proinde baptizari non debebit) in duobus casibus : 1° Si speciem humanam nulla in parte praeseferat (Zitelli *l. c. 3*). 2° Si nec caput nec pectus

habeat (physiologi autem dicunt quod caput sine pectore, et pectus sine capite nunquam invenitur). Hinc v. g. si venter dumtaxat (cum vel sine cruribus) adesset, baptismum conferri non deberet.

Si autem monstrum de specie humana aliquid praeseferat simulque *caput et pectus habeat*, tunc baptismus, sive absolute sive sub conditione, semper conferri debebit. Absolute, si species humana in capite deprehendatur; sub conditione si caput videretur ferinum, et solum pectus vel alia membra conspicerentur humana (Zitelli *l. c.*). Contingere potest etiam quod capitis existentia ambigua esset; et tunc pariter sub conditione baptismus conferri deberet.

IV. Quoad monstra quae *duplicationes* praeseferunt 1° Si caput et pectus (scil. cor) sit unicum; tunc certe homo unicus erit, et proinde unicum baptismum dari debet; nec refert si, v. g. brachia aut crura sint quatuor, aut venter duplex. 2° Si capita sint duo et pectora duo, tunc certe homines duo erunt; et proinde duo baptismata dari debent; nec referret, si venter unicus esset. Si tamen mortis periculum immineret, tunc ambo capita simul aspergi possent, dicendo: *Ego vos baptizo etc.*

Dubium itaque restringitur ad casum duplicis capitis et pectoris unici, et vicissim ad casum capitis unici et pectoris duplicis.

Si capita sint duo et pectus unicum, tunc unum caput absolute et alter sub conditione (*Si non es baptizatus etc.*) baptizetur.

Si caput sit unicum et pectora sint duo; tunc caput baptizetur absolute, et unumquodque pectus sub conditione. Dixi *unumquodque;* tunc enim discerni nequit quodnam pectus simul cum capite baptizatum remanserit.

At vero contingere potest etiam quod in capite unico cerebrum duplex (speciatim si facies essent duae) videatur; et tunc duo baptismata in partibus magis distinctis dari debebunt, unum absolute et alterum sub conditione (ut supra).

Denique contingere potest quod in pectore duplicitas videretur adesse, sed non bene conspiceretur; et tunc, baptizato capite, duo baptismata (ut supra) in pectorum partibus magis distinctis dari deberent.

PUNCTUM II.

De secundo requisito (saltem ad omnimodam securitatem), quod nempe foetus sit natus.

888. *Quot casus hoc in puncto contingere possunt?* Tres: 1° quod foetus caput emiserit; 2° quod emiserit solum aliquod aliud membrum; 3° quod sit adhuc totaliter intra matrem.

In primo casu, baptismus est certe validus, dicente rituali: « Si infans caput emiserit et periculum mortis « immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus « evaserit, erit iterum baptizandus ».

In secundo casu, baptismus erit dubius, dicente rituali: « Si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet mo- « tum, in illo, si periculum pendeat, baptizetur: et tunc, « si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus ».

De tertio casu, rituale dicit: « Nemo in utero matris « clausus baptizari debet ».

Attamen haec tertia regula certe non extenditur ad casus necessitatis, in quibus (prout contingere solet in partu difficili) ex una parte periculum sit ne foetus moriatur antequam nascatur, et ex alia effici possit ut aqua ad illum perveniat (1): tunc enim theologi communissime docent baptismum administrari nedum posse sed debere.

Sed baptismum istud eritne semper validum? Patet esse dubium si aqua ad caput non perveniat, maxime vero si foetus in decidua sit involutus (tunc enim, ut supra vidimus, exiguissima validitatis spes adesse poterit). At vero, quamvis aqua ad caput certe pervenisset, adhuc aliquod dubium superesset, et baptismus (si infans nasceretur et superviveret) iterum sub conditione conferri deberet. Patet ex decreto S. C. C. *(12 Iul. 1794, in Sutrina*, quod refert Lehmkuhl *II 74)*. Contigerat enim quod in partu difficili medicus caput infantis clare observaret atque syphone aquae assumpto, illam in caput infantis infunderet cum forma et inten-

(1) Hoc obtineri potest ope syphonis. Si instrumentum istud non haberetur, et foetus prope orificium esset, digitus, madefactus adhiberi posset, sed ita ut infans aqua non solum tangatur, sed (motu digiti) abluatur. Quum tamen aqua in digito facile evanescere possit antequam foetus sic abluatur, penicillus potius, vel spongia, vel bombacium, vel panniculus aqua bene intrisus adhiberi posset.

tione rite servata. Et quamquam attestabatur, physica necessitate aquam debuisse ad infantis caput pertingere, nihilominus S. C. considerans puerum penitus in utero materno delituisse, contra parochum, qui nolebat sub conditione rebaptizare, e partibus patris infantis stetit, qui iterationem baptismi petierat. Ratio fuit quia scriptum est : « Nisi quis renatus « fuerit ex aqua et Spiritu Sancto etc. »; (non potest autem renasci qui nondum natus est). Et hanc (non vero incertitudinem an aqua pertigerit ad caput infantis) fuisse veram rationem resolutionis, patet ex alio recentissimo eiusdem S. Congregationis (*16 Mart. 1897*) responso. Ad quaesitum enim : « Si in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur « per methodum longe perfectiorem, quae nunc temporis adhibetur, aquam « caput infantis in utero sine dubio attigisse, deberetne infans iterum sub « conditione baptizari post ortum? » S. C. respondit : « Servetur decretum *12 Iulii 1794* »; decretum nempe supra relatum.

PUNCTUM III.

De tertio requisito, quod nempe baptismus alia vice collatus non fuerit.

Si certum sit baptismum alia vice fuisse valide administratum, vel si certum sit contrarium, tunc nulla difficultas. Si vero res ista sit dubia vel incerta, tunc baptismus sub conditione repeti debebit. Hic agendum est de quibusdam casibus practicis, in quibus dubium intervenire potest. Sunt autem 1° quoad infantes qui domi baptizati fuerunt; 2° quoad infantes expositos; 3° quoad filios vagorum ab eis derelictos; 4° quoad baptizatos ab haereticis.

889. *Quid de **infantibus domi baptizatis**?*

Non potest approbari praxis eos omnes indiscriminatim rebaptizandi sub conditione, sed interrogationes fieri debent : si autem iam non esse rationabiliter dubitandum de baptismo rite collato reperiretur, tunc ab iterata eiusdem administratione omnino abstinendum esset.

Patet I. Ex rituali dicente : « Interroget..... an (infans) sit domi « baptizatus, et a quo et quam rite ».

Patet II. Ex catechismo rom., qui, postquam dixerit quod subsistente dubio de validitate baptismi, est iterum administrandum cum adiunctione conditionis : *Si non es baptizatus etc.;* illico subiungit : « Qua in re tamen « diligenter a pastoribus aliqua providenda sunt.....; neque enim desunt « qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu « cum adiunctione illa (*conditionis*) baptizent; quare, si infans ad eos « deferatur, nihil prorsus quaerendum putant, an is prius ablutus fuerit, « sed statim ei baptismum tribuunt. Quin etiam, quamvis exploratum « habeant, domi sacramentum administratum esse, tamen sacram ablutio- « nem in ecclesia, adhibita solemni caeremonia, cum adiunctione (*conditionis*) « repetere non dubitant. Quod quidem sine sacrilegio facere non possunt; « et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum scriptores *Irregu-* « *laritatem* vocant : nam ea baptismi forma (*conditionata*), ex Alexandri

« Papae auctoritate, in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter « perquisita, dubium relinquitur, an baptismum rite susceperint : aliter « vero nunquam fas est, etiam cum adiunctione (*conditionis*), baptismum « alicui iterum administrare ».

Patet III. Ex S. C. C,, quae interrogata : An infantes domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione rebaptizandi ? Respondit : « Ne- « gative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi » (*27 Mart. 1683* apud Bened. XIV *Inst. LXXXIV*).

Patet IV. Ex doctrina theologorum, inter quos Benedictus XIV (*Inst. VIII*) scripsit : « Caveat sacerdos ne baptismi sacramentum *sub con-* « *ditione* infantibus conferat ea causa permotus, quod obstetricum manu « lustrati tantum expiatique privato loco fuerint. Quippe id solum per- « mittitur, cum post sedulam inquisitionem ambigi potest an rite bapti- « smus collatus fuerit, *De quibus* (inquit Alexander III) *dubium est an* « *baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis etc.* Qui aliter fe- « cerit, uti ex S. Carolo Borromaeo et Catechesi Tridentinae Synodi de- « prehenditur, irregularis fit, et gravissimo sacrilegio implicatur ».

Patet V. Ex ratione : quia scilicet agitur de re magni momenti in qua temere et inconsulto procedi nequit; et, quando iam habetur certitudo baptismi rite collati, vera rebaptizatio, ex se se certe invalida, locum ha- bet et conditio stulte apponitur. Cf. Bened. XIV (*Inst. LXXXIV* 11).

890. *Sed quomodo et quousque fieri debebunt inquisitiones ad cognoscendum an infans valide fuerit domi baptizatus?*

Fieri debebunt inquisitiones, interrogando praesentes qui infantem deferunt, sed (ut plurimum) non ultra. Me explico.

I. Si (prout ordinarie contingit) obstetrix praesens, iam cognita tamquam in baptismo conferendo bene perita, testetur se baptismum infanti iam perfecte nato contulisse, tunc illius testimonium (etsi unicum) sufficiens erit. Et hac de re vide Benedictum XIV (*De Syn. VII.* VI *4, et Inst. VIII in fin.*) Excipe nisi aliquid foret in contrarium, utpote si obstetrix esset hebraea, aut ita improba vel le- vis, ut de illius assertione merito dubitari deberet. Suffi- ceret etiam si non obstetrix, sed alia persona praesens et fide digna testaretur se baptismum contulisse, illamque examinando, quod bene se gesserit reperiretur. Sufficeret denique persona praesens et non suspecta, maxime vero si plures praesentes fidem facerent quod a persona (quae vere sit perita), baptismus infanti perfecte nato collatus fuerit.

II. Si autem persona quae baptizavit non sit cognita tamquam perita, et (eo quod non sit praesens) hic et nunc

examinari non possit ; tunc (non secus ac in aliis casibus dubiis) baptismus ut plurimum erit sub conditione repetendus ; non enim credo tunc infantem indiscriminatim remitti debere domum sine baptismo, ut prius fiant inquisitiones ; quae profecto (maxime si neonatus a loco valde dissito delatus fuerit) non parum incommodae et saepe periculosae futurae essent.

891. *Quid de pueris* ***expositis*** *?* Baptizandi sunt sub conditione, quamvis deferantur cum schedula, quae dicat eos fuisse baptizatos ; et quamvis iam essent grandiusculi et ultra unum aetatis annum habere viderentur. Excipe nisi schedula ipsa ita authentica esset, ut baptismi rite collati certitudo haberi deberet. Patet ex responso S. C. C. (*18 Dec. 1723*) apud Bened. XIV (*Inst. VIII 8*).

Quid si schedula diceret infantem esse filium parentum hebreorum et non esse baptizandum? Hoc non obstante, baptizandus esset. Excipe nisi genitores se manifestarent revera, et cum iure filium ad se revocandi illum ad tempus brephotrophio traderent. Berengo (*n. 82*).

892. *Quid de* ***filiis vagorum,*** *qui a parentibus derelicti inveniantur ?* Quum vagorum religio ignorari soleat, pueri huiusmodi sub conditione baptizari deberent; idque quamvis quatuor vel quinque et amplius aetatis annos habere viderentur ; nisi ex certis argumentis eos fuisse rite baptizatos constaret. Gousset.

893. *Quid* ***de haereticis*** *et protestantibus ad fidem conversis ?* R. « Instituto in singulis casibus exa-
« mine, si compertum fuerit aut nullum (baptismum) aut
« nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si
« autem, pro temporis et locorum ratione, investigatione
« peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate
« detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi vali-
« ditate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur.
« Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt
« tantummodo ad abiurationem fidei ». Ita S. C. S. O. (*20 Nov. 1878*).

894. *Quid de filio iam adulto parentum catholicorum, de quo fides baptismi ei collati non inveniretur ?* Praesumendum erit fuisse baptizatum, nec baptismum

repeti poterit. Excipe nisi ageretur de parentibus nomine quidem catholicis sed de facto incredulis; tunc enim prudens examen institui, et dubio remanente, baptismus conditionate conferri deberet. Ballerini (*Op. th. De Bapt. n. 67*).

PUNCTUM IV.

De quarto requisito, quod scilicet baptizandus, si sit adultus, nec sit amens a nativitate, intentionem habeat.

Eum, qui a nativitate amens fuerit, aequiparari infanti, atque adeo valide baptizari; in adultis autem rationis usu compotibus pro valido exigi intentionem, notissimum est. Sufficere autem intentionem habitualem, casu quo quis, intentione concepta, postea sensibus destituatur et in periculo mortis versetur; et quo sensu tunc sufficere possit etiam intentio implicita, vidimus supra (*n. 852*).

895. *Quaeritur an validus sit baptismus, si conferatur adulto sensibus destituto, qui olim rationis compos fuerit, etsi nulla habeatur notitia quod tunc religionem christianam amplecti desiderasset?* Resp. Si versetur in periculo mortis vel in periculo usum rationis nunquam amplius recuperandi, poterit quidem (consulto Episcopo) baptizari sub conditione; sed baptismus valebit vel non valebit, secundum quod praedictum desiderium habuerit vel non habuerit. Forsan valeret etiam si nullam religionem firmiter professus fuisset, neque religioni christianae contrarius extitisset, simulque generalem placendi Deo eiusque mandata omnia servandi voluntatem habuisset. Cf. Zitelli (*De Baptismo n. 3*) et quosdam auctores apud Ballerini (*Op. th. De Sacr. in gen. n. 73*).

ARTICULUS II.

De requisitis in subiecto pro licito.

896. *Quaenam exigantur* ***dispositiones in persona adulta pro licito?*** 1° Fides. 2° Poenitentia, scilicet contritio vel saltem attritio de peccatis. 3° Catechumenatus, seu instructio circa ea omnia quae necessitate sive medii sive praecepti explicite sciri debent.

897. *Circa* ***catechumenatum*** *quaenam speciatim sunt notanda?*

I. Quae certe vel probabiliter necessaria sunt necessitate medii explicari debent catechumenis etiam moribundis, dummodo sensibus destituti minime sint. Idem

dic de instructione circa alia sacramenta quae ab iisdem moribundis recipi debent, nisi aliquid in contrarium adsit.

II. In quibusdam casibus catechumenorum apud infedeles prudentia exigere potest, ut aliquod mysterium (v. g. eucharistiae) explicetur solum post baptismum. Ea tamen, quae pertinent ad unitatem atque indissolubilitatem matrimonii (quatenus opus sit) explicari debent antea, neque ad baptismum admittendi essent qui hac in re acquiescere nollent.

III. Caeterum regula est ut catechumenus plene (ut supra) instruatur ante baptismum, nec sufficit si promittat fore ut instruatur postea.

Haec omnia patent ex decretis C. S. O. apud Zitelli (*l. c. n. 3*).

898. *An et quo pacto baptizari possint* ***filii infidelium vel haereticorum ?*** Iuxta diversos casus diversis modis responderi debet, prout sequitur.

I. *Si certe habeant usum rationis et petant baptismum* (quod adhuc nullo modo aut non valide receperint), *baptizari possunt et debent, non obstante parentum reluctantia ;* circa enim illa, quae ad salutem aeternam assequendam pertinent, plene sui iuris sunt, quamvis adhuc sub patria potestate essent.

Quum tamen, reluctantibus parentibus, ordinarie futurum sit ut iuvenes catechumeni necessitati deserendi domum paternam, aliisque gravissimis incommodis, persecutionibus et damnis, imo et periculis a fide deficiendi subiiciantur; hinc prius *non parum probandi erunt ;* et quoad tempus, locum et modum baptismum recipiendi (maxime si propter leges civiles a parentibus se subducere nequirent) magna ponderatio, et *consilium Episcopi* exigeretur. Lehmkuhl (*n. 80*).

II. *Si pueri nondum certo, sed dubie tantum, usum rationis habeant, tunc (quamvis parentes consentirent) certiora usus rationis indicia expectanda erunt,* ut decursu temporis more adultorum ad fidem et baptismum adducantur.

Excipe 1° si necessitas urgeret et in mortis periculo versarentur; 2° si parentes consentirent nedum baptismo,

sed etiam christianae eorundem educationi apud familiam vel collegium catholicum. Cf. Zitelli (*l. c.*) et Lehmkuhl (*n. 81*).

III. *Infantes, et pueri rationis usu adhuc destituti, quorum parentes baptismo non consentiant, baptizari nequeunt.* Quamvis enim (dicente Augustino: *Non enim scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.*) baptismus tunc quoque validus esset (qua de re vide Const. *Postremo mense* Bened. XIV *n. 26*); tamen Ecclesia (speciatim quoad filios infidelium) illum semper districte vetuit.

S. C. C. (*16 Iul. 1639*) statuit *filios Iudaeorum non esse invitis parentibus baptizandos donec perveniant ad aetatem legitimam; et tunc si ipsi consentiant. Aetatem vero legitimam regulariter censeri completo septennio.* Iulius III autem imposuit poenam mille ducatorum baptizantibus filios Hebraeorum reluctantibus parentibus. Rationes sunt duae, quas affert D. Th. (*III.* LXVIII. X) inquiens: « (1°) Pueri infidelium filii...., si « nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub « cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt...; et ideo con« tra iustitiam naturalem esse, si tales pueri invitis parentibus baptiza« rentur (*intelligo multo magis quia postea ab eorum manibus, ad aver« tendum perversionis periculum, eripi deberent*), sicut etiam si aliquis « habens usum rationis baptizaretur invitus. (2°) Esset etiam periculosum « taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redi« rent propter naturalem affectum ad parentes; et ideo non habet hoc « Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizaren« rentur ».

Sane nec Principibus temporalibus nec Ecclesiae (quoad infideles) haec auctoritas inest, ut (*n. 86*) probat Lehmkuhl. Deus iubet quidem omnes baptizari, sed si id fieri possit satis suaviter et cum spe fructus.

Hoc autem adhuc melius declaratur a S. C. S. O. quae in *Instr. 27 Ian. 1767* (apud Bucceroni *Enchir. De baptismo n. 248*) dicit: « Nemo non « videt filios ex haereticis parentibus genitos, qui suorum genitorum curae « ac educationi permittendi sint, cum primum ad discretionis aetatem per« venerint, paternis erroribus fore imbuendos, et fidem catholicam quam « per sponsores in baptismo profiteri debent, sacrilege eiuraturos ad ma« iorem sui condemnationem et catholicae Ecclesiae in qua regenerati sunt « graviorem contemptum.... Equidem nec illis prodesse potest baptismus « apostatis a catholica fide, usu rationis accepto, mox futuris, nec san« ctitas sacramenti patitur ut cum manifesto profanationis periculo eisdem « conferatur ».

Sed quid de systemate baptizandi filios infidelium solum in talibus circumstantiis, ut sic ex parte longe maiori salutem aeternam assecuturi essent et ex parte longe minori in infidelitate vitam essent ducturi? Hoc etiam systema ab Ecclesia non probatur. Enimvero quaesitum fuit: An apud Sinenses possint baptizari extra periculum mortis infantes morbis affecti, qui deferuntur ad missionarios ut iisdem medicinam praebeant, quique maxima ex parte morituri sunt antequam perveniant ad usum

rationis: quamvis alii (in parte longe minori) superviventes ethnicam genitorum superstitionem secuturi et sic baptismum receptum profanaturi sint? S. C. S. O. (*4 Maii 1853*), apud Collectaneam S. C. De P. F. (*n. 586*), respondit: « Non licere, si filii in potestate infidelium sint relinquendi, « secluso mortis periculo ».

899. Hoc tamen Ecclesiae vetitum constituit quidem regulam ordinariam, sed non extenditur ad nonnullos casus exceptionales, in quibus ex una parte per baptismum bono spirituali infantium consuli possit, et ex alia incommoda nulla aut certe non praeponderantia timeri debeant. Casus huiusmodi sunt sequentes.

1°) Si infans versetur in articulo mortis imminentis (Bened. XIV *Const. cit. n. 8*), vel si utcumque iam certum sit quod puer ante annos discretionis (v. g. ex testimonio medicorum) moriturus erit. Lehmkuhl (*l. c. n. 82*). Idem dic etiam de adultis, qui amentes a nativitate perpetuo sic mansuri sint.

Solus morbus periculosus (etsi de peste ageretur) non sufficeret, sed praecise mortis articulus expectandus esset. S. C. De Prop. Fid. apud Scavini (*II 224*). Et tunc etiam a baptismo conferendo obstinere oporteret si timeretur grave damnum commune rei christianae ob infidelium praeiudicia, si nempe exinde persecutio provocari posset. Génicot (*II n. 146*).

2°) Si infans expositorum hospitali catholico traditus fuerit. Idem dic si utcumque prorsus proiectus et derelictus fuisset. Bened. XIV (*Const. cit. n. 9*).

3°) Si infans Ecclesiae aut viro catholico ut baptizaretur et extra domum paternam catholice educaretur a parentibus oblatus et acceptatus fuisset: tunc enim non obstaret si postea parentes ipsi oblationem et acceptationem istam (iam iuridice validam) rescindere praetenderent.

Idem dic si solus pater, vel alter patriam potestatem habens, praedictum consensum dedisset. Lehmkuhl (*l. c. 84*) et Bened. XIV (*Const. cit. 15 et seqq.*).

IV. *Quoad infantes, quorum parentes haeretici vel infideles baptismo consentiant, decisio pendet a periculo perversionis.* Habemus autem decreta sequentia.

1°) Quoad filios haereticorum, ad quaesitum: « Si duo « coniuges protestantes, deficiente ministro proprio, exhi-

« berent parocho alterive sacerdoti catholico, proprium « infantem baptizandum, declarantes, sese per hoc haud « intelligere obstringi ad eum educandum in religione « catholica, poteritne parochus eum baptizare, ut interim « in tuto ponat innocentis infantuli aeternam salutem, « praescindendo ab eo quod in futurum evenire possit, « quando ad aetatem discretionis pervenerit? » S. C. S. O. respondit: « Negative, praeterquam in periculo mortis » (apud Acta *XVIII 343*). Et idem dicitur a Benedicto XIV (Const. *Postremo mense n. 23*).

2°) « Baptismum posse conferri (*filiis apostatarum « qui petunt eorum filios baptizari*), dummodo adsit spes « iusta et rationabilis separationis dictorum infantium a « parentibus ac transmissionis ad catholicos, et christianae « educationis, de qua baptizaturus diligenter inquirat. S. « C. S. O. *28 Ian. 1637* (apud Collectaneam S. C. De P. F. *n. 542*).

3°) « Utroque parente in infidelitate permanente non « licere, secluso tamen mortis periculo, quando filii sint « in eorum potestate relinquendi, etiamsi detur promissio « filios, cum adoleverint, de suscepto baptismo certiores « faciendi, eiusque permittendi exercitium religionis chri- « stianae ». S. C. S. O. *22 Iul. 1840* (*l. c. n. 580*).

4°) « Infantes (*oblatos a genitoribus infidelibus*) posse « licite baptizari, dummodo missionarius fundatum moti- « vum habeat credendi fore ut eorum quoque parentes in « posterum baptismum sint petituri ». S. C. S. O. *11 Dec. 1850 l. c.* (*n. 585*).

5°) « Ad dubium... de pueris qui in potestate paren- « tum infidelium relinquendi erant, sed fundata suberat « spes fore ut in religione catholica institui possent, re- « spondit (S. Congr. S. O.): Remittendum prudenti arbi- « trio et conscientiae missionariorum (audito, si fieri possit, « praefecto apostolico), qui in expositis circumstantiis « baptizare possint pueros a parentibus non baptizatis « oblatos, dummodo in singulis casibus non praevideatur « ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo « non constet parentes ob superstitionem filios offerre « baptizandos ». S. C. S. O. *1867* (*l. c. n. 592*).

6°) Quidam infideles vitam errantem ducentes (qui vocantur *Goagiri*) in America facile cupiunt ut filii baptizentur (forsan ut recipiant munera a patrinis). In praxi pueri huiusmodi partim moriuntur ante usum rationis (et sic salvantur), partim autem ut plurimum vitam ducunt ad modum infidelium. Illuc etiam adulti aliqualiter instructi baptismum postulant et accipiunt, sed ipsi quoque tamquam infideles vivunt, et vix aliquoties in vita, facilius tamen in mortis articulo, si sacerdotis copiam habeant, religionis auxilia libenter suscipiunt. Ad quaesitum an Goagiri sic possint baptizari? S. C. S. O. die *6 Sept. 1889* (apud *Monitore Vol. XI. p. 291*) respondit: « *In expositis circumstantiis posse licite Goagiros baptizari; remittendum tamen prudentiae et conscientiae missionariorum in singulis casibus adultos vel pueros Goagiros baptizare. Et detur decretum S. Officii a. 1867* » (ut supra 5°).

Notandum autem quod 1° ad vitam christianam facilius adducuntur baptizati quam non baptizati; 2° alicubi adesse scholas et collegia catholicorum, quae a filiis quoque infidelium frequentantur; 3° multas esse circumstantias hac in re ponderandas, et proinde iudicio praefecti apostolici multum esse relinquendum.

V. *Quoad infantes progenitos ex patre infideli et matre christiana, quae illos baptizandos offerret*, decisio penderet a circumstantiis, scilicet a spe quod filius non patris superstitionem, sed christianam matris educationem secuturus sit. Ita Benedictus XIV (*Const. cit. n. 23*). Vide etiam Lehmkhul (*II 84*).

900. *An infantes* ***filii catholicorum,*** *qui inter nos impii et apostatae evaserint,* ***invitis parentibus,*** *baptizari possint vel debeant?* Negat Gousset (*II 81*), qui in baptismis huiusmodi nedum imprudentiam et consequentias religioni damnosas, sed etiam violationem iustitiae naturalis conspicit. Sed, si pater quidem nollet ut filius baptizaretur, mater autem consentiret, baptismus conferri posset (qua de se habemus decretum S. C. S. O. apud collectionem Propagandae Fidei *n. 546*); sed caute vel privatim, et consulto Episcopo. Idem dicerem si, mortua matre, vel etiam utroque parente dissentiente, con-

sentirent alii proximi consanguinei et familiares, unde christianae educationis spes esset; ius enim habet Ecclesia baptizandi filios haereticorum et apostatarum, eoque uti potest si adsit spes fructus, nec magis malum quam bonum secuturum sit. Cf. Génicot (*II 146-148*).

CAPUT VI.

DE BAPTISMO QUOAD RITUS, ET QUAEDAM ALIA OBSERVANDA, SPECIATIM CIRCA TEMPUS ET LOCUM.

901. *Quid de distinctione inter baptismum* ***solemne et privatum?*** Si conferatur in ecclesia (vel in oratorio prout fieri solet quoad filios Principum) aut etiam in domo privata (quando aliter fieri nequeat, prout contingere potest in locis infidelium) cum aqua baptismali et omnibus caeremoniis atque requisitis consuetis; tunc *prorsus solemne* appellatur. Dicitur e contra *prorsus privatum* si, omissis caeremoniis omnibus, sola substantialia sacramenti (scilicet materia et forma) adhibeantur. Denique est *partim solemne et partim privatum,* si administretur a sacerdote neque ad sacrum fontem neque cum omnibus caeremoniis et requisitis, sed solum cum illis quae iuxta circumstantias adhiberi valent, remanente obligatione supplendi omissa in ecclesia, quo citius fieri poterit. Cf. Zitelli (*De Bapt. § II.*).

902. *Loquendo de baptismo solemni, quod confertur in ecclesia, quid imprimis de* ***sacro fonte*** *et de* ***aqua benedicta?***

« *Baptisterium* sit decenti loco et forma, materiaque « solida et quae aquam bene contineat, decenter ornatum « et cancellis circumseptum, sera et clavi munitum, atque « ita obseratum, ut pulvis vel aliae sordes intra non pe- « netrent; in eoque (ubi commode fieri potest) depingatur « imago S. Ioannis Christum baptizantis » *Rituale Rom.*

Aqua sacri fontis benedici debet in sabbato non solum Paschae sed etiam Pentecostes (veteri in sacrarium effusa); idque non solum in cathedralibus aliisque ecclesiis princi-

palibus, sed etiam in quibuslibet paroeciis vel subsidiariis, ubi adest fons baptismalis (non obstante quacumque consuetudine contraria) Nec potest ab ecclesiis principalibus ad secundarias aqua benedicta deferri; et quidem oportet ut ex integro (inclusa scilicet oleorum infusione) in singulis ecclesiis benedicta fuerit; etsi sufficere possit benedictio privata, si clerus deficiat. S. R. C. *Decr. 3331. 3776. 4005. 3092.*

Quid si hora benedictionis in sabbato sancto nova olea (ab Episcopo *Feria X in Coena Domini* benedicta) adhuc non pervenissent? Aqua nihilominus benedici deberet; et quoad oleorum infusionem distinguendum. Si cito perventura sint et infantes baptizandi non adsint, tunc infusio facienda erit postea privatim quando pervenient, cum precibus ut in missali; si vero diutius retardare possint, aut si necessitas urgeret administrandi baptismum hic et nunc; tunc oleis veteribus utendum esset; adhibendo nova in vigilia Pentecosten. *Decr. 2434. 2773. 3092.*

Si infra annum aqua benedicta deficere inciperet ita ut sufficienter duratura non esset, alia aqua non benedicta addi posset, sed in minori quantitate. Si vero totaliter defecisset, aut corrupta evasisset, tunc fons mundari deberet, et statim nova foret consecranda iuxta formulam quae in rituali adest.

903. *In baptisterio praeter sacrum fontem quaenam in prompta esse debent?*

I. *Vascula parva* in quibus adest oleum cathecumenorum et chrisma.

Haec vascula debent esse argentea aut saltem stannea, bene obturata, et cum suis inscriptionibus incisis litteris maiusculis, ne parochus erret et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter.

Si infra annum olea deficerent et alia haberi non possent, aliud oleum non benedictum adiici deberet, sed in minori quantitate.

Ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis bombacium oleo sacro et chrismate separatim perfusum, in quo pollex ad inungendum immittatur.

Quatenus autem apus sit, maiora vascula habeantur (ex quibus in parva ad usum quotidianum oleum et chrisma infundantur). Haec autem sub clavi in loco proprio et decenti asserventur.

Quantum fieri poterit, a sacerdote vel clerico, non

autem a laicis, haec olea ab ecclesia cathedrali deferantur; nec de aliis pars aliqua ulli unquam tribuatur cuiusvis rei praetextu.

In fine anni (perventis novis oleis et non antea) vetera bombagio intrisa comburantur; liquida vero, si adsint, pro lampade SS.mi Sacramenti (ut alibi notavi) adhibeantur. Berengo (*n. 74*).

II. *Vasculum cum sale*, qui in os baptizandorum immittendus est.

Sal debet esse bene confractus, et attritus, siccus et mundus.

Debet benedici actu baptismi, vel etiam potest esse prius benedictus. Benedictio est propria (prout in Rituali *Ord. Bapt. parvulor.*), neque valeret sal exorcizatus ad benedicendam aquam lustralem.

Sal ita benedictus nemini tradi potest; sed, si evasisset ineptus et inutilis, in sacrarium abiici deberet.

III. *Cochlear* ex argento vel alio metallo ad aquam baptismi fundendam super caput baptizandi, quod nulli alii usui deserviat, et bene nitidum sit.

IV. *Pelvis*, seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in sacrarium defluat.

V. *Gossypium* (seu bombacium) ad abstergenda loca sacris oleis inuncta.

VI. *Stolae* duae, una violacea et altera alba. Unica tamen stola bicolor, nempe ex una parte violacea et ex alia alba, pro duabus valere potest. S. R. C. (*Decr. 3086*).

VII. *Medulla panis*, qua inuncti sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur; et *vas pro manuum lotione* post baptismum, quod huic tantum usui deservire debet.

VIII. *Alba vestis* in modum pallioli, seu linteolum *candidum* infantis capiti imponendum.

IX. *Cereus*, seu candela cerea baptizato ardens tradenda.

X. *Rituale*.

XI. *Liber* in quo baptizati describantur.

904. *Quid de* ***praestandis a ministro*** *in solemni baptismi administratione?* Alia in ipsa administratione, alia ante, et alia post, praestari debent.

905. *Quid de praestandis* ***ante?***

Minister lotis manibus, superpelliceo et stola violacea se induat.

Saltem unum clericum secum adhibeat superpelliceo pariter indutum, qui sibi ministret.

Sic paratus accedat ad limen ecclesiae, ubi (foris, nisi diversa sit consuetudo) expectant qui infantem deferunt.

Interroget (quatenus opus sit) an infans sit suae paroeciae. Item an sit masculus vel foemina. Item an domi fuerit baptizatus et a quo et quam rite. Item quodnam nomen infanti imponi velit.

Nomina obscoena, ridicula, aut inanium Deorum prorsus propria, non acceptentur. Rituale dicit, esse quoque curandum ne Ethnicorum nomina apponantur; sed quaedam ex istis, v. g. Hercules, Scipio, Caesar etc. christianis quoque communia evaserunt; unde, si respuerentur tamquam vetita, id pro scrupulo et morositate haberetur. Caeterum parochus (ubi prudenter possit) consilium dabit ut nomina Sanctorum semper eligantur.

Sed quid si is, qui infantem defert, nollet prorsus eum baptizari, nisi imposito nomine alicuius impii vel Ecclesiae hostis? Non ideo fas esset illi baptismum differre, sed baptizandus esset, addito submissa voce nomine alicuius Sancti. S. C. S. O. (*1 Iun. 1883*).

Denique interroget quinam sint patrini, qui infantem teneant, pro eoque respondeant. Sed de patrinis, quia plura sunt specialiter notanda, sermo habebitur infra.

906. *Quid de praestandis* ***in ipsa administratione?***

Haec administratio (prout in rituali) habet tres partes. Prima in caeremoniis antecedentibus; secunda in baptismate cum caeremoniis concomitantibus; tertia in caeremoniis subsequentibus consistit.

Caeremoniae tam antecedentes quam concomitantes et subsequentes (seclusa causa excusante) adhiberi debent sub gravi.

Peccatum mortale autem interveniret non solum si omitterentur omnes, sed etiam si ex illis aliqua maioris momenti negligeretur: cuiusmodi esse censentur, v. g. aqua baptismalis (adhibendo communem); unctio olei cathecu-

menorum; unctio chrismatis; triplicatio in ablutione; adhibitio patrinorum etc.

Si tamen baptismus solemniter collatus postea deprehenderetur invalidus, probabile est quod caeremoniae necessario repeti non debeant. Bucceroni (*n. 51*).

Si baptismus fuisset in necessitate privatim collatus, tunc (infante supervivente) caeremoniae sub gravi essent supplendae (prout in rituali).

Interrogationes quae ex rubrica ritualis patrinis (vel cathecumeno) faciendae sunt, fieri debent latine; possunt tamen primo latine factae, dein in vulgarem linguam verti, ut intelligantur. S. R. C. (*12 Aug. 1854*) et C. S. O. (*23 Aug. 1880*).

Si baptizandi essent plures, tunc servari deberet regula quae a Rituali (*in fin.*) indicatur.

Si aqua sacri fontis *conglaciata* esset, curari deberet ut liquefieret; sin autem ex parte liquefacta sit aut *nimium frigida*, poterit parum aquae naturalis non benedictae calefieri et admisceri aquae baptismali in vasculo ad id parato, et illâ tepefactâ ad baptizandum uti, ne noceat infantulo.

Denique si consuetudo esset speciales solemnitates subinde adhibendi (v. g. sonitus campanae vel organi), hae pro infantibus genitorum civiliter tantummodo coniunctorum adhiberi non possent. S. C. C. *31 Iul. 1867.*

907. *Quibus de causis et quomodo* ***administratio privata prorsus, aut non cum omnibus solemnitatibus,*** *locum habere potest?*

I. Apud nos causa legitima et quasi unica est periculum mortis imminentis. Dixi *quasi unica;* rarissime enim aliae causae intervenire possent, v. g. si mala gravissima a patre impio nolente ut filius baptizetur timenda essent.

Dixi *apud nos;* aliae causae in locis infidelium frequentius intervenire possunt, v. g. si missionario tempus omnino deficeret, vel si instaret periculum a paganis, vel si sacerdos non haberet nec commode sibi procurare posset oleum catechumenorum aut sanctum chrisma etc.

II. Si baptismus conferretur *a laico*, tunc id unum de consilio esset ut, loco aquae simplicis, aqua lustrali uteretur; caeterum (uti patet) caeremoniae omnes omitti deberent.

Si autem conferretur *a sacerdote*, tunc omitti debe-

rent caeremoniae quae baptismum praecedunt, sed (quatenus fieri posset) utendum esset aqua baptismali, et stola alba, atque adhibendae forent caeremoniae quae baptismum subsequuntur ; praecedentes autem postea in ecclesia (infante supervivente) suppleri deberent, ut dixi. *Rit in fin.* et S. R. C. (*23 Sept. 1820 Dec. 2607*).

Si denique baptismus non ob periculum mortis, sed ob alias causas, domi conferri deberet, neque praesumi posset fore ut caeremoniae omissae in ecclesia suppleantur ; tunc caeremoniae omnes adhiberi deberent. S. C. Prop. Fid. (*16 Ian. 1789*) apud Zitelli (*l. c.*)

908. *Quid de praestandis a ministro* ***post*** *baptismi administrationem ?*

Rituale suggerit quasdam admonitiones tum erga patrinos de cognatione contracta matrimonium dirimente ; tum erga parentes ne tradant filios lactandos aut nutriendos mulieribus haebraeis aut aliis infidelibus vel haereticis ; et ne infantes secum in lecto retineant, maxime vero ne educationem christianam negligant.

Deinde dicit : « Antequam infans ex ecclesia asportetur aut susceptores discedant, eorum nomina et alia « de administrato baptismo ad praescriptam formam in « baptismali libro parochus accurate describat ». Haec forma est in rituali ipso in fine.

Denique addit etiam sequens monitum : « Si infans « non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem « alterius parentis, de quo constat, scribatur (omnis tamen « infamiae vitetur occasio) : si vero de neutro constet, « ita scribatur : *Baptizavi infantem cuius parentes ignorantur, natum die etc.* Si expositus sit infans, exprimatur quo die, ubi, et a quo repertus, et quot dierum « verisimiliter sit ».

909. Ut monitum istud ritualis bene servetur, oportet non solum ut omnia exacte et claro charactere et statim in dicto libro (non vero in foliis, ut aiunt, volantibus) scribantur ; sed etiam ut *duo libri* habeantur ; unus consuetus, et alter *pro notitiis secretis.*

In libro consueto 1° filii coniugatae conviventis cum marito, vel etiam a decem mensibus sive viduae sive non

conviventis cum illo, scribantur sub nomine nedum matris ipsius sed etiam eiusdem mariti; nec ad quidquam in contrarium attendat parochus, nisi de sententia iudiciali ageretur. 2° Filii ex matrimonio civili pariter scribantur ut supra, sed cum adnotatione relativa. 3° Filii nati extra quodlibet matrimonium ex parentibus sive incognitis prorsus, sive suorum nominum inscriptioni nullatenus aut non certe consentientibus, scribantur cum adnotatione *ex parentibus ignotis* sive *de domo Dei*. 4° Iidem filii illegitimi scribantur tamquam progeniti ex matre nota, et patre ignoto si ille solus revera vel esset ignotus, vel periculum esset ne denuntiatus fuerit calumniose, vel inscriptioni sui nominis non certe et indubitantur consentiret. Si autem qui puerum deferunt, patrem quoque non indubitanter consentientem indicarent, tunc ad adnotatio *vide librum notitiarum secretarum*, et in illo scribatur nomen patris, sed caute, dicendo v. g. *ut aiunt*, vel *ut relatum fuit*, vel *ut institerunt scribi* etc. Idem dic de matre, si non esset certum quod sui nominis inscriptioni consentiret.

Post inscriptionem autem infantis illegitimi relinquatur spatium, ut prolis legitimatio, si forte in posterum subsecutura sit, adnotari valeat.

Solum autem in dicto libro notitiarum secretarum (qui etiam in paroeciis quae sunt sine fonte baptismali esse deberet) scribantur infantes 1° baptizati occulte, quia pater baptismo consentire noluit, 2° baptizati, invitis parentibus, ab obstetrice v. g. quia in periculo mortis versari credebatur, et postea supervixerunt. Inscriptio autem fiat cum indicationibus in officio status civilis adhibitis.

910. *Quid notandum* ***circa tempus,*** *in quo baptismus solemniter administrari potest?*

I. Potest administrari etiam tempore interdicti aut cessationis a divinis (tunc enim eucharistiae solum, extremae unctionis, et ordinis sacri sacramenta prohibentur). *Rituale*.

II. Nequit administrari illis horis nocturnis in quibus aliae functiones ecclesiasticae celebrari nequirent. Excipe nisi infamia parentum, aut reluctantia patris impii, aliter declinari nequiret. Berengo (*n. 78*).

911. *An baptismum administrari possit solemniter extra propriam ecclesiam in qua baptisterium adest?*

Rituale dicit: « Necessitate excepta, in privatis locis « nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum aut ma- « gnorum Principum filii, id ipsis deposcentibus, dummodo « id fiat in eorum capellis seu oratoriis, et in aqua bapti- « smali de more benedicta ».

Praeceptum istud certe obligat sub gravi. S. C. C. (*8 Febr. 1734*) apud Gury (*Cas. 221*) decrevit, non licere in aliis ecclesiis seu sacellis aut oratoriis sive privatis sive publicis baptizare, nisi de sola Episcopi licentia; idque non obstante qualibet consuetudine. Episcopi autem non nisi difficillime licentiam istam dare possunt, et omnino curam habere debent (attamen prudenter et caute) removendi abusus (si qui intervenissent) atque efficiendi ut infantes, etiam divitum (nisi proprie sint filii Regum vel magnorum Principum, ut supra), in ecclesia iuxta communem praescriptionem et praxim baptizentur. Ita decrevit S. R. C. (*27 Apr. 1877 n. 3418*).

CAPUT VII.

DE PATRINIS.

N. B. Agendo de patrinis baptismi, notantur differentiae inter illos et patrinos confirmationis.

912. *Quodnam est* ***patrinorum officium*** *?*

Patrini (quo nomine veniunt etiam *matrinae*), praeter quasdam caeremonias in administratione baptismi peragendas et responsiones dandas, debent suscipere baptizatum de manu sacerdotis, quasi patres spirituales illum acceptantes, cum obligatione gravi (quatenus parentes deficerent vel essent infideles) curam habendi de illius instructione christiana, quando puer ad annos discretionis pervenerit; quae tamen obligatio, postquam instructio sufficiens iam data fuisset, cessaret. (Cf. Ballerini *Op. th. de Bapt. n. 81* et Catechismum Rom.).

Patrini confirmationis eandem suscipiunt obligationem, sed solum si confirmatus non esset sufficienter instructus.

neque a patrinis baptismi esset instruendus. S. Ligorii *n. 187*).

913. *Officium patrini potestne exerceri* ***per alium?*** Affirmative; et tunc non mandatarius sed solus mandans patrinus est. Hinc dotes quae exiguntur in patrino, non exiguntur in mandatario, qui nec obligationes patrini, nec cognationem spiritualem ullatenus contrahit.

914. *Quid est* ***cognatio spiritualis;*** *et ad quas personas extenditur?*

Est impedimentum dirimens matrimonium.

Olim valde extendebatur; nempe 1° Aderat non solum (sicut hodie) inter patrinum et baptizatum eiusque parentes, sed etiam extendebatur ad filios et uxorem patrini (Cap. *Nedum De Cogn. Spir. in 6°*). 2° Etsi, quoad licitum unus (sive vir sive mulier) deberet esse patrinus; tamen si plures accederent, omnes impedimentum contrahebant; idque non solum quoad baptismum sed etiam quoad confirmationem (Cap. *Quamvis l. c.*).

Tridentinum (*XXIV.* II), ne hoc impedimentum sic nimis extenderetur, circa patrinos (1) statuit ut adesset solum inter illos et baptizatum eiusque parentes, simulque decrevit ut unus tantum (sive vir sive mulier) vel ad summum unus et una (a parentibus designati) baptizatum suscipere possent; et subiunxit: « Quod si alii, ultra de-« signatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem « nullo pacto contrahunt ».

De confirmatione autem dixit impedimentum, quoad patrinos, pariter restringi ad patrinum, confirmatum illiusque parentes.

915. Nomine autem parentum intelliguntur parentes non iam adoptivi, sed carnales.

Notandum non oportere ut sint parentes legitimi, sed cognationem contrahi cum illis, quamvis essent illegitimi, ut puta, si infans ex matrimonio civili vel concubinatu, vel fornicatione etc. natus fuisset. Lex enim non distinguit. Cf. Sanchez (*De Matr. VII.* LIV *15*).

916. *An patrini debeant* ***adhiberi sub gravi?*** Affirmative non solum in baptismo, sed etiam in confirmatione. Cf. Ballerini (*Op. th. De Confirm. n. 30*).

917. *Quid exigitur ut quis* ***valide*** *possit esse patrinus in baptismo?*

(1) Dixi *circa patrinos*; cognatio enim a baptizante quoque et confirmante contrahitur.

Oportet I. ut sit baptizatus; neque sufficeret si esset cathecumenus. Cf. Ballerini (*Op. th. De Bapt. 85*).

Oportet II. ut habeat usum rationis atque intendat hoc munus exercere (non tamen oportet ut sciat se cognationem contrahere).

Oportet III. ut, si a parentibus, vel a tutoribus, vel (in eorum defectu) a parocho (*quoad confirmationem ab Episcopo*) designati fuerint patrini, quis non se ingesserit ultra designatos, ut ex supra citatis Tridentini verbis apertissime patet.

Si autem nullus patrinus designatus fuisset, et aliquis sponte sua id muneris exerceret, verus patrinus esset et cognationem contraheret. Tridentinum enim non statuit designationem tamquam formam, qua deficiente actum sit irritum: et ita declaravit S. C. C. apud Giraldi (*Sect. DCCXII not. IV*).

Denique si patrini designati quidem fuerint a parentibus, sed reiecti a parocho, et nihilominus infantem tetigerint, certe reiectio non valebit si sit iniusta, et valebit si qui vellet patrini partes agere esset iure inhabilis (scil. non baptizatus); si autem solum illicite se ingereret (ut puta, si esset monachus); tunc reiectio valebit quidem ad peccatum aggravandum, non vero ad irritandum actum, qui a lege minime irritatur. Ballerini (*l. c. 87*).

Oportet IV. ut patrinus *contactu physico* infantem tangat.

Rituale dicit, patrinum tenere debere infantem tum quando baptizatur, tum quando infans ipse ei traditur a sacerdote; et sic contactus bina vice (seclusa contraria consuetudine) exigitur. Attamen pro valido contactus unicus sufficit, nempe secundus, ut patet ex declaratione S. C. C. apud Giraldi (*l. c. not. VI*); imo eadem S. C. declaravit non esse de essentia ut infans baptizatus recipiatur de manu sacerdotis immediate, sed sufficere quod accipiatur de manu obstetricis.

Notandum etiam quod, quamvis tactus physicus exigatur et mera assistentia non sufficiat, tamen non est de essentia ut susceptio stricte dicta interveniat, sed satis est quod patrinus tangendo infantem, manu actum faciat illum sustentandi (haec enim caeremonia significat imbecillitatem spiritualem baptizati, eiusque veluti in fide debilitatem, ob quam indiget adhuc sustentari) unde idem Giraldi (*l. c. not. V*) dicit non sufficere si patrinus solo digito infantem tangeret.

918. *Quid si communitas, v. g. Capitulum, gerere deberet munus patrini, quod per procuratorem exerceretur?* Obligatio instruendi baptizatum suscipi posset a Capitulo, sed cognatio a nemine contraheretur; quae non communitati sed solum personis particularibus inhaerere potest. Ballerini (*l. c. 100*).

919. *Quid* ***pro valido*** *de patrinis* ***in confirmatione?***

I. Patrinus confirmationis debet esse *confirmatus;* secus certe cognationem non contraheret. S. C. C. apud

Bucceroni. (*Enchir. pag. 162*). Et, si confirmatus (v. g. apud infideles) non inveniretur, tunc sine patrino sacramentum conferri poterit. Cf. Ballerini (*Op. th. De Confir. 30. 4* et S. Lig. *n. 186*).

II. Pontificale dicit: « Infantes per patrinos teneantur in brachiis dextris. Adulti vero seu alii maiores, « ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui ». Attamen ad quaesitum: « An sufficiat si patrinus ponat « manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi? » S. R. C. (*20 Sept. 1749*) respondit: « Sufficere ».

920. *Quaenam exigantur* ***pro licito*** *in patrinis* ***baptismi?***

I. Oportet ut vel patrinus (sive vir sive mulier) sit unicus, vel ad summum patrini sint duo (vir et mulier).

In casu designationis, iam vidimus, quod, si quis accurreret ultra designatos, invalide ageret. Seclusa autem designatione, concursus ultra numerum praedictum esset saltem illicitus.

Illicite etiam patrini partes gererent duo viri vel duae foeminae, sed peccatum probabiliter esset solum veniale. S. Lig. (*n. 155*),

In confirmatione patrinus debet esse 1° unicus (iuxta ius antiquum a Tridentino non reformatum; 2° eiusdem sexus confirmandi, dicente pontificali: « Neque masculi « foeminis patrini, nequae foeminae masculis matrinae « esse deberent »; 3° diversus a patrino baptismi (Cf. S. Lig. *n. 187*); 4° non minor annis quatuordecim (Ballerini, Zitelli etc.).

II. « Admitti non debent monachi, vel sanctimoniales, « neque alii cuiusvis ordinis regulares a saeculo segregati » (*Rituale*). Ratio est quia hoc ipso quod sint a saeculo segregati, nequeunt curam eorum suscipere qui in saeculo vivunt.

Hoc valet etiam pro sacramento confirmationis. *Cap. CIX (De consecr. D. IV)* absolute dicit: « Monachi sibi compatres commatresve non « faciant ». Excipe nisi monachus esset confirmandus. Croix (*n. 397*).

III. « Non admittantur.... baptizandi pater aut mater » (*Rituale*).

Cognationem tamen (atque adeo impedimentum petendi et reddendi debitum) non contraherent si ex ignorantia ita se gessissent (Cap. *Si viri de Cognat Spir.*). Idem dic pro casu necessitatis, scilicet deficientibus aliis; etsi tunc deberent solum materialiter (scilicet tenendo infantem et pro eo respondendo, quin veri patrini evadant) operam suam praestare.

Si autem coniux ex malitia patrini partes ageret, tunc (ut patet ex responso S. C. de P. F. contra S. Lig. *n. 150*) impedimentum vere subsisteret, et proinde debitum petere nequiret, sed reddere deberet. Cf. Ballerini (*l. c. n. 95*).

IV. Qui rudimenta fidei ignorant, vel docere nequeunt (ut muti), patrini esse non possunt. (Cf. *Rituale*). Attamen apud nos consuetudo est ut circa fidei rudimenta, quoad patrinos, nulla inquisitio fiat.

V. Haeretici, publice excommunicati aut interdicti, publice criminosi aut infames, ad hoc munus, admitti nequeunt. Ita dicit rituale (et, quoad confirmationem, pontificale).

Quod spectat ad haereticos (ex secta) qui admittantur ut patrini, hunc abusum esse edixit S. C. P. F. (*9 Sept. 1869*), et S. C. S. O. (*14 Octob. 1656*). Etsi ergo haereticus hoc munus valide exerceat et cognationem spiritualem contrahat (qua de re dubitari nequit), tamen illicite se gereret, neque ullatenus (quamvis nullus alius adesset) admitti posset. Cf. Ballerini (*l. c. 99*).

921. Quod autem spectat ad haereticos non ex secta, incredulos, excommunicatos (non vitandos), criminosos etc., qui inter nos degunt atque nomine catholici sunt; imprimis habemus instructionem S. Poenitentiariae (*20 Martii 1885*) quae dicit: « Curandum pro viribus ut ecclesiasticis « censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconci- « lientur: at si reconciliari recusent, et.... gravia damna « inde (*ex repulsa*) imminere videantur, parochus Ordi- « narium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum « ratione, omnibusque perpensis quae a probatis aucto- « ribus et praesertim a S. Alphonso (*L. VI Cap. II « n. 54*) traduntur, ea declaret, quae magis expedire in « Domino iudicaverit ».

Caeterum hodie apud nos praxis est ut vix ulla distinctio fiat, atque ad minus illi omnes admittantur, qui a sacramentis arceri non solent, neque profecto sine perturbatione atque non levium malorum provocatione aliter fieri posset. (Vide *Monitore Vol. XIV pag. 225*).

922. *In sacramento confirmationis potestne unus patrinus pro omnibus masculis, ita ut unumquemque teneat et tangat; pariterque una matrina pro omnibus foe-*

minis adhiberi? Regulariter negative; exceptionaliter autem (si nempe aliter fieri nequiret et de iudicio Episcopi), affirmative. Ita S. C. S. O. apud *Monitore Eccl.* (*Vol. XII pag. 466*). Huiusmodi enim patrini et matrinae cum innumeris personis nedum obligationes spirituales sed etiam cognationem contraherent: quod profecto rei serietati et dignitati minus conveniret: et proinde seclusa necessitate, fieri non debet.

Curandum esset etiam ne in baptismo fere semper pro matrinis obstetrices (prout fieri solet) eligerentur; eaedem enim rationes pro hoc quoque casu vigerent.

923. *An contrahant cognationem spiritualem qui officium patrini exercent in supplendis baptismi caeremoniis?* Negative, tunc enim non habetur baptismus; neque infans a sacerdote traditur patrino. Ita decrevit S. C. C. (*13 Iulii 1642*) et S. C. de P. F. (*11 Septem. 1779*).

924. *An contrahant cognationem spiritualem qui officium patrini exercent in privata baptismi administratione?*

I. Affirmative certe si baptismus, etsi privatim, conferatur a sacerdote, qui inter alias, quas adhibere possit, caeremonias, patrinum quoque adhibeat.

II. Affirmative etiam si baptismus conferatur a laico. Equidem plures id negant, quia Tridentinum (*XXIV. II*) dicit patrinos esse illos, qui *baptizatum de sacro fonte suscipiant*; sed, meo sensu, haec doctrina falsa est, et reapse in baptismo, etiam prorsus privato atque a laico administrato, cognatio contrahitur. Patet quia *anno 1677 mense Maii,* proposito dubio: « Utrum lex Tridentina comprehendat etiam patrinos in baptismo « privato? » S. C. C., re diu discussa et multorum doctorum votis auditis, tandem *mense Maii* sequentis *anni 1678* respondit absolute: « Affirma« tive » (Apud Lehmkuhl *II 758 not 1*). Reapse cognatio spiritualis a baptismo, non vero ab eiusdem solemnitate pendet; secus enim ne ipse quidem baptizans privatim illam contraheret: atqui certissimum est quod illam contraheret quoque pater, qui proprium filium baptizaret, si ab aliis baptizari potuisset, ut patet ex responso S. Poenitentiariae (*an. 1869*) apud Bucceroni (*Enchir. n. 806*). Aliunde munus patrini valide, licite et laudabiliter exercetur etiam in baptismo privato; unde non est cur qui vere est patrinus cognationem non contrahat.

Neque valet quod Tridentinum loquatur de suscipientibus *de sacro fonte*: hoc enim dicitur quia munus patrini ordinarie sic exercetur, non vero ad excludendos casus in quibus procul a sacro fonte baptismus administratur; secus enim nequidem quando administratur solemniter in capellis Principum, cognatio contraheretur, quod est manifeste falsum.

925. *Quid de patrinis in baptismo administrato sub conditione?* Si novum baptismum administretur ob dubium *grave* de valore prioris baptismi, tunc impedimentum erit dubium dubio facti, quo in casu Ecclesia non supplet, et perinde esset ac si certe adesset (S. Lig. *VI 602 q. III*). Si

autem dubium de valore prioris baptismi esset *leve vel levissimum:* etsi tunc, ad omnimodam securitatem, baptismus iterum conferretur, tamen (propter moralem certitudinem invaliditatis secundi baptismatis) impedimentum non contraheretur. S. Lig. (*l. c. in fine et n. 151*).

926. *An contrahat cognationem qui ex errore unum infantem pro alio baptizet vel teneat?* Affirmative quoad baptizantem, quia intendit baptizare praesentem. Quoad tenentem autem, bene contingere potest quod quis non intendat tenere nisi illum de quo habuit propositum, et proinde error sit substantialis; et tunc certe patrinus non evaderet et cognationem non contraheret. Cf. S. Lig. (*n. 152*).

CAPUT VIII.

DE BAPTISMO QUOAD OBLIGATIONEM.

927. *Quid de* ***obligatione parentum*** *quoad baptismum filiorum?*

Parentes certe tenentur curare ut *quamprimum* post nativitatem filii baptizentur. Patet ex antiquissima Ecclesiae consuetudine et traditione apostolica, ut dicit catechismus rom., qui subdit: « Docebunt pastores, infantes « omnino baptizandos.... Facile intelligitur quam gravi « culpa illi sese obstringant, qui eos sacramenti gratia « diutius, quam necessitas postulat, carere patiantur ».

Quoad tempus praecise, observandae sunt leges dioecesanae, si adsint; sin minus, saltem ultra octo vel novem dies baptismus differri non debet. S. Carol. Borrom. (*Conc. prov. III*).

928. *Adestne obligatio peragendi* ***operationem caesaream*** *ad foetum baptizandum, si clausus in utero matris naturaliter nasci non possit?* Casus contingere potest matre mortua, aut matre vivente.

Loquendo prius de casu *matris mortuae,* si gravissima indicia suadeant, foetum quoque esse mortuum (ut puta, si mater morbo diuturno subiecta fuerit, maxime vero si corrupta ac putrida profluvies ab illius utero exierit), tunc certe de sectione et baptismo non erit cogitandum. Idem dic si sectio inutilis censeretur, eo quod non adesset spes extrahendi foetum vivum, prout contingeret in primis tribus mensibus, ut ait Capellmann (*De 5° praec. II*).

At vero saepe accidit quod iudicandum sit foetum vivere, simulque (post mortem matris) vivum extrahi

posse ; bene enim possibile est quod, mortua matre, foetus supervivat horis nonnullis ; imo multis (nempe 30 vel 40 vel 50) si mors repentina fuerit ; et de his casibus exempla insignia habentur. Cf. *Monitore* (*II.* II *pag. 154*).

Hinc rituale dicit : « Si mater praegnans mortua « fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur ; ac, si vi- « vus fuerit, baptizetur ». Parochus itaque tempestive curare debet ut actu mortis (vel saltem quo citius fieri poterit) medicus (aut obstetrix perita) interveniat ut operam suam praestet ; ad quam praestandam iuridice quoque cogi potest, si foetus sit maturus, aut saltem vitalis (si nempe septimum mensem incoeperit).

Mortua matre et medico non adhuc veniente, venter defunctae calidus servari debet. Antiqui dicebant, esse quoque curandum ut os matris apertum teneatur ; sed hodie hoc inutile esse dicunt.

Sed quid si medicus (aut obstetrix) nimis tardaret, aut (eo quod, v. g. foetus non sit vitalis) omnino se praestare nollet ? *Deberetne parochus ipse operationem exequi ?* Gousset (*II 83*), Scavini (*IV 297*), Kenrich, Rivarolo, Capellmann etc. negative respondent, et merito. Credendum est enim quod puer sine baptismo decedens tormentis subiectus non erit. Naturalem felicitatem (etsi non paradisi beatitudinem supernaturalem) assecuturum esse plures existimant. Aliunde personae imperitae fere nullam boni exitus spem habere possunt, ut medici testantur. Hinc obligatio peragendi operationem adeo horribilem, cum periculo subeundi poenas civiles comminatas, nemini (non auctorizato) imponi potest ; et multo minus sacerdotibus, quibus huiusmodi operatio indecentissima esset. Imo de hoc habemus decretum S. C. S. O. (*15 Febr. 1760*), in quo statuitur quidem obligatio operationem istam peragendi, sed simul vetatur ne sacerdotes ad illam procedant. En verba decreti : « Illud rationi « absonum atque ab omni pietate remotum, pro inani qua- « dam integritate pudoreque servando defunctae genitrici, « viventem natum aeternae morti addicere. Certe non « modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. « Haec autem foetus extractio de praegnantis defunctae-

« que alvo matris, quamvis patefacienda ac persuadenda « sit, expresse tamen cavet Sanctitas Sua, ne missionarii « in casibus particularibus se ingerant in demandanda « sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde « missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque « ut eius peragendae rationem addiscant qui chirurgicis « rebus intendunt laici homines, tum vero, cum casus tu- « lerit, eiusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reli- « quisse ». (Apud Bucceroni *Enchir. De Bapt. n. 256*).

Sed quid de operatione caesarea *in matre viva?* Haec operatio (vel alia quae dicitur operatio *Porro,* et est minus periculosa, qua tamen mater sine utero remanet) ab arte medica indicatur in duobus casibus. 1° Si foetus nec vivus nec mortuus via ordinaria ullo modo extrahi possit. 2° Si solum ope forcipis frustatim extrahi queat. Haec operatio est certe humano generi salutaris; si enim fiat, hodie maior pars matrum et filii omnes salvantur; et, si non fiat, in primo casu nemo salvatur, et in secundo matres dumtaxat (et non omnes) salvantur. Adde quod extractio foetus ope forcipis (ut vidimus supra *Vol. II n. 678*) licita dici nequit.

929. *Sed* ***potestne mater*** *operationi caesareae consentire, et medicus illam exequi?*

Miror quod theologi communiter id negent toties quoties periculum probabile adsit ne operatio ipsa matri mortem acceleret. Equidem periculum istud non raro aderit; sed quid inde? Operatio, quae mortis certitudinem eliminat, et periculum probabile dumtaxat relinquit, nonne benefica erit? Capellmann (*De 5° praec. II*) dicit: « Ad « avertendum periculum vitae, operationes capitales licent, « quia, loco mortis praevisae, probabilitatem vel saltem « possibilitatem salutis ponunt ».

Ego itaque dicerem hanc operationem (non obstante periculo mortis accelerandae) esse licitam, et solum exciperem casum, in quo (attentis circumstantiis, v. g. si mulier esset extreme debilis vel moribunda etc.) iam perinde foret ac illam occidere.

930. *Sed operationi huic* ***tenebiturne mater*** *con-*

sentire, sive operatio ipsa promptioris mortis periculum secum afferat sive non?

Certe illam subire non tenetur in duobus casibus, nempe 1° ad consulendum vitae propriae, nemo enim tenetur mediis extraordinariis et arduis vitam servare; 2° si dicta operatio probabiliter futura sit inutilis vel non necessaria ad baptismum foetui conferendum; si nempe vel parum sperari possit inveniendi tunc illum vivum, vel multum sperandum sit (prout saepissime accidit) quod ille post mortem matris baptizari poterit.

Si autem operatio caesarea ad foetum baptizandum iudicari debeat utilis et necessaria; tunc obligatio illam subeundi, per se loquendo, aderit; ex una parte enim agitur de bono summi momenti filio (maxime si paullo post esset certe moriturus) procurando; et ex alia dolore; mater suae quoque vitae consuleret, et quidem sine magno hodie enim ope chloroformii operationes huiusmodi insensibiliter peraguntur.

Caeterum, si mater in bona fide esset atque ab operatione subeunda abhorreret, parochus prudentiam adhibebit, ne, morte adeo instante, absque ullo bono effectu illa concipiat conscientiam peccati mortalis, et sic, dum vult salvari vita spiritualis infantis, hoc non obtineatur, simulque ponatur occasio cur mater damnetur. Cf. Bucceroni (*n. 83*), Gousset (*II 83*) etc.

TRACTATUS V.

De Confirmatione

CAPUT I.

DE CONFIRMATIONIS NATURA, MATERIA ET FORMA.

931. ***Quid est*** *confirmatio?* Est sacramentum imprimens characterem, quo per chrismatis unctionem et manus impositionem sub certa verborum forma datur baptizatis augmentum gratiae et robur ad profitendam fidem.

932. *Quaenam est* ***materia remota*** *huius sacramenti?*

Est *chrisma*, quod conficitur ex oleo et balsamo. Controvertitur tamen an balsamum sit de essentia (Cf. Cap. *Pastoralis De Sacr. non iterand.*, ubi dicitur, 'confirmationem collatam cum solo oleo non esse iterandam; sed esse caute supplendum quod incaute fuerat praetermissum). Oleum debet esse olivarum. Balsamum constat materiis odoriferis et defendentibus a corruptione (*Catechismus Rom.*). Hae materiae aromaticae possunt esse diversae, et sufficit balsamum cuiusvis regionis (Graeci tamen ex proprio ritu triginta quinque aromata adhibere debent).

Chrisma debet necessario esse ab Episcopo benedictum. Cf. Ballerini (*Op. th. X.* III 7).

De praecepto autem est quot sit illius anni.

933. *Quaenam est* ***materia proxima?*** Est unctio chrismatis manu episcopi (vel sacerdotis specialem facul-

tatem habentis) immediate (non vero ope alicuius instrumenti) confirmando applicata in forma crucis in fronte (atque adeo cum manus impositione; unctio enim in fronte dicto modo peracta quamdam manus impositionem necessario implicat).

Episcopus manus imponit super omnes confirmandos in initio sacrae functionis; sed haec impositio non est de essentia; secus enim Graeci qui illam non habent, hoc sacramento carerent. Patet etiam ex responso S. C. de P. F. (*6 Aug. 1840*) apud Ballerini (*l. c. 10*). In fine quoque Episcopus imponit manus super confirmatos; sed pariter haec impositio est simplex caeremonia, quae ad sacramenti essentiam minime pertinet, ut theologi communiter fatentur. Cf. Bucceroni (*De Confirm. 22*).

934. *Quaenam est* ***forma*** *huius sacramenti?*

Apud latinos est: « Signo te signo crucis, et con- « firmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et « Spiritus Sancti ». Apud Graecos est: « Signaculum « doni Spiritus Sancti ».

Hinc plures opinantur invocationem SS.mae Trinitatis non esse de essentia. Advertendum tamen quod Graeci invocationem ipsam praemittunt; unde haec opinio fundamentum solidum minime habet, et sacramentum ad minus dubium esset. Cf. Ballerini (*l. c. 14*).

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO.

935. *Quisnam et confirmationis* ***minister?***

I. Minister *ordinarius* est solus Episcopus; *extraordinarius* autem est simplex sacerdos qui a Summo Pontifice ad hoc sit delegatus, atque utatur chrismate intra annum (ut supra dicebam) consecrato ab Episcopo, qui debet esse catholicus. An autem Pontifex delegare possit simplici sacerdoti etiam consecrationem chrismatis (sicut delegare posset consecrationem olei infirmorum; Cf. Benedicto XIV *de Syn. VIII.* 1 *4*), dubia res est et contra praxim. Cf. Ballerini (*Op. th. de Confir. n. 7*).

II. Episcopus autem extra fines propriae dioecesis hoc sacramentum nequidem suis subditis licite conferre potest, iure ordinario. In dioecesi tamen etiam non subditos ex consuetudine, et tacito Episcoporum consensu, confirmare potest.

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO.

936. *Quid specialiter notandum circa* ***subiectum confirmationis?***

I. Debet *non esse alia vice confirmatus.*

II. Debet *habere usum rationis (pro licito)*, nisi graves et urgentes circumstantiae, super quibus conscientia Episcopi oneratur, aliud suadeant.

Patet tum ex decreto S. C. C. (*12 Mart. 1774*) apud Berengo (*n. 89*), tum ex consuetudine (in Ecclesia latina) generali; tum denique ex Benedicto XIV (Const. *Eo quamvis*) dicente: « Consultissimis Rom. Pontificum de-« cretis cautum est, ut renatis fonte baptismatis confe-« ratur sacramentum confirmationis in ea solum aetate, « in qua fideles intelligerent etc. ».

Causae autem ab hac regula excusantes sunt 1° si infans in periculo mortis versaretur (decedentes enim confirmati maiorem gloriam habent). 2° Si diuturnior praevideretur absentia Episcopi, vel non facilis in posterum futurus esset ipsius Episcopi accessus ad pueros sive propter ingravescentem aetatem vel infirmam valetudinem eiusdem, sive propter itineris longitudinem et difficultatem. 3° Si puer usum rationis ne in posterum quidem habiturus esset.

III. Debet *esse in gratia;* agitur enim de sacramento vivorum, et rituale (in appendice) dicit: « Si conscii ali-« cuius peccati lethalis, quod absit, ad confirmationem acce-« derent, non solum huius sacramenti gratiam non reci-« perent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent ».

Confessio tamen praecise non exigeretur, sed contritio perfecta sufficere posset; Pontificale enim dicit: « Saltem « de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur ».

IV. Debet circa fidei rudimenta, et hoc ipsum sacramentum, ad quod accedere vult, et dispositiones ad illud requisitas, *esse instructus;* nec non decalogi et Ecclesiae praecepta, actus virtutum theologalium, ac orationem dominicalem et apostolicum symbolum memoria tenere. Ita Rituale (*l. c.*). Attamen mentecapti et quavis instructione

habitualiter incapaces, hoc sacramento privari nequibunt. Gousset (*II 145*).

Dixi *habitualiter incapaces*, extra enim hunc casum, aliqua praevia instructio (etsi solum valde generica) semper exigitur. Ad quaesitum: « Utrum danda sit confir- « matio illis neophitis, qui in articulo mortis baptizati, « omnino rudes sunt, et vi morbi defatigati instrui ne- « queunt? » S. C. S. O. (*10 Apr. 1861*) respondit non conferendum esse sacramentum confirmationis illis neophitis moribundis, quos missionarius capaces baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem (*utique explicitam*) percipiendi confirmationem ad robur animae suae adiiciendum. (Apud Zitelli *De Confirm. in fin.*).

V. Confirmandi vestibus simplicibus et ad modestiam compositis sint induti.

Matrinae praesertim non cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia se praesentent. Rituale (*l. c.*).

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONE RECIPIENDI ET CONFERENDI CONFIRMATIONEM.

937. *Adestne* ***obligatio gravis*** *recipiendi hoc sacramentum?*

Negant multi (Cf. Ballerini (*Op. th. De Confirm. n. 25*); sed ego obligationem vere gravem recognoscerem. Patet 1° ex sensu communi cristifidelium, et ex gravi scandalo quod suboriretur si filii iam adulti essent et genitores ut sacramentum istud reciperent prorsus neglexissent. Patet 2° ex rituali (*l. c.*) dicente: « Sine gravis peccati « reatu respui non potest ac negligi, cum illud suscipiendi « opportuna adest occasio ». (Notandum quod haec instructio, novissime in rituali inserta, approbata fuit *in omnibus* a summo Pontifice, qui illam omnino servari mandavit).

Negligentia de iure communi (nempe iuxta rituale et catechism. rom.) adesse inciperet, si ultra annum duodecimum huius sacramenti receptio protraheretur; sed apud nos, qui anno nono aut decimo adhuc confirmati non sunt, legitima causa seclusa, negligentes censentur, et

post annum decimumquartum negligentia iam omnino gravis censeretur.

938. *Quid de* ***obligatione Episcopi*** *conferendi hoc sacramentum?* Distinguendum est inter administrationem publicam et privatam.

939. *Qua frequentia tenetur Episcopus* ***publicam*** *huius sacramenti administrationem peragere?*

S. Lig. (*VI 175*) dicit: « Peccare graviter Episco« pum qui per 8 vel 10 annos differret circuire saltem « per loca praecipua (ad hoc sacramentum ministran« dum) ». Equidem alii quoque auctores communissime a peccato gravi excusant Episcopum, nisi dicto tempore longissimo differat et negligat.

At vero haec doctrina a veritate et sensu communi (saltem hodie et apud nos) longe aberrare videtur. Si Episcopus per sex vel septem annos hoc sacramentum in locis praecipuis suae Dioecesis non administraret, sequeretur quod 1° Iuvenes plurimi deberent ad communionem admitti antequam confirmati fuerint. 2° Quum hodie in civitatibus et oppidis post annum undecimum vel duodecimum masculi propriam paroeciam frequentare desinant et non pauci ne alias quidem ecclesias adeant, iam plurimi sine hoc sacramento per totam vitam remanerent. Adde verecundiam, respectum humanum, irrisiones etc.; si nempe adulti cum pueris ad confirmationem recipiendam se immiscere deberent. 3° Christifideles, propter dilationem adeo magnam, valde turbarentur, et de Episcopo quam maxime scandalizarentur. 4° Episcopus deficeret etiam contra obligationem gravissimam visitationis pastoralis, quae quolibet anno vel saltem biennio fieri deberet; ea enim occasione hoc quoque sacramentum administrare tenetur.

Ego itaque dicerem peccare graviter Episcopum, qui sanitate gaudens, ultra biennium vel triennium publicam per diversa loca confirmationis administrationem non perageret; idque maxime si parochi, nomine suorum parochianorum, instantias hac de re iterum iterumque facerent.

940. *Teneturne Episcopus se conferre ad confirmandos* ***pueros infirmos,*** *si de hoc requireretur?* Communis sententia est, Episcopum posse quidem interdum se

praestare, sed ad hoc non obligari; huiusmodi enim obligatio in praeiudicium aliarum obligationum vergeret, et nedum nimio incommodo, sed etiam nimiis lamentis atque odiis Episcopum ipsum exponeret. Lehmkuhl (*II 100*).

CAPUT V.

DE NONNULLIS ALIIS ADVERTENDIS CIRCA HOC SACRAMENTUM.

941. *Quaenam, praeter supradicta, sunt notatu digna circa sacramentum confirmationis?*

I. Conferri potest solemniter, iuxta rubricas pontificalis. Conferri potest etiam minus solemniter, et praesertim quando in privatis domibus pueris aegrotantibus conferretur, vel etiam adultis qui ad ecclesiam quacumque ex causa (legitima tamen) accedere nequeunt. Tunc autem Episcopus (vel sacerdos qui fuerit legitime, ut supra, delegatus) saltem stola super rochettum vel superpelliceum uti non omittat. Sic minus solemniter quocumque die, hora et loco conferri potest. Cf. rituale (*l. c.*) et pontificale (*in fin.*).

II. Si confirmandi nomen esset ex iis, quae in baptismate imponi non possunt (iuxta dicta *n. 905*), in confirmatione commutari deberet.

III. Frons confirmati vittâ debet manere ligata quousque chrisma desiccetur vel abstergatur (*Pontificale*). Gossipium quo confirmati frons abstersa fuit, comburendum est.

In locis infidelium, ubi publica vittarum delatio ludibrio exponere posset sacramentum, consultius erit frontem non ligare; et tunc oportebit ut sacerdos frontem uniuscuiusque confirmati statim gossipio abstergat diligenter et deinde lavet. Rit. (*l. c.*)

IV. Denique parochus confirmatorum regestum tenere debet; in eoque confirmatos eorumque patrinos statim et diligenter adnotare. Id porro necessarium est ut constet de impedimentis ex cognatione spirituali ortis, atque etiam ut de confirmatione suscepta iis, qui sacris ordinibus initiari aut habitum religiosum suscipere volunt, testimonium suppeditari possit.

V. De patrinis vide supra dicta *n. 912 et seqq.*

TRACTATUS VI.

De Eucharistia.

Agendum de huius sacramenti natura; 2° materia; 3° forma; 4° effectibus; 5° subiecto; 6° ministro. Agendum est etiam 7° in particulari de communione infirmorum.

CAPUT I.

DE HUIUS SACRAMENTI NATURA.

942: ***Quid est*** *eucharistia?*

Est sacramentum in quo, sub speciebus panis et vini, continetur corpus et sanguis Christi, quod a sacerdote conficitur Deoque offertur, atque etiam conservatur et sumitur.

943. *Quomodo Eucharistia distinguitur ab aliis sacramentis?*

Distinguitur non solum propter diversitatem materiae, formae, effectuum etc.; sed etiam, imo praecipue, quia 1° Est sacramentorum omnium (eo quod Christum ipsum contineat) excellentissimum, augustissimum et divinissimum. 2° Alia sacramenta conficiuntur dum applicantur subiecto; eucharistia e contra conficitur antea (in missa), et dicitur sacramentum non solum quando sumitur a subiecto, sed etiam quando conficitur, et quando conservatur. 3° Eucharistia, quando conficitur, est non solum sacramentum sed

etiam sacrificium. Hinc sub his duobus respectibus (sacramenti et sacrificii) de eucharistia distinctim agendum esset. Quia tamen de eucharistia quatenus est sacrificium iam egi supra (*n. 450 et 599*), restat ut de illa quatenus est sacramentum hic verba fiant.

CAPUT II.

DE MATERIA EUCHARISTIAE.

944. *Distinguitur inter materiam remotam et proximam.*

Materia *remota* est panis triticeus et vinum de vite. Constat tum ex evangeliis (ubi de institutione eucharistiae), tum ex traditione et praxi Ecclesiae universalis, tum denique ex Concil. Flor. dicente : « Tertium est euchari-« stiae sacramentum, cuius materia est panis triticeus et « vinum de vite ».

Materia *proxima* est praesentia materiae remotae. Sed haec sunt explicanda.

ARTICULUS I.

De materia remota quoad panem.

945. *Quaenam necessario exiguntur ut* ***panis triticeus*** *et validus pro eucharistia efformetur ?*

Exigitur I. Farina *tritici veri* et non corrupti.

Nihil autem refert sive triticum sit commune et barbatum (it. *con reste*), sive sit non barbatum seu hybernum (it. *toso*), sive sit polonicum, sive sit turgidum.

Aliae vero farinae, v. g. ex zea (it. *formentone*), oryza (it. *riso*), hordeo, milio-indico (it. *melica, dura*), panico, zizania, cicere, phaba, pisis, lentis, avena, castaneis etc. certe non sunt idoneae. Idem dic de amylo, scilicet de farina corrupta seu extracta a tritico marcido (it. *salda*).

Farinam secalae et siliginis, necnon speltae seu farris, esse materiam dubiam communiter dicunt theologi. At vero naturalistae secalam a specie tritici prorsus excludunt (et

merito); siliginem e contra et speltam esse species veri tritici dicunt (Vide Ballerini *Op. th. De Euch. 26-28*). Fatentur tamen quod spelta magis pro pulmento (it. *minestra*) et pro dulciariis, quam pro pane, deservire solet. Nihilominus alicubi ex spelta quoque (vel ex quadam speltae qualitate) panis usualis conficitur, unde de eiusdem validitate etiam pro missa non videretur dubitandum, ut innuit Gury (*II 278*); et reapse in aliquibus regionibus, huiusmodi panis adhibetur in missae celebratione, vidente et tacente Ecclesia. Vide Ballerini (*l. c.*). Nomine autem farris (unde farina) triticum designari notissimum est.

Sed, quidquid sit de hoc, ordinarie tamquam materia dubia et valde suspecta hodie apud nos haberi debet illa farina a furfure depurata (it. *fior di farina*), quae emitur in apothecis vel a negotiatoribus; maxima enim ex parte cum aliis farinis (extractis, v. g. ex zea alba, milio-indico, oryza etc.), confici solet.

Exigitur II. ut farina fuerit *coagulata cum aqua* naturali neque validitati obstaret si aqua foret marina.

Certe oportet ut non fuerit coagulata vel mixta cum aliis substantiis panis naturam (iuxta communem aestimationem) destruentibus; unde materia sive dubia sive prorsus invalida (iuxta minorem vel maiorem rei commixtae quantitatem) facile constitueretur, si, v. g. ova, adeps, butyrum, lac, mel, saccharum, cinnabaris (prout olim fiebat in hostiis ad epistolas sigillandas) cum farina commiscerentur.

Notandum tamen quod dicit S. Thomas (*III.* LXXIV *3*): « Modica permixtio non solvit speciem; quia id, quod est « modicum, quodammodo absumitur a plurimo ».

Exigitur III. ut *coctio per modum assationis* peracta fuerit; unde nec massa cruda nec elixa esset materia idonea.

Attamen quoad validum, nihil referret sive in furno sive in craticula, sive in frixorio aut ope ferri calidi, panis coctus fuerit.

Dixi *quoad validum;* pro licito enim sub gravi exigitur, ut more consueto per ferrum calidum coctio peragatur, atque hostiae efformentur.

Exigitur IV. ut hostiae non sint nimis veteres, ut scilicet *corruptionem* non subierint.

Quanto autem tempore opus sit ut corruptio accidat, vix aut ne vix quidem determinari potest. Baruffaldi (*De Euch. 77*) dicit: « Quamvis ad « corruptionem facilior sit panis cum fermento, quam azymus, nihilominus « et iste suam corruptionem patitur, si longo tempore servetur, praecipue « in arca clausus ». Gardellini autem (*in nota ad Decr. 4623*) dicit: « Difficilius in azymo coepta corruptio ex visus sensu cognosci potest ».

Sunt qui faciunt differentiam inter tempus hyemale et aestivum; et alii dicunt corruptionis periculum adesse magis tempore hyemali propter humiditatem et mucorem; alii e contra tempore aestivo, quia calor suapte natura in corruptionem influit. Sed, quidquid sit de hoc, certe pro licito notanda sunt sequentia. Quaesitum fuit 1° An Rector Ecclesiae licite consecrare possit species a tribus mensibus tempore hyemis, vel a sex mensibus in aestate confectas? 2° An in casu in quo Rector praxim istam servet, alii sacerdotes in eadem ecclesia inservientes possint, tuta conscientia, huiusmodi speciebus uti? S. R. C. (*16 Dec. 1825 n. 2650*) respondit ad utrumque negative. Rituale autem dicit: « Hostiae seu parti- « culae consecrandae sint recentes ». Et S. Carolus (*Concil. Mediol. IV*) id explicat inquiens: « Hostiae autem adhibeantur recentes et a viginti « diebus ad summum confectae ». Vide supra dicta (*n. 396 VIII*).

946. *Quoad hostias et particulas, quaenam alia exiguntur* ***pro licito?***

Debent esse in forma rotunda apud nos (et apud Graecos in forma quadrata) non maculatae (Cf. *Monitore XV. 468*) non fractae, depuratae a fragmentis, et tenues (non tamen adeo tenues ut veluti liquefieri possint si nonnihil in ore remaneant antequam deglutiantur).

In hostiis autem pro missis, imago Crucifixi (apud nos) impressa esse debet; sed hoc in puncto variant consuetudines, quae servandae sunt. S. R. C. (*26 Apr. 1834 n. 2714*). Consecrare hostiam aliquantulum maculatam vel fractam veniale est; secus, si talis esset notabiliter. Si tamen hic defectus solum post oblationem deprehenderetur, licite (amoto scandalo) consecraretur. S. Lig. (*VI 199*). Deficiente autem hostia consueta pro missa, adhiberi posse particulam, data necessitate (v. g. quia secus populus sine missa die festo remanere cogeretur) et praecavendo a scandalo, dicunt theologi; imo aliqui id extendunt etiam ad missam quae celebretur ex devotione privatim, quod tamen difficile et caute admodum concedi poterit. Cf. Bucceroni (*De Enchir. n. 17*).

947. *Quid de pane* ***azymo et fermentato?*** Quoad *validum,* perinde est sive panis sit azymus sive sit fer-

mentatus (dicente Concil. Flor.: « Definimus, in azymo « sive in fermentato pane triticeo Corpus Christi confici »); sed quoad *licitum*, Graeci in fermentato et Latini in azymo consecrare sub gravi tenentur.

Excipe si sacerdos latinus peregrinaretur inter Graecos, ubi Ecclesia ritus latini non adesset (aut viceversa); tunc enim posset pro libito sive consuetudini regionis se conformare sive ritum suum servare (Cf. Bucceroni *De Euch. 11*).

Theologi passim dicunt quod sacerdos latinus consecrare posset in fermentato (et Graecus in azymo), si hoc esset prorsus necessarium sive ad praebendum viaticum moribundo, sive ad complendum sacrificium (si nempe sacerdos post consecrationem advertisset hostiam esse corruptam, neque alia hostia idonea in promptu foret). Ita ego quoque crederem, seclusa admiratione et sacramenti irreverentia (ut puta, si sacerdos solum quidem panem fermentatum, sed in forma hostiae consuetae, habere posset); non vero secus, prout contingeret si non hostiam sed frustulum panis adhiberet.

ARTICULUS II.

De materia remota quoad vinum.

948. *An quaelibet qualitas vini de vite, quod sit purum nullamque alterationem subierit, certe sufficiat?*

Affirmative; et proinde non refert sive album sit sive nigrum; sive generosum (ut, apud nos, in locis meridionalibus), sive debile (ut in septentrionalibus).

949. *Quid de vino, quod non sit de vite?*

Vina artefacta (v. g. ex malis granatis, cerasis, moris etc.) certe sunt materia invalida, idque quamvis partem aliquam veri vini continerent.

Quidam Belgii mercator in morte declaravit tractu viginti annorum se vendidisse vinum pro missis, in quo ne unum quidem uvae granum continebatur. Sedulo itaque (hic quoque dico) cavendum si vinum a mercatoribus ematur.

Sed quid si ars eo tandem pertingere posset (a quo hactenus multum abest) ut vinum conficiat iisdem prorsus elementis constans eademque proportione et chimica combinatione iunctis, quemadmodum se habet vinum de vite? R. Sensus traditionis et decreti Eugenii in Concilio Florentino est, ut pro valido vere exigatur vinum de vite, prout instituit Christus; ait enim: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis ». Bonacina dicit, in vino per miraculum procurato confici posse sacramentum; sed essetne illud vinum de vite?

950. *Quid de* ***agresta?*** *Quid de* ***aceto?*** *Quid de vino prorsus* ***putrefacto?*** *Quid de* ***alcool*** *ex vino extracto* (*quod italice* spirito di vino *vel* acquavita *appellatur?*

Quamvis haec ex vite proveniant, tamen non sunt vinum; et proinde materiam prorsus ineptam constituunt. Rubrica missalis dicit: « Si vinum sit factum penitus ace« tum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non « maturis expressum... non conficitur sacramentum ».

951. *Quid de* ***musto?*** Mustum materia illicita quidem (seclusa necessitate, v. g. ne populus die festo missâ careat), sed certe valida est.

Patet 1° ex rubrica missalis dicente: « Si vinum.... fuerit mustum « de uvis tunc expressum... conficitur sacramentum, sed conficiens gravi« ter peccat ». Patet 2° ex Iulio Papa (Decreti *p. III d.* II *C.* VII *Cum omne*), qui dixit; « Si necesse sit, botrus in calice comprimatur et aqua « misceatur ». Patet 3° quia mustum, etsi non dicatur vinum, nec usualiter ad bibendum adhibeatur, tamen (ad differentiam agrestae et aceti) in substantia est vinum. Patet 4° ex D. Th. (*III.* LXXIV, 5) dicente quod mustum habet iam speciem vini, etsi dedeceat propter impuritatem. Patet 5° ex Glossa (*l. c.*) quae ait: « Defaecatio non est necessaria ad confe« ctionem sacramenti ». Obiici posset quod in musto adest quoque defectus fermentationis; sed respondetur quod (ut dicunt naturalistae) elementa vini maxima ex parte adesset etiam in musto, et fermentatio (sive prima et tumultuosa quae fit in lacu vinario, sive secunda et quieta quae fit in dolio) parum addit.

Hinc tamen non inferas, ipsum botrum esse materiam idoneam, botrus enim est de genere magis cibi quam potus, et ex illo quidem fieri potest vinum; sed, donec botrus remanet, vinum minime est.

952. *Quid de vino* ***mixto cum aqua?*** Rubrica missalis dicit: « Si admixtum (fuerit) tantum aquae, ut « vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum ».

Sed quanta debebit esse aqua ut vinum ineptum evadat? Hoc in theoria difficile est determinare. Aliquid tamen statui potest considerando in primis quod vinum naturale, prout ex vite procedit, sequentia continent elementa. 1° Humorem aqueum. 2° Alcool. 3° Saccharum et acida diversa. Quod praedominat est humor aqueus; solet enim esse in proportione circiter 80 pro 100; alcool autem in vinis valde generosis (v. g. *Malaga*) potest esse in proportione 20 circiter, in vinis ordinariis (prout apud nos) 10 circiter, et in valde debilibus 6 vel 7 circiter pro 100. Alia autem elementa longe minoris quantitatis sunt. His praemissis, statui possunt regulae sequentes.

I. Illa parva aquae quantitas, quae apud nos in lacu vinario apponi solet, ut vinum melius decoquatur, conservetur et placeat, non impedit quin vinum ipsum valide et licite pro missa adhiberi possit; ex una parte enim remanet verum vinum, et ex alia est vinum usuale, quod certe sufficit. Ita Benedictus XIV (*Notif. LXXVII n. 7*), Quarti, Passerini etc.

II. E contra pro missa nedum illicitum sed etiam invalidum est vinum, in quo tanta infusa fuerit aqua, ut iam valde maior sit aquae quam vini quantitas. Vinum huiusmodi it. *mezzo vino, secondo vino,* etc.; et aliis idiomatibus aliter v. g. *lora,* appellatur. Vide Bened. XIV (*l. c. 3. 4*).

III. Si quantitas aquae foret circiter aequalis; tunc aliqui (cum Card. De Lauraea) censent esse materiam validam, et alii (apud Benedictum XIV *l. c. 5*) dicunt esse materiam dubiam. Ego dicerem sumendam esse regulam a qualitate vini; si enim vinum esset debile (in quo humor aqueus iam naturaliter valde abundat) quantitas nedum aequalis, sed etiam minor, aquae adiunctae sufficere poterit, ut materia invalida evadat (unde ob huiusmodi periculum auctores monent quod, supposita vini debilitate, in illa quoque aquae mixtione, quae iuxta ritum in missa fieri debet, caute et parce admodum procedendum sit). Si e contra vinum sit valde generosum, tunc aquae quantitas nedum aequalis sed etiam paullo maior, validitati forsan non obstabit. Caeterum notabilis aquae mixtio facile materiam dubiam efformabit, quae semper illicita est; et recolendum quod, quamvis materia certe valida remaneret, tamen, seclusa necessitate, indecens et illicita esset.

IV. Si denique vinum **cum uvis passis** (in quibus humor aqueus prorsus evanuit) conficeretur, tunc quamvis nullum dubium esse possit si ex uva soli exposita, quae sic passa evasisset, vinum merum (it. *santo*), prout apud nos usuvenit, confectum fuisset; tamen quaestio fieri potest et reapse fit de alio casu, in quo uva valde magis passa evasisset, eique aqua adiuncta fuisset. Decidendum autem erit pro validitate, si communi sensu sic quoque verum vinum habeatur. Refero sequentem S. C. S. O. Officii decisionem.

P. Ios. de Hierusalem O. Min. praefectus missionum Aethiopiae exposuit modum conficiendi vini, ita : « Sumuntur, v. g. quatuor librae « zebibi (acinarum uvae passae), franguntur, atque in apto vase tunduntur, ac deinde totidem frigidae aquae librae in idem vas infunduntur; « eaque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas ; extrahitur postea uvae passae materia, eaque ab exteriori aqua « purgata panno stringitur vel turculari premitur. Liquor inde expressus « vinum est, quo sine ulteriori diligentia utuntur dum celebrant ». S. C. S. O. (*22 Iul. 1706*) respondit quod variis factis experimentis pro eruendo dicto vino, *Sanctissimus*, auditis votis Eminentissimorum, *dixit, licere, dummodo ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum.* Ad quae Lehmkuhl (*II 120*) subiungit : « Quod sane supponit *posse* constare, « modo ne nimia aquae copia effundatur, vel citius res peragatur, antequam « succus ex acinis satis exprimi possit ». Et addit : « Facilius ubique « tale vinum videtur licite adhiberi posse, si soli acini illi ex moderata « aquae copia effusa turgentes torculari subiiciuntur, et modo nostris regionibus consueto musti effervescentia expectatur : atque ita vinum de« faecatum diffunditur ».

953. *Quid de vino* ***medicato vel cocto?*** Res ista accidere potest diversis modis.

Primus est si iam inde ab initio vinum (utique de vite) defectu naturali laboraret, unde *alcool* vel saccharum ei additum fuisset. De hoc sequentem habemus S. C. S. O. declarationem : « Dummodo spiritus (*alcool*) extractus fue« rit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita una « cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter con« tinet, non excedat proportionem duodecim pro centum, « et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil « obstare quominus idem vinum in missae sacrificio adhi« beatur ». (*Die 4 Iulii 1890*) apud Acta (*Vol. XXIII pag. 699*). Caeterum pro valido exigitur et sufficit ut pars maior sit vinum de vite, et non obstante mixtione substantia vini adhuc subsistat. Et hic repeto quod dixit D. Thomas (*III.* III *A. 3*): « Modica permixtio non solvit « speciem, quia id quod est modicum quodammodo absu« mitur a plurimo ».

Secundus modus est si vinum (ad illud praeservandum a corruptione) in toto vel in parte *coctum fuisset.* S. C. S. O. (*8 Maii 1887 l. c.*) decrevit idoneum esse vinum, quamvis usque ad sexaginta quinque altitudinis gradus ebullitum fuisset. Sufficit scilicet (saltem pro valido) ut, non obstante ebullitione, adhuc verum vinum remanserit non vero sive *alcool* sive (prout nos dicimus) *saba* evaserit.

Tertius modus est, si, quia caepit corrumpi, philtro et *soda* etc. sanatum fuisset. In hoc casu elementa quaedam, quae ex vite erant (partim ex sese et partim ex chimica illa operatione) destructa remansissent; sed nihilominus substantia vini destructa non fuisset, et solum debile evasisset. Cf. *Monitore* (*Vol. VI.* II *58*), S. Lig. (*VI 207*), Lambertini (*Notif. 77 n. 2*) et Baller.-Palm. (*De Euch. n. 37*).

954. *Quid de vino cuius vis evanuerit (it.* ***vino svinito)?*** Certe est illicitum. Difficile tamen erit invalidum; ad illud enim invalidum reddendum, oporteret ut esset valde debile, atque aeri aperto diu expositum fuisset, unde *alcool* multum evanuisset, et sic fere solus humor aqueus remansisset. Scavini (*III 126*) postquam dixerit acetum esse materiam invalidam subiunxit: « Idem dicen- « dum de *vappa,* vino cuius vis *omnino* evanuit ». Quod repetit etiam Del Vecchio.

955. *Quid de aqua quae, ritu sic exigente, a sacerdote, in calice infundi debet?* 1° Haec infusio fieri debet sub gravi. 2° Item sub gravi debet esse aqua naturalis. 3° Non tamen est de necessitate sacramenti *(Rubrica Missalis).* 4° Mixtio ista debet esse sensibilis, sed modica, dicente rubrica *paullulum aquae.* Et S. Thom. (*LXXIV.* VIII) dicit (ut ego quoque supra innuebam) specialem advertentiam esse adhibendam *si vinum sit debile.*

956. *Quid de vino* ***congelato?*** Valida est consecratio; est enim verum vinum, etsi ad illud bibendum calefactione opus sit; neque congelatio praesentiae reali Sanguinis Christi obest, ut ex rubrica missalis (Cf. *n. 504 IV*) manifeste patet (S. Lig. *n. 207*).

957. *Sacerdos* ***abstemius,*** *cui scilicet vinum nauseam ingereret, possetne uti sola aqua pro ablutionibus?* Pro ultima ablutione affirmative (prout iam communiter ab abstemiis fieri solet); pro utraque negative, sed exigeretur indultum apostolicum, quod non difficile conceditur.

ARTICULUS III.

De materia proxima et de intentione quoad eucharistiam.

958. *Quaenam est* ***materia proxima eucharistiae?*** Distinguendum est inter validum et licitum.

Loquendo de solo *valido*, materia proxima est ipsa materia remota physice praesens dum verba consecrationis proferuntur, atque determinata per intentionem sacerdotis.

Loquendo autem etiam de *licito*, plura alia exiguntur, nempe ut materia sit reposita in altari et praecise super petram sacram et corporale; ut fuerit prius oblata; ut calix consecrandus sit discoopertus (et idem dic de pixide aut ostia magna, quae forte sit consecranda). Uno verbo oportet ut consecratio peragatur in missa, iuxta ritum et cum omnibus requisitis ab Ecclesia praescriptis.

959. *Quum materia sit duplex (panis et vinum), quaeritur an valida sit* ***consecratio unius materiae sine alia?***

Si sacerdos intentionem habeat consecrandi utramque, sed casu unam tantummodo consecret (v. g. quia altera, eo inscio, non sit idonea), tunc certissimum est consecrationem valere. Quamvis enim ex Christi institutione ratio sacramenti a ratione sacrificii seiungi non possit, et sacrificium in consecratione utriusque speciei probabilius consistat, tamen ex hoc ipso quod sacrificium per partes conficitur, consecratio unius speciei valida est et constituit sacrificium incohatum antequam consecratio alterius speciei (quae fieri intendatur) accesserit. Hoc patet etiam ex rubrica missalis (Cf. *n. 501*), et ex sententia theologorum unanimi prorsus.

Sed quid si sacerdos, excludens intentionem consecrandi vinum, solum panem (v. g. aliqua superveniente necessitate habendi hostiam consecratam dum missa celebrari nequit) consecrare vellet? De validitate huius consecrationis (ut facile infertur ex modo dictis) valde dubitandum esset. Cf. Lugo (*De Euch. D. XIX n. 102*).

960. *An consecratio unius speciei sine alia possit esse licita?*

I. Consecrare unam speciem sine intentione consecrandi aliam, gravissime illicitum est, et neque ad praebendum viaticum neque ex ulla alia necessitate licitum evadere potest. Ex una parte enim hostia dubie consecrata periculum idololatriae includeret, et ex alia de re institutioni Christi et iuri divino contraria ageretur. Cf. Salmant. (*De Euch. C. IV 37*) et Ball.-Palm. (*De Euch. n. 15 et seqq.*).

II. Postquam autem una species consecrata fuerit cum intentione consecrandi aliam, dari possunt casus in quibus haec ipsa alterius speciei consecratio licite omitti valeat; idque non solum propter impotentiam physicam, sed etiam propter impotentiam moralem, contingere posset. Cf. Salmant. (*l. c. n. 38*).

961. *An in conficiendo eucharistiae sacramento usus materiae dubiae licitus esse possit? Et quid si materia dubia consecrata fuisset?*

I. Usus materiae dubiae in hoc sacramento vix unquam licet; propter rationem mox supra (*n. 960 I*) indicatam. Adde specialissimam reverentiam huic sacramento debitam, et minorem illius necessitatem pro aeterna salute.

Dixi *vix unquam*, Lehmkuhl enim (*II 120*) dicit quod si, hostiâ consecratâ, sacerdos adverteret vinum esse ineptum, neque habere posset nisi vinum dubie validum; illo, ad complendum sacrificium meliori modo possibili, uti posset. (Exciperem nisi populo adorandum illud praeberet).

II. Si materia dubia fuisset consecrata, vel si utcumque inveniretur hostia de cuius consecratione dubitaretur; tunc nec praeberi populo adoranda, nec sperni posset; bene vero post communionem et ante purificationem sumenda esset. Qui autem sciret eam esse dubie consecratam, solum sub conditione eam adorare posset. S. Lig. (*n. 222*).

962. *An valide consecrari possit materia* ***distans, aut cooperta?***

I. Quoad *distantiam*, dico quod ut consecratio valeat, debet verificari forma: *Hoc est corpus* etc. *Hic est calix* etc. Sed pronomina *hoc, hic* exigunt materiam valde vicinam; de obiecto enim distanti (maxime si sit parvum) dicitur *illud, ille*. Dixi *maxime si sit parvum;* nam si distem etiam ducentum passibus ab Urbe, recte dico ad eam conversus: *Haec urbs:* at si res sit parva, ut passer, dicam profecto: *ille passer,* non *hic passer*. Materia itaque nimis distans non consecratur, quamvis videri posset, et quamvis sacerdos haberet intentionem illam consecrandi.

Lugo, Laymann, Salmant. (*C. IV n. 115*), D'Annibale (*III 27.5*) aliique docent, materiam esse *certe* con-

secratam si (subsistente intentione) non distet ultra 20 passus.

II. Quoad *materiam coopertam, reconditam* etc.; si sit cooperta in calice, vel in pixide, seu in re destinata ad illam continendam dum consecratur; tunc valida est consecratio, quia satis demonstratur, sicut de marsupio, quod plenum sit auro, dicere possumus *hoc est aurum.*

Secus (ait Croix) si esset inclusa ubi, dum pro consecratione affertur, includi non solet.

Communius docent, materiam semper valide consecrari posse si sit vicina, dummodo (repeto) sacerdos explicitam intentionem efformaverit illam consecrandi, quocumque demum in loco (dummodo non post tergum vel post parietem; tunc enim verba *hoc, hic* non verificarentur) recondita sit, v. g. si hostiae essent in tabernaculo, aut sub corporali, aut sub mappa, aut in capsula chartacea, aut intra folia missalis; vel si vinum esset in ampullis, aut etiam in oenophoro (*fiasco*), dolio etc. Patet autem quod consecratio huiusmodi non solum esset illicita, sed etiam valde dubia. Vide d'Annibale (*l. c.*).

963. *Dixi materiam debere esse* ***determinatam intentione.*** *Sed quid si sacerdos, efformata intentione consecrandi particulas (v. g. in pixide positas), de illis postea oblitus fuerit, et neque in oblatione neque in consecratione de illis quidquam omnino cogitaverit?* Quod sint consecratae theologi pro certo habent; idque quamvis pixis cooperta semper remansisset. Postquam enim sacerdos ante missam determinaverit materiam, consecrandam per modum unius, esse non solum hostiam consuetam sed etiam dictas particulas, iam (quoad validum) nihil refert si postea, distractus, de istis, vel etiam de illa, non cogitaverit; sufficit enim intentio virtualis. Cf. Ballerini (*Op. th. De Euch. 62*).

964. *An in quolibet sacerdote censeatur adesse intentio consecrandi quidquid sit decenter consecrabile, aut saltem quidquid delatum fuerit consecrandum?*

Rubrica dicit: « Quilibet sacerdos semper intentionem « habere deberet consecrandi eas omnes (hostias) quas « ante se *ad consecrandum positas habet* ». Sed, si intentionem istam nunquam efformasset, hostiae quae, illo non advertente in corporali appositae fuissent, minime consecratae remanerent.

Dicunt Salmanticenses (*De Euch. C. IV n. 124*): « Formulae (scili- « cet hostiae), quae solent pro communicandis deferri, si inscio sacer-

« dote in altari vel etiam corporali essent depositae, ipseque sacerdos « illarum ignarus esset, nullatenus consecrarentur. Ita Coninch., Bonacina, « Laymann, Palaus etc. ». Idem docent etiam recentiores, v. g. Ballerini (*Op. th. De Euch. Cap. I n. 59*) et Génicot qui (*II n. 17. 5°*) dicit: « Non consecrantur hostiae, inscio sacerdote appositae : deest enim inten- « tio, quae in incognitum ferri nequit. Attamen consecrarentur saltem « eae quae in corporali positae sunt, si sacerdos elicuisset intentionem « consecrandi omnes particulas in corporali positas ; quae intentio utiliter, « ad dubia praecavenda, semel pro semper elicitur ».

Equidem dicit Gury (*II 282. 2*): « Sacerdos semper praesumitur velle « consecrare quidquid est decenter consecrabile ». Sed haec doctrina sustineri non potest; et ipse Gury (sibi contradicendo) illam reiicit, dum post paucas lineas ait: « Non consecrarentur hostiae, inscio sacerdote, etiam « in corporali positae, quia sacerdos penitus inscius intentionem illas con- « secrandi non habuit ». Et rubrica missalis, praeter praedicta, ait: « Si « aliquae hostiae ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua hostia la- « teat (cum non intendat consecrare nisi quas videat....) in his casibus « non consecrat, quia requiritur intentio ».

965. *Quid si sacerdos, dum credit se habere in manu unicam hostiam, revera habeat duas?*

Rubrica dicit: « Si sacerdos putans se tenere unam « hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul « iunctas, in sumptione sumat simul utramque ». Ex hoc multi inferunt ambas esse certe consecratas; sed haec illatio non videtur legitima; rubrica enim sic praecipere potuit propter dubium. Revera, quamvis theologi communius opinentur ambas fuisse consecratas, quia credendum est sacerdotem velle consecrare quidquid habet in manibus; tamen aliqui censent primam tantummodo esse consecratam, quia credendum est intentionem sacerdotis esse restrictam ad hostiam quam videt. Cf. Bened. XIV (*De Sacrif. Miss. L. III C. 18 n. 7*).

Ego itaque dicerem, quoad hostiam adiunctam, consecrationem esse dubiam. Enimvero sacerdos cogitat quidem certe de consecranda hostia consueta; an autem cogitet praecise de consecranda tota materia, quam prae manibus habeat, hoc ordinarie incertum et valde confusum erit. Cf. Salmanticenses (*n. 128*).

966. *Quid si sacerdos efformasset intentionem consecrandi particulas, quas credebat esse duas (v. g. pro communicandis sponsis), et postea inveniret fuisse tres?*

Si actu consecrationis videbat duas, illae certe consecratae fuerunt.

Si videbat unam sub qua credebat esse aliam, dum reapse sub illa erant duae, tunc pariter prima et secunda certe fuerunt consecratae. De consecratione autem tertiae, quam nec videbat nec credebat adesse, merito dubitari potest.

Si vero, efformata intentione consecrandi duas hostias pro sponsis, actu consecrationis nihil inspexisset et nihil cogitasset, tunc certe duae ex tribus consecrandae non fuissent determinatae, et proinde vel nihil (si duas *exclusive* consecrare intendisset, iuxta dicta *n. 504 V*) vel totum cumulum consecratum remansisset. Practice autem (meo sensu) res dubia erit.

967. *Quid si, dicente aedituo, consecrandas esse particulas pro communione, sacerdos efformasset intentionem illas consecrandi, et postea inveniret aliquas particulas in corporali, quae ex pixide vel ex patena nimis cumulata decidissent?*

Illae quoque certe consecratae fuissent.

Dubium intervenire posset si aedituus dixisset, consecrandam esse pixidem, et sacerdos ad solas particulas in pixide contentas intentionem restrinxisset.

968. *An in quolibet sacerdote, qui statuit talem vel talem materiam consecrare, censeatur adesse intentio illam non consecrandi si forte eadem materia, ob aliquam circumstantiam ab illo non cognitam, aut non consideratam, non esset licite consecrabilis?*

Multi affirmant, quia de bonis sacerdotibus nequit praesumi quod velint facere rem illicitam.

Sed haec sententia sophismate certe laborat, et absolute vera esse non potest. Tunc enim sequeretur, invalidam esse consecrationem peractam a sacerdote defectum non advertente, in casibus non paucis, de quibus sufficiat indicare sequentes. 1° Si calix non fuisset ab Episcopo consecratus, aut per subsecutam inaurationis amissionem dissecratus evasisset. 2° Si pixis non esset benedicta. 3° Si corporale esset immundum aut non benedictum. 4° Si vinum incoepisset aliquantulum acescere, aut, loco guttularum aquae, guttulae alterius liquoris in illo infusae fuissent. 5° Si sacerdos esset in peccato mortali de quo oblitus fuisset.

6° Si particulae acceptatae ut consecrandae allatae fuissent post offertorium et nequidem mentaliter earundem oblatio peracta fuisset. 7° Si pixis actu consecrationis cooperta remansisset. 8° Si petra sacra (v. g. propter aliquam fractionem) consecrationem amisisset. 9° Si pixis extra corporale, vel super corporale quidem sed non super petram sacram (eo quod ista minus illa extenderetur) posita fuisset. Et sane, admisso principio, admitti deberent consequentiae : unde Tamburini (*De Sacrif. Missae L. II C. I § 3 n. 19*), exposito casu : « Si (*pixis*) fuit posita super corporale « quidem sed non supra aram (*scilicet petram sacram*) ; « accidit enim saepe ut corporale latius extendatur quam « ara ; vel contra si super aram et non super corporale « id quod eveniret in casu quo angustius esset corporale, « quam ara » ; respondet : « Resolutionem dependere ab « ea quaestione an sit peccatum consecrare hostias posi- « tas supra corporale sed extra aram consecratam, vel « supra aram sed extra corporale ; si enim est peccatum, « intentio sacerdotis non se extendet ad hostias extra « aram vel extra corporale collocatas. Cum ergo communis « doctrina sit esse peccatum, sequitur verisimilius esse, « non remanere consecratas ».

Sic autem 1° innumerae missae illusoriae et prorsus invalidae essent ; 2° innumeris vicibus hostiae non consecratae exponerentur adorationi fidelium et pro communione traderentur. Sed nonne sic, ad effugiendam inordinationem inobservantiae alicuius rubricae, inordinationibus longe maioribus ianuam latissimam aperiremus? Huiusmodi profecto consequentiae efficiunt ut quod per se esset illicitum, non solum licitum sed etiam obligatorium evadere possit ; et quod proinde sacerdotes (secus ac doctrina contraria dicit) debeant habere intentionem consecrandi, etsi aliqua rubrica observata non fuerit, quando ex omissione consecrationis mala maiora secutura essent vel sequi possent, seu toties quoties oporteat vel expediat ut, non obstante illo defectu, consecratio valeat. Hoc autem maxime contingit quando defectus (ut ita dicam) oculos non percellat, vel utcumque periculum adsit quod non animadvertatur.

Dicerem etiam quod in aliis quoque sacramentis, quando adsunt omnia substantialia, non dubitatur de validitate, etsi sive advertenter sive inadvertenter adfuerit aliquid contra licitum, nisi minister explicitam conditionem apposuisset; censetur autem esse difficile quod conditiones in contrarium apponere expediat. Exemplum habes in ordine sacro, qui valide confertur, quamvis subiecti (inscio Episcopo) irregulares vel utcumque indigni forent; et Ecclesia exigit quidem ut caute procedatur, et deterreantur indigne accedentes; non vero vult ut Episcopi (apponendo conditiones) ordinationem ipsam ex illicita invalidam reddant. Si autem res ita se habent in aliis sacramentis, cur in eucharistia aliter se habebunt?

Hinc scribit Ballerini (*Op. th. Tr. X Sect.* IV *C.* I *n. 61*): « Principio ergo illi (quod non sit praesumendus « sacerdos indebite et illicite consecrationem facere vo- « luisse), quod falsum se prodit, opponenda est doctrina alia « generalis et verissima, quae his verbis concipi potest: « *Non potest neque debet praesumi* (*nisi expresse id « caveatur*) *sacerdotem non habuisse intentionem aut « consecrandi aut quodvis aliud sacramentum conficien- « di, si forte inadvertenter et involuntarie quidpiam « omittatur aut desit aut excidat ex iis, quae ad sub- « stantiam non pertinent, atque ita praecipiuntur ut eo- « rundem voluntaria omissio illicita sit, non vero invo- « luntaria* ». Ita sentit etiam Génicot (*II n. 174*).

969. Loquendo autem in particulari de casu valde practico in quo sacerdos efformaverit quidem intentionem consecrandi hostias in pixide contentas, sed pixis ipsa (eo non advertente) posita fuisset ab aedituo extra corporale super altare v. g. a cornu epistolae, vel prope corporale ipsum, vel etiam ita ut pes pixidis subter fimbriam illius remansisset; attentis rationibus supra expositis, standum esset pro consecratione; idque speciatim si adesset necessitas particulis illis statim utendi, maxime vero si (ut mox supra innuebam), propter circumstantias, casum eventum animadvertere (quod scilicet pixis reapse super corporale non erat) difficile fuisset. Ita profecto docent inter anti-

quos Tannerus et Praepositus (apud Diana *Vol. II R. 217 et 218*) et inter modernos Ballerini et Palmieri (*l. c.*).

Quia tamen in hoc casu particulari (ut melius videri potest apud Vindicias *P. IV p. 1*), S. Lig., Suarez, Salmant., aliique multi censent de consecratione esse dubitandum, ideo Bened. XIV (*De Sacrif. Miss. III.* XVII *6*) dicit: « Particulas (illas) non esse populo distribuendas, sed as« servandas ut in alia missa (sub conditione) consecrentur ». Si autem (v. g. ad communicandam magnam populi multitudinem in paroecia rurali die paschatis) urgeret necessitas iisdem statim utendi, tunc dicerem quod (ad scandalum declinandum) oporteret renovare consecrationem utriusque speciei cum intentione particulas illas consecrandi sub conditione; si enim licet binare ad dandum viaticum (Cf. Ball.-Palm. *Trit. X n. 303*), licebit etiam alteram consecrationem peragere in casu isto.

970. *Quid de fragmentis, et de guttis vini calici adhaerentibus?*

I. Fragmenta hostiis adhaerentia, aut quae post consecrationem ab illis se separarunt, certe sunt consecrata. Fragmenta autem, quae ante consecrationem fuerint ab hostiis separata, certe non consecrantur si sint invisibilia, quia a pronomine *hoc* non demonstrarentur. Quamvis autem essent visibilia, tunc quoque non videntur consecrari; quandonam enim sacerdos efformasset intentionem illa consecrandi? Imo cur talem intentionem efformare potuisset? Enimvero fragmenta huiusmodi ad nihil deserviunt; imo, si sint in corporali et non in pixide, periculo subiiciuntur ne deperdantur. Practice tamen, quum sciri nequeat an fragmenta actu consecrationis fuerint, necne, hostiis adaerentia, diligenter colligenda et sumenda erunt; nec obstat periculum frangendi ieiunium, quia reverentia sacramenti praevalet.

II. Guttae vini, si calici adhaereant exterius, certe non consecrantur. Si autem adhaereant interius, consecrari videntur si vino, quod in fundo est, adhaereant. De aliis, res est valde dubia. Sed in hoc immorari non refert. Cf. S. Lig. (*VI 215*), Croix (*VI.* I *449*), et Ballerini (*Op. th. De Euch. 56. 57*).

971. *Quid si particulae non consecratae, aut dubie consecratae, cum consecratis mixtae fuissent, ita ut discerni nequirent?*

Tunc nova consecratio exigitur. Sed quomodo? Laymann aliique dicunt sufficere si sacerdos (in alia missa) intendat consecrare particulas non consecratas. Sed Lugo (*IV 36*) aliique censent, huiusmodi consecrationem non valere, quia pronomen *hoc,* directum ad dictas particulas ignotas, illas revera non demonstraret. Hinc docent totum cumulum consecrandum esse sub conditione.

972. *Addendo nunc nonnulla circa licitum, estne aliquid notandum imprimis de quantitate hostiarum pro fidelium communione consecrandarum?*

Rector ecclesiae curare debet ut hostiae necessariae pro viaticis, pro communione fidelium, et pro benedictione, tempestive consecrentur; sed simul cavere deberet ne earundem sit maior quantitas, quam tempore opportuno (scilicet intra octo dies; Cf. *n. 396 VIII*) absumi possit; et ne pixis (prout non raro fieri solet) nimis cumuletur.

973. *Quid si particulae consecrandae deferantur, offertorio iam facto, vel canone iam incaepto, vel consecratione panis iam peracta?*

I. Certe possunt acceptari, et (oblatione facta mentaliter) consecrari, si delatae fuerint paullo post offertorium vel (addunt plures) antequam incaeptus fuerit canon.

II. Canone incaepto, observandum erit an adsit gravis causa. Ratio communicandi moribundum (iuxta Benedictum XIV *De Sacr. Miss. III.* XVIII *5*) non sufficeret; tunc enim in hunc finem detrahenda esset pars ex hostia missae. Bene vero sufficeret ratio distribuendi eucharistiam populo, vel (ut ait S. Lig. *VI 217*) si plures sine communione remanere cogerentur, vel (ego addo) si consecratio hostiae pro benedictione vel processione omnino necessaria esset.

III. Consecratione panis iam peracta, dicunt particulas, quae tunc solum afferrentur, consecrari non posse; sed, si aliter populi scandalum evitari nequiret, tunc quoque acceptandas et consecrandas esse ego dicerem. Vide dicta mox supra (*n. 969*).

CAPUT II.

DE FORMA EUCHARISTIAE.

974. ***Quaenam est*** *forma eucharistiae?*

In consecratione panis, est: « Hoc est enim corpus « meum ». In consecratione vini: « Hic est enim calix « sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium « fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remis- « sionem peccatorum ».

975. *Quid si, naturali vitio linguae, quis diceret* colpus *vel* copus *pro* corpus; *vel* meus *pro* meum; *vel* es *pro* est; *vel* calis *pro* calix; *vel* sanguis *pro* sanguinis? Valida esset consecratio. Qui tamen ex negligentia vel praecipitantia verba consecrationis non rite pronuntiaret, a peccato saltem veniali excusari nequiret.

976. *Quid si in consecratione calicis quis diceret* hic *sensu adverbiali?* Invalida esset consecratio. Bucceroni (*De Euch. 29*).

977. *Verba*: Qui pridie quam pateretur etc., *et:* Simili modo etc. *suntne necessaria ut consecratio valeat?* Haec verba sunt mere historica, et certe formae partem minime constituunt, ut patet ex rubrica missalis, et ex decreto Eugenii dicentis: « Forma huius sacramenti sunt « verba Salvatoris, quibus hoc conficitur sacramentum; « sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit « sacramentum ». Ergo sacramentum non conficitur ex dictis verbis: *Qui pridie etc.,* quae non sunt Redemptoris. Quia tamen exiguntur ad significandum quod sacerdos, dicendo *Hoc est corpus meum,* non loquitur de corpore proprio, essentialia eadem verba esse aliqui docuerunt, et S. Lig. (*VI 222*) de hac sententia scripsit: « Non audeo « dicere improbabilem ».

978. *Quid si sacerdos proferre intenderet modo mere historico non solum verba* Qui pridie *etc., sed etiam verba formae* Hoc est *etc.* Hic est *etc.?* Tunc non consecraret. Sed practice sacerdotes, eo ipso quod intendunt missam celebrare et vere consecrare, iam per ea verba non sim-

plicem historiam narrandi, sed sacramentum vere conficiendi, intentionem (ad minus praedominantem) habent; et proinde de hoc scrupuli non sunt ingerendi. Bucceroni (*l. c. 29*).

979. *An vox* enim *sit de essentia; aut omitti possit sine peccato mortali?* Certe non est de essentia eiusque omissio probabilissime non peccatum mortale, sed solum veniale, constitueret. Ratio est quia ex una parte non reperitur in verbis Christi, et ex alia eiusdem omissio sensum minime turbat. Cf. Bucceroni (*l. c. 30*) et Ballerini (*Op. th. l. c. 96*).

980. *In consecratione calicis omissio verborum* Novi et aeterni testamenti etc. *redderetne consecrationem ipsam invalidam, aut induceretne peccatum mortale?*

I. Huiusmodi omissio redderet consecrationem dubiam; de hoc enim theologi valde disputant, pluresque censent verba praedicta esse de essentia, quia designant virtutem sanguinis Christi effusi in passione, ad quam etiam significandam sacramentum istud institutum est. S. Lig. (*l. c. n. 223*).

II. Quod autem horum verborum omissio peccatum mortale constituat non solum quia sensum valde momentosum includunt, sed etiam quia sacrificium dubie completum relinquerent, omnes fatentur.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS HUIUS SACRAMENTI.

981. *Prolatio formae super panem et vinum quemnam effectum immediate producit?* Producit transubstantationem panis in corpus et vini in sanguinem Christi; unde (ut omnes norunt) simul cum corpore est etiam sanguis, et simul cum sanguine est etiam corpus; et sic totus Christus est tam sub speciebus panis quam sub speciebus vini. Si autem hae species dividantur, in quavis (etiam minima) earum parte Christus remanet.

982. *Realis Christi praesentia* ***quamdiu perdurat*** *in eucharistia?*

Donec corrumpantur species sacramentales; et tunc, loco corporis et sanguinis Christi, subintrat illa substantia, quae subintratura esset si panis vel vinum corruptionem subiisset.

Si sacramentum in tabernaculo conservetur, corruptio serius vel citius accidet secundum quod hostiae recentes aut non recentes consecratae fuerint.

Certe intra mensem a confectione hostiarum corrumpi non solent; sed postea periculum incipit.

Loquendo autem de sacris speciebus per communionem sumptis, iam omnes norunt quod in stomachum traiectae cito corrumpuntur. Lugo (*De Euch. X 54*) scripsit, particulam, quae laicis praebetur, iam intra unum minutum in stomacho corrumpi. Sed haec theoria a chimicis modernis non admittitur. Iuxta istorum sententiam, particula in azymo serius consumitur quam in fermentato: et ordinarie in homine sano intra medium horae quadrantem corruptionem perfectam ordinarie subit.

Neque multum discriminis est inter casum laici solam particulam sumentis, et casum sacerdotis qui hostiam maiorem et vinum consecratum sumit. Caeterum, iuxta diversam vim digestivam, paullo plus paullo minus temporis exigi potest.

In infirmis autem (qui stomachum debilem habere solent) sacrae species serius corrumpuntur. Capellmann (*Medic. pastor. D. II*) putat semihoram ad minimum exigi.

In quibusdam autem infirmitatibus specialibus accidere potest, ut etiam post horam sacrae species fere prorsus incorruptae et intactae adhuc sint, quod practice pluries observatum est.

983. *Quinam sunt in anima* ***effectus*** *eucharistiae seu communionis?*

Eucharistia 1° Est cibus animae, seu praestat alimentum vitae spirituali (*Caro mea vere est cibus*), charitatem et gratiam sanctificantem augendo, et animam roborando (unde dicitur *cibus fortium*). 2° Est sacramentum amoris, in quo Christus divitias sui erga homines amoris veluti effudit (Trid. *XIII.* II), atque producitur unio specialissima inter animam et D. N. I. Christum (*Qui manducat*

meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in illo). 3° Est medicina salutaris quae debilitat vim passionum, et speciatim libidinis (*Panem angelorum manducavit homo*); liberat a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservat (Trid. *XIII.* II). 4° Est harra salutis aeternae (*Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum*).

Haec omnia intellige, si subiectus sit rite dispositus et saltem sit in gratia Dei dum se communicat; secus enim « Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi man- « ducat et bibit ».

An autem eucharistia delere possit etiam peccatum mortale, supposita subiecti bona fide, et attritione quae ante sacramenti sumptionem concepta fuisset, vide dicta (*n. 800*).

984. *An eucharistia producat suos effectus, quando in ore accipitur, aut quando deglutitur, aut quando in stomacho remanet: et quid si subiectus nullam illam recipiendi intentionem haberet?*

I. Eucharistia suos effectus producit, quando deglutitur, dicente Christo: « Qui manducat meam carnem etc. ».

Hinc perperam aliqui dicunt, sacramentum suos effectus producere si homo deglutivisset quidem sacram hostiam in peccato mortali, sed durantibus adhuc in stomacho sacris speciebus contritionis actum conciperet. Aliud esset si sacerdos foret in peccato mortali hostiam sumendo, et per contritionem, vel saltem per attritionem (iuxta mox dicta), ante sumptionem calicis dispositus evasisset; singulae enim partes totum Christum continent (ut supra diximus). Cf. Ballerini (*Op. th. l. c. 76. 77*).

II. Loquendo de adultis, eucharistia nihil operatur, nisi voluntarie (voluntate saltem habituali et interpretativa, prout esse poterit in moribundo sensibs destituto) recipiatur. Ballerini (*l. c.*) et vide (*n. seq. 988*).

985. *Quid si quis sacras species tamdiu in ore teneret donec penitus corrumperentur? Verene ille communicaret, atque adeo sacramenti effectus reciperet, et praecepto communicandi satisfaceret?* Aliqui id negant, quia non verificaretur manducatio. Sed Génicot (*II 204*) dicit hunc esse scrupulum; ex una parte enim admodum difficile est quod sacrae species in ore penitus liquefiant; tum quia, etsi liquefierent, manducatio adhuc verificaretur; nonne enim censeretur manducasse saccharum, qui illud liquefactum cum saliva deglutisset?

986. *An liceat administrare communionem aegroto, qui, cum nihil deglutire valeat, nutritur, ope cuiusdam instrumenti, per foramen chirurgica arte terebratum in aesophago?*

Ei ne per viaticum quidem dari posse sacram hostiam existimant aliqui; et duplex afferunt argumentum; nempe 1° quia totus processus quo introduceretur sacra hostia

irreverentiam saperet erga augustissimum mysterium; 2° quia haec non est vera manducatio.

Sed Génicot (*II 204* IX) censet, neutram obiectionem vim habere. Non prima, quia in casu necessitatis recedere a ritu consueto licitum esse potest; unde, si permittitur administrare eucharistiam peste infectis ope cochlearis (Cf. Bened. XIV *De Syn. XIII.* XIX *25*), quidne ope alterius instrumenti ad cibum praebendum apti? Certe, meo sensu, nulla ex hac parte adesset difficultas si in usu dicti instrumenti (iudicio Episcopi) nulla reapse interveniret indecentia nullumque periculum; et maxime si in hospitali vel monasterio (ubi degeret huiusmodi persona infirma et sacrae communionis cupida) instrumentum ipsum foret inauratum, atque a magistro sacrarum caeremoniarum approbatum, necnon ab hunc solum finem destinatum et benedictum. Quoad secundam obiectionem, equidem Christus Dominus dixit *Qui manducat* etc.; sed, dum hoc verbo usus fuit ad significandum communem modum, non est credendum quod quemlibet alium modum absolute excludere voluerit. Voluit quippe instituere sacramentum, quo ipse in stomachum nostrum traiiceretur et sic noster cibus redderetur. Ad hoc autem manducatio stricte dicta non exigitur; secus, nequidem sumptio sacrae hostiae per haustum aquae in cochleari (ut supra) pro viatico deservire posset. Cf. Lugo (*De Euch. XII 29*).

CAPUT IV.

DE SUBIECTO EUCHARISTIAE.

Agendum est 1° de subiecto in genere; 2° de subiecto quoad requisita et dispositiones; 3° de subiecto quoad obligationem.

ARTICULUS I.

De subiecto in genere.

987. *Quisnam est subiectus eucharistiae?* Est homo baptizatus et dispositus. Qui crederet se esse baptizatum et non esset, materialiter quidem eucharistiam reciperet,

sed non sacramentaliter; et perinde esset ac si quis ignoranter hostias consecratas, credendo non esse consecratas, comederet. Lugo (*De Euch. XIII 1. 2*).

ARTICULUS II.

De subiecto quoad requisita et dispositiones.

988. *Quaenam requisita et dispositiones in christifidelibus eucharistiam suscipientibus exiguntur?* Haec sunt triplicis generis; alia scilicet exiguntur absolute; alia sub gravi sed non semper; alia denique sub levi aut ex solo consilio.

989. *Quaenam exiguntur* ***absolute?***

Primum est ut eucharistia absque irreverentia sumi et praeberi possit.

Hinc, v. g. moribundis in lupanari, vel si adesset grave periculum vomitus aut expuitionis sacrarum specierum, sacramentum conferri nequiret. Energumenus potest communicare si irreverentiae periculum absit.

Secundum est ut qui communicat usum rationis habeat, aut saltem aliquando habuerit et tunc christiane vixerit, atque ita (ad minus implicite) eucharistiae recipiendae intentionem habuerit.

Enimvero, iuxta praesentem Ecclesiae latinae disciplinam, pueris (non adhuc rationis compotibus), et perpetuo amentibus, nec in vita nec in morte communio dari potest.

Tertium est ut communionis administratio scandalum publicum non praebeat.

Id contingeret in casu peccatoris publici. Vide dicta supra (*n. 841 et seqq.*).

Quartum est ut subiectus sit in statu gratiae.

Hoc tamen intellige quoad subiectum ipsum, qui certe (saltem ordinarie, iuxta dicta *n. 854*) in peccato mortali communicare nequit; non vero quoad ministrum, qui, quamvis occultam subiecti indignitatem cognoscat, non ideo ei, publice petenti, sacramentum denegare debet (iuxta dicta *n. 845*).

990. *Quaenam sunt dispositiones requisitae* ***sub gravi, sed non semper,*** *quatenus aliquas admittant exceptiones?* Sunt 1° Discretio proportionata. 2° Confessio sacramentalis. 3° Ieiunium naturale.

991. *Quid de* ***discretione proportionata?*** Exigitur ut subiectus non solum hic et nunc rationis usu, sed etiam quadam speciali iudicii maturitate polleat ut Divinum Hospitem convenienter excipere et revereri possit.

Hinc sensibus destitutis, et in amentiam lapsis, extra lucida intervalla, communio dari nequit : sed communiter excipitur casus viatici (qua de re sermo habebitur infra, ubi de viatico).

Idem dic de pueris, qui, quamvis aliquem rationis usum habeant, tamen non sufficienti pro hoc sacramento discretione polleant, nec adhuc a proprio pastore ad sacram mensam admissi fuerint. (Vide supra dicta *n. 85* et Ballerini *Op. th. X 190-202*).

Semifatuis communio in morte et in paschate a theologis conceditur. Cf. S. Lig. (*n. 301-303*). Ubi tamen ex consuetudine semifatuis communio ministretur quando absque irreverentia se praesentant, non erunt arcendi, secus enim perturbationes suscitarentur.

992. *Quid de* ***confessione sacramentali?*** Iam notissimum est quod si degens in peccato mortali velit communionem recipere, debet confiteri, nec sufficit ut conteratur. Notissima est etiam exceptio si quis ex una parte versetur in necessitate ad communionem accedendi (a qua v. g. absque infamia vel scandalo abstinere nequeat), et ex alia confessionem prius facere non possit. Fit etiam exceptio pro casu peccati dubii. Sed de his omnibus vide supra *n. 476. 477.*

993. *Quid de* ***ieiunio naturali?*** Missale dicit: « Si quis non est ieiunus post mediam noctem, etiam « post sumptionem solius aquae vel alterius potus aut « cibi, per modum etiam medicinae, et in quacumque « parva quantitate, non potest communicare ».

994. *Ad determinandum punctum mediae noctis, potestne stari horologio publico, quamvis non loci tempus verum (sed v. g. tempus medium Romae) indicaret?* Affirmative. Patet ex S. Poenitentiariae responso (Acta *VII 399*) et ex S. R. C. *Decr. n. 3365 ad IX.*

995. *An (si ex horologio publico regula sumi nequeat) inter plura horologia dissonantia liceat ultimum sequi; et an ad primum horologii ictum attendi debeat?*

I. Inter horologia dissonantia sequi posse ultimum, affirmant communissime cum S. Lig. (*VI 282*); non enim agitur de re quae omnino clamet ut in dubio stetur a

parte tuta. Excipe nisi horologium illud errare soleat, vel ante communionem deprehendatur illud certo errasse.

II. Attendi debet ad primum ictum. Aliqui tamen censent, id non adeo rigide esse intelligendum ut, si quis ex ultimo ictu advertat mediam noctem iam esse, non possit communicare; imo opinantur quod buccellam iam in ore positam eiicere non tenetur. Cf. Croix (*VI.* 1 *569*).

996. *Quid si quis cum pastella glycyrizzae vel similis dormitum iverit, illamque etiam post mediam noctem pedetentim in stomachum traiecerit?* Ieiunium frangeret: ageretur enim non iam de cibi ex comestione die praecedenti peracta reliquiis quae casu in ore remanserint (de quibus aliquid dicetur infra), sed de comestione ante mediam noctem incaepta, et post illam continuata. S. Lig. (*VI 279*).

997. *Ad frangendum ieiunium eucharisticum, sufficitne quod aliquid dederit alimentum vel utcumque in stomachum intraverit?* Negative, sed (ut dicunt communiter cum S. Lig. *l. c. 278, 281*) tria exiguntur; nempe exigitur 1° ut sit quid digeribile; 2° ut provenerit ab extrinseco; 3° Ut sumptum fuerit ad modum cibi vel potus; quod verum esset quamvis de medicina ageretur. Sed haec sunt explicanda.

998. *Quid de prima conditione:* ***ut sit quid digeribile?***

Ieiunium non frangunt res, quae in stomacho digeri et alterari nequeunt, prout sunt capilli, ungues, fila serica vel lanea, et nuclei fructuum omnino depurati.

Dicunt, ferrum digeri non posse: si tamen pulvis ferrea pro medicina sumpta fuisset, ieiunium fractum fuisset, illo enim modo ferrum est in stomacho alterabile. Vide etiam Ballerini (*Op. th. X 160*).

999. *Quid de secunda conditione:* ***ut provenerit ab extrinseco?*** Ieiunium non frangerent res quae non iam in os immissae fuissent, sed ab intrinseco provenissent; quod accidere potest v. g. 1° in sanguine a gengivis vel a capite (per internum nasi meatum); aut in sanie ex pustula oris proveniente; idque intellige quamvis haec non advertenter sed ex industria deglutita fuissent

(S. Lig. *n. 219*); 2° in eructationibus, dum scilicet cibum a stomacho eructatum denuo masticatum et deglutitum fuisset; 2° in praedictis reliquiis cibi quae casu intra dentes vel utcumque in ore remansissent. Equidem rubrica adducit rationem quia hae reliquiae « non transglutiuntur per modum cibi sed per modum salivae ». At vero, quamvis transglutirentur advertenter et ex industria, est opinio probabilis quod (quamvis melius esset illas expuere) talis deglutitio communionem non impediret. Hanc sententiam tenent plures cum Suarez, de eaque S. Lig. (*n. 219*) dicit: *non videtur improbabilis*. Ratio est quia pro rebus adeo exiguis et obviis et quae tam facile accidunt, non expedit ut communio interdicatur: et Ecclesia in his casibus non vult christifideles (maxime vero sacerdotes) in scrupulos et angustias coniicere, eo quod expuere potuissent et non expuissent. Et haec videtur esse doctrina D. Thomae, qui (*4 dist. 8. q. 1. art. 4. q. 2. ad 3*) postquam dixerit: « Quae interius geruntur sine exterioris cibi sumptione « non videntur solvere ieiunium naturae nec impedire « eucharistiae perceptionem », subiumxit: « Et similiter « videtur de his quae intra dentes remanent, et etiam « de eructationibus ». 4° Ob eandem autem rationem crederem non esse scrupulos iniiciendos iis qui tabaci pulvere utuntur, si forte aliquid huius pulveris ex naribus in os descendisset et ex ore in stomachum deglutitum fuisset.

1000. *Quid de tertia conditione:* ***Ut sumptum fuerit ad modum cibi vel potus?***

La Croix (*VI.* 1 *554*) id explicat dicens: « Tum ali- « quid sumitur per modum comestionis vel potationis, si « hoc quod traiicitur et modus traiiciendi sufficiat in « morali aestimatione, ut quis censeatur comedisse vel bi- « bisse «.

Sed aliquando ieiunium frangitur quamvis quis non proprie dicatur comedisse vel bibisse; sufficit enim quid tantillum sugere, vel lambere; aut parum sacchari, gummi etc. in os immittere ut paullatim dissolvatur et quasi sensim sine sensu cum saliva in stomachum vadat. Idem dic si quis, vultum lavando vel gargarizationes fa-

ciendo, non iam quid minimum sed non parum aquae (etsi praeter intentionem) deglutiverit.

Melius itaque hoc declaratur notando sequentia.

I. Ad ieiunium frangendum exigitur semper ut agatur de rebus sumptis *per os;* nec sufficit si alio modo sumptae nutrimentum dent. Hinc, si aegrotus solis clysteriis nutriretur, ieiunium non frangeret. Genicot (*II 200 2ª Reg.*).

II. Exigitur ut non agatur de casibus, in quibus praeter intentionem quid minimum deglutitum fuerit. Rubrica missalis dicit communionem non impediri, si lavando os, deglutiatur *stilla* aquae praeter intentionem. Alii casus similes non sunt pauci; aliquid scilicet praeter intentionem in stomachum vadere potest, v. g. (propter ventum) favilla nivis, vel pulvis, vel exigua musca. Idem dic de iis qui, sine intentione quidquam in stomachum transiiciendi, aromata (ad phlegmata eiicienda, vel contra miasmata, aut propter capitis aut dentium dolorem) in ore tenent vel etiam masticant; in coquis iusculum degustantibus; in iis qui sanguinem (ex digito forato) sugent et statim foris expuunt; in iis qui propter mortificationem cruces cum lingua in terra faciunt; in iis quibus, cribrando vel mensurando triticum aut ab illo apulam secernendo, pulvis in os venit; in mulieribus quae stuppam nent, aut buccellas puero faciunt etc.

Dixi semper *praeter intentionem*, et proinde vera adhibenda erit diligentia ne quidquam deglutiatur; sed hoc intellige quatenus et quantum moraliter possibile sit; interdum enim quaevis diligentia esset impossibilis et inutilis prorsus, et interdum valebit solum in parte; quandoquidem evitari nequit quin cum saliva aliquid remaneat: et hae profecto minimae exiguitates praeter intentionem eventae non efficiunt, ut quis ad modum cibi vel potus illas sumpserit, nec ut timendo ne parum expuerit a communione abstinere debeat.

1001. *An maneat ieiunus qui* ***lavat stomachum,*** *ope cuiusdam canalis* (it. *sonda gastrica*)*?*

Certe melius est ut a S. C. S. O. petatur dispensatio, quae facile nedum laicis sed etiam sacerdotibus conceditur.

Sed crederem quod dispensatio ista in rigore non sit necessaria; videtur enim satis probabile quod ieiunium eucharisticum illaesum remaneat. Ratio est quia agitur non de bibendo, sed de lavando: ad modum potus nihil

fit: perinde est ac si aqua per aliud foramen in stomachum infunderetur; praeterea aqua intrat et maxima ex parte foras redit; quod autem remanet, est parum et praeter intentionem.

Ita sentiunt etiam Génicot, et E.mus Gennari (*Consult. XCIX*).

Advertendum autem, eandem stomachi lotionem non esse licitam post missam (nisi plures horae iam lapsae fuerint), ob periculum ne simul cum aqua reliquiae sacrae hostiae exeant.

1002. *Quid de eo qui* ***dubitet*** *an manducaverit vel biberit; aut certus sit quidem se manducasse vel bibisse, sed nesciat utrum id ante mediam noctem, an vero postea, acciderit?* Inquisitione facta et dubio remanente, ad communionem accedere potest; verba enim legis: *Qui non est ieiunus, non potest communicare,* a plurimis theologis intelliguntur quasi dicerent: *Qui scit, se non esse ieiunum non potest communicare.* At vero qui dubitat aut nescit, numquid scit? Utique non desunt qui alio sensu hanc legem interpretantur; sed eorum opinionem (maxime si a communione abstinere incommodum esset) sequi non tenemur. S. Lig. (*l. 37*).

1003. *Quid de fractione ieiunii* ***actu ipso*** *communionis?*

Hoc, data causa rationabili, non consideratur.

Casus esset si particula palato adhaesisset, et aqua sumeretur, quae forte ante particulam in stomachum descenderet; et idem dic de sacerdote, qui, sumpto Sanguine, adverteret partem hostiae in eo immissam calicis parietibus adhaesisse, quae (potius quam digitis extrahatur) simul cum ablutione sumi posset.

1004. *Quandonam* ***non ieiunus*** *communicare potest?* Non solum in *periculo mortis* (de quo infra), et si reverentia sacramenti (v. g. *ad perficiendum sacrificium*) id exigeret, ut supra dixi (*n. 498*); sed etiam si, omissa communione aut missae celebratione, infamia vel *scandalum*, scilicet incommoda nimis gravia, aut alia mala, quae praeponderare videantur, orirentur. Exemplum esset si quis ad scamnum communicantium iam accessisset, et sic recedendo graves suspectus iugereret. Tamburini (*II 33*).

Quoad sacerdotes autem, exempla plura adduxi supra (*n. 498 II*).

1005. *Quid de eo, qui, extra quodlibet mortis vicinae periculum, fere quovis momento necessitatem haberet bibendi, et sic* ***nunquam ieiunus stare posset?***

Elbel (*De Euch. n. 90*) fingit casum huic similem, scilicet de sene adversa semper valetudine affecto, qui tum ob stomachi debilitatem, tum ob distantiam loci, nunquam possit ecclesiam adire ieiunus, quin deficiat in via. Huic autem communionem concedit, et pro hac sententia Bonacinam, Busembaum aliosque citat, sed male; in his enim auctoribus de hoc casu nihil reperitur, bene vero in locis ab eo citatis de viatici repetitione loquuntur.

Ego (re ista nunc maturius perpensa) dico, esse distinguendum an ex simplici devotione, an vero ad satisfaciendum praecepto paschali communio fieri velit.

In primo casu respondeo negative ob sequentes rationes. 1° Theologi omnes tam antiqui quam recentiores (excepto Elbel) sunt in contrarium. 2° Si homo suis pedibus ad ecclesiam se conferre posset, admiratio et scandalum suscitaretur si resciretur eum non ieiunum communicare, et ille ipse de re ista quietus esse nequiret, nimis enim communi sensui repugnat: adde quod, admissa huiusmodi liceitate, fractiones ieiunii ante communionem in praxim deduci inciperent, et sic (contra legem istam adeo rigorose hucusque servatam) abusibus ianua aperiretur. 3° Si autem homo sit infirmus et in lecto decumbat, tunc per communionem summo mane, vel etiam (si id necessarium foret) statim post mediam noctem, ei faciendam, ordinarie provideri poterit. 4° Aderit quoque medium recurrendi ad indultum apostolicum, quod non difficile obtinetur (1); et est necessarium, tum quia lex per se non cessat, tum quia, ut dixi, periculum adesset abusibus ianuam aperiendi.

---

(1) Indultum concedi solet pro bis in mense quoad laicos, et pro bis in hebdomada et pro simplici communione (non pro missa celebranda) quoad religiosos, atque ita ut, si sufficeret ut aliquid sumeretur ad modum potus (quo nomine veniret etiam quod nos italice dicimus *scmolino* vel *panegrattato*), cibi solidi non permitterentur. Vide *Monitore Vol. 10 pag. 4 et 20;* nec non *Vol. XII pag. 129.*

In secundo casu autem, si nempe ageretur de communione paschali, responderem affirmative: ita tamen ut ex una parte per communionem summo mane administratam provideri nequiret, et ex alia Episcopi consensus accederet. Ratio est 1° Quia, si homo inter annum numquam eucharistiam recepisset neque proxime (sine eodem impedimento) illam recipere valeret, agi posset de praecepto divino, quod ecclesiastico praevalet. 2° Rituale, vetando communionem infirmis non ieiunis, loquitur de iis qui *ob devotionem communicant*. 3° Ita docent theologi plures, v. g. Toletus (apud Croix *n. 574*), D'Annibale (*III 290*), et Génicot (*II 202*).

1006. *Quaenam sunt dispositiones requisitae* ***sub levi aut ex solo consilio?***

I. *Praeparatio proxima* et devota, se recolligendo et excitando actus, v. g. fidei, timoris, amoris, desiderii etc. erga Divinum Hospitem mox excipiendum. Haec certe cadit sub praecepto; attamen iuxta circumstantias et subiecti capacitatem. Ita Lugo (*XIV 27-32*).

Hic auctor addit, irreverentiam adesse posse non solum si quis cum fine venialiter culpabili (v. g. *ex vanagloria*) ad communionem accederet, aut voluntarie distractus; sed etiam si anima magna peccatorum venialium multitudine sine cura emendationis sordida esset; et censet conscientiae puritatem etiam quoad venialia exigi; non tamen omnimodam, sed iuxta subiecti conditionem; cum maiori quippe munditie spirituali accedere tenetur Religiosus, dum minus a puero vel rustico exigeretur. Haec doctrina mihi quoque vera videtur casu quo in *venialium emendatione quis nullam curam adhiberet*, et nihilominus ad communionem *quotidianam* aut quasi quotidianam accedere vellet, ut melius infra videbimus.

II. Quia autem *perturbationes magnae* devotionem impedire solent, ideo de consilio esse potest, ut eo tempore communio praetermittatur. Rubrica missalis dicit: « Si « ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi « postmodum non dormierit nec sit digestus, non peccat « (si communicet vel celebret); sed ob perturbationem

« mentis, ex qua devotio tollitur, consultius aliquando « abstinendum ».

III. *Peccatum mortale commissum eo ipso die* (scilicet intra 24 horas antecedentes), quamvis confessum et absolutum, communioni obstare sub levi; imo, quoad missae celebrationem, *si conscii criminis praesentes essent*, sub gravi, probat Benedictus XIV (*De Sacr. Miss. III.* XI). Hoc autem maxime verum est si ageretur de fornicatione aut alio peccato carnali, quod, relate ad Panem Angelorum, specialissimam indecentiam secum fert. Cavendum tamen ne, praetextu huius indecentiae, in rigorem iansenisticum incidamus; unde Alexander VIII damnavit sequentem propositionem: « Sacrilegi sunt iudicandi, qui ius ad com- « munionem praetendunt antequam condignam de delictis « suis poenitentiam egerint ». Poterit tamen confessarius aliquando magno peccatori (ad horrorem ei incutiendum) per aliquod tempus eucharistiae susceptionem differre (S. Lig. *VI 272*).

IV. *Pollutio*, quamvis confessio subsecuta fuerit, vel etiam interdum quamvis prorsus involuntarie acciderit, potest communionem impedire. Hac de re rubrica missalis dicit: « Si praecesserit pollutio nocturna, quae causata « fuerit ex praecedenti cogitatione quae sit peccatum mor- « tale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum « est a communione et celebratione, nisi aliud confessario « videatur. — Si dubium est an in praecedenti cogita- « tione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, « extra tamen necessitatis casum. Si autem certum est « non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel « nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex causa na- « turali, aut ex diabolica illusione, potest communicare « et celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta « evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur ».

V. *Copula coniugalis* sub levi vel sub consilio obstare potest. Cathechismus Rom. (*De eucharistia* § *Verum*) dicit: « Postulat etiam tanti sacramenti dignitas, ut qui « matrimonio iuncti sunt, aliquot dies a concubitu uxorum « abstineant »; unde praesbyteris graecis saltem per tri-

duum ante missae celebrationem usus uxoris interdicitur. Bened. XIV (*l. c. 11*).

Supponendo autem quod nulla causa specialis, non obstante copula prius habita, communionem fieri posse vel debere suadeat, communior theologorum doctrina cum S. Lig. (*VI 273*) dicit 1° esse de consilio ut eo die communio praetermittatur; 2° Communionem impediri sub levi si copula coniugalis causa voluptatis (non vero causa procreandae prolis, vel reddendi debitum coniugi, vel vitandi incontinentiam) habita fuerit.

1007. Sed quaenam sunt *causae excusantes*. quaenam scilicet causae sufficiunt, ut, non obstante peccato confesso (ut supra) vel pollutione vel copula coniugali, neque sub levi neque de consilio a communione abstinendum sit? Causae maiores sunt 1° periculum scandali; 2° periculum infamiae. Causae minores sunt v. g. occasio solemnitatis, vel indulgentiae, aut desiderium satisfaciendi alicui speciali devotioni etc. (S. Lig. *l. c.*). Facilius autem quis excusabitur si de pollutione involuntaria, et paullo difficilius si de copula coniugali, et eo magis si de pollutione voluntaria, et adhuc magis si de fornicatione, res fuerit. (Lugo *De Euch. XV 14*). Item facilius quis excusabitur si impedimentum inculpabile sit frequens, quam si esset rarus. Consilium scilicet abstinendi a communione propter turbationes, aut pollutiones involuntarias, aut copulam coniugalem, respicit casus in quibus raro, non vero illos in quibus frequenter aut fere semper sine communione quis remanere deberet. Hinc scripsit Lugo (*l. c.*): « Defectus « ille reverentiae excusatur ob necessitatem virium spiri- « tualium, cui noceret frequens illa abstinentia ».

1008. *Quaenam dispositiones requirantur* ***pro communione quotidiana*** *aut quasi quotidiana?* Frassinetti (*Tr. XV Dis. X*) dicit: « Communio quotidiana ap- « probatur absolute ab Ecclesia etiam pro christifidelibus « debilibus et imperfectis.... SS. Patres pro communione « etiam quotidiana, praeter simplicem statum gratiae, « nunquam aliquid aliud exegerunt.... Quando homo vivit « habitualiter in gratia Dei, potest accedere ad commu- « nionem toties quoties vult, etiam quotidie....; imo dici

« posse videtur, quemlibet, etsi habitualiter in gratia Dei « non vivat, posse communicare toties quoties in statu « gratiae actualiter sit ».

1009. Haec doctrina mihi videtur falsa et ab Ecclesiae sensu alienissima. Hoc patet 1° ex decreto Innocentii XI, qui, quoad ipsas moniales, sic loquitur : « Moniales quo- « tidie sacram communionem petentes admonendae erunt, « ut in diebus ex earum ordinis instituto praestitutis « communicent. *Si quae vero puritate mentis eniteant « et fervore spiritus ita incaluerint ut dignae frequen- « tiori aut quotidiana SS.mi Sacramenti perceptione « videri possint*, id illis a superioribus permittatur ». Et, agens de personis saecularibus dicit, *ex conscientiarum puritate, frequentiae fructu et processu ad pietatem, regulam esse sumendam.*

1010. Patet 2° ex aliis S. Sedis decretis, et imprimis ex responso S. Poenitentiariae (*19 Dec. 1886*) dicente : « Laudabilem esse consuetudinem monialium quotidie ad « sacram communionem accedendi; spectare tamen ad con- « fessarium id singulis permittere iuxta regulas a probatis « auctoribus traditas, et praesertim a S. Alfonso M. de « Ligorio ». Cui responso consonat decretum *Quemadmo- dum* Leonis XIII (*17 Dec. 1890* supra relatum *n. 714*), ubi dicitur : « Monentur hic omnes (moniales) ut ad sa- « cram synaxim curent.... accedere diebus in propriis re- « gulis statutis, et quoties, ob fervorem et spiritualem « alicuius profectum, confessarius expedire iudicaverit ut « frequentius accedant ».

Doctrina itaque S. Sedis est, ut non iam a sola exemptione a peccato mortali (ut dicit Frassinetti), sed a fervore et profectu (accedente semper consilio confessarii), necnon a probatis auctoribus, et maxime a S. Ligorio, regula sumatur.

1011. Sed quid dicunt auctores probati ? Aliquos refero. S. Thomas *III.* VIII *A. 10*) : « Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana « sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis de- « bere quotidie communicare ; si autem sentiret, per quotidianam frequen- « tiam, reverentiam minui et fervorem non multum augeri, talis deberet « interdum abstinere, ut cum maiori reverentia et devotione postmodum « accederet ».

Benedictus XIV (*De Syn VII.* XII) : « Tridentini Patres fideles hor-

« tati sunt ad SS.mae Communionis frequentiam, sibique in votis esse « demonstrarunt ut quilibet tanta emineat morum integritate ut digne « possit etiam quotidie Christi carnibus pasci.... Monendi sunt confessarii « ne frequentem ad eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant... « qui, etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus « inhaerentem ». Et citat S. Franciscum Salesium (*Filotea II.* xx).

Catechismus Romanus agens de primitivis fidelibus, ait : « Vera et « sincera charitate ita ardebant, ut, cum sine intermissione orationibus « et aliis pietatis operibus operam darent, quotidie ad Sacra Dominici « Corporis mysteria sumenda parati invenirentur ».

Scaramelli (*I.ª x Cap. 6 versio latina*) : « Si persona talis sit, ut non « solum vivat stabiliter in gratia Dei, sed cum cautela multa se abstineat « etiam a venialibus, nec affectum ad illa habeat, poenitentiam amet, « suarum passionum mortificationi incumbat, sanctarum meditationum exer- « citio dedita sit, aestuet communicandi desiderio, atque a communione « fructum et robur ad proficiendum in virtutibus retrahat ; poterit confes- « sarius communionem ei concedere bis, vel ter, vel quater, vel quinquies « in hebdomada, iuxta maiorem vel minorem processum in perfectione etc. « Si autem persona ad magnam iam pervenerit perfectionem..., tunc etiam « quotidie communio ei concedi poterit ».

1012. Quid dicit S. Ligorius, a quo potissimum regulam esse sumen- dam monet S. Poenitentiaria ? En sua verba (*Prax. 146-156*). « Videtur « non posse director sine scrupulo negare Communionem frequentem vel « etiam quotidianam quibusdam animabus *eam desiderantibus ut proficiant « in amore divino : semper ac (persona), vivendo alienata ab affectu cu- « iuscumque culpae venialis, incumbit insuper multum orationi mentali « et conatur tendere ad perfectionem* ». Duo autem notat, scilicet 1º Or- dinarie excipiendum esse unum diem in qualibet hebdomada, atque insu- per tempus illud, in quo poenitens privari velit communione ad probandam eius obedientiam aut humilitatem etc. 2º Non obstare si forte poenitens caderet *aliquando* in veniale peccatum voluntarium ob meram fragilitatem (non autem ex affectu habituali erga illud), dummodo cito postea doleat, et communionem, ad robur accipiendum a sacramento ne iterum cadat, atque ad progrediendum in virtutibus, desideret. Concludit autem : « O utinam « plures animae invenirentur, quae, *odio habentes etiam culpas leviores*, « expeterent communicare etiam quotidie cum vero desiderio se emendandi « et in divino amore proficiendi !.... Curet confessarius communionem « suadere quoties (poenitens) *verum* desiderium demonstret, et quoties « advertit animam in spiritu *proficere* beneficio communionis ».

1013. Aliqui obiiciunt Segur ; at vero hic auctor, in suo libello *De communione frequenti* a Pio IX quam maxime approbato, totus quidem in eo est ut communionem frequentem commendet ; sed simul exigit speciales dispositiones ; unde de communione quotidiana aperte dicit eam concedi posse personae, *quae tota Dei esse velit et reapse sit.*

1014. Patet 3º ex ratione. Divini Hospitis enim quoti- diana receptio magnam intimitatem inter illum et animam exigit. Qui profecto singulis diebus ad mensam principis assidet, nonne ei familiarissimus et carissimus esse debet? Vestis, etiam aliqualiter maculata, toleratur pro accessu servorum, qui a longe principi deserviunt et raro eiusdem

conspectui se praesentant; sed non pro intimis eiusdem familiaribus, qui semper cum illo sunt.

1015. Patet 4° Ex sensu communi; necessitas enim conspicuae bonitatis pro communione quotidiana toti populo christiano notissima est.

1016. Patet 5° Ex damno poenitentium, et scandalo aliorum; si enim personis valde imperfectis communio quotidiana concedatur, verendum est ne in earundem praeiudicium, superbiam fovendo, vertatur. Ipsae imprimis se iam ad perfectionis apicem pervenisse existimabunt, dum, iudicio confessarii, dignae reputantur ut quotidie communicent; et proinde proprios defectus magis magisque parvipendent, nisi etiam circa illos prorsus caecutiant. Hinc correctiones non tolerabunt, et fortasse ex vana gloria (ne scilicet aliis inferiores videantur) ad sacram mensam accedent. Qui autem earum defectus cognoscunt, et vident quod nihilominus quotidie communicant, de ipsis et de confessariis valde scandalizantur.

Frassinetti obiicit consuetudinem primitivorum fidelium, qui ex praecepto debebant quotidie ad communionem accedere, et nihilominus dubitari nequit quin inter illos adessent quoque imperfecti, imo et magni peccatores.

Sed respondendum quod praeceptum illud obligabat solum ministros assistentes altari, non vero omnes christifideles (Cf. S. Lig. *l. c.*). Quando autem dicitur quod omnes christifideles tunc quotidie ad sacram mensam accedebant, in sensu amplificativo intelligi debet, non autem ita stricte ut imperfecti quoque et magni peccatores accederent; quod ex verbis mox supra relatis (*n. 1011*) catechismi rom. manifeste patet.

1017. *Regula de exigenda perfectione supradicta pro communione quotidiana habetne exceptiones?* Affirmative. Personis enim etiam valde imperfectis, imo quamvis identidem in peccata mortalia labantur, communio frequens et etiam quotidiana permitti potest, si motiva praeponderantia illam suadeant. Lugo (*XVII 45*) dat exemplum sacerdotum valde imperfectorum et nihilominus quotidie celebrantium; et ait: « Defectus ille puritatis com-
« pensatur per maiorem obligationem, quam ex officio
« habent, offerendi sacrificium; sunt enim nuncii, et mi-
« nistri publici, deputati ab Ecclesia, ut eius nomine Deum
« placatum reddant; quare ipsius Ecclesiae puritas, cuius
« nomine accedunt, reddit eos magis acceptos ut accedant

« ad Deum ». S. Lig. (*Prax. 149*) dat aliud exemplum in persona magnis tentationibus subiecta, quae in periculo versetur incidendi in peccata mortalia, a quibus valde abhorret, quamvis interdum misere cadat; et ait: « Expedit « aliquando concedere communionem aliquibus, qui essent « in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant « ad resistendum ». Sed hoc etiam in casu cavendum ab excessu, et videndum quo fructu.

1018. *Decisio de concedenda vel non concedenda communione ultra diem confessionis potestne spectare ad alios quam ad confessarium?* Decisio spectat ad solum confessarium. In quibusdam monasteriis solum aliquibus diebus communio permittitur, et aliis diebus vetatur. Imo abbatissae facultatem concedendi vel interdicendi communionem sibi vindicant. Hos esse abusus eliminandos dicunt Frassinetti et Ballerini (*n. 341*); et certe Decretum Innocentii XI saltem in parte obstat. Nunc autem peremptorium habemus Leonis XIII decretum *Quemadmodum,* quod retuli supra (*n. 714*).

1019. *Quid de* ***munere parochi quoad frequentiam communionis?*** Parochus titulo nimiae frequentiae neminem a sacra mensa repellet; et in catechismo communionem frequentem (quae est medium supremum sanctificandi paroeciam) valde laudabit enixeque commendabit. Quantum quoque communio quotidiana esset Deo et Ecclesiae accepta declarabit; sed statim de magna praeparatione et de conspicuis virtutibus quae ad tantam frequentiam requiruntur, sermonem habebit. Sic Innocentius XI (*Decr. cit.*).

1020. *Quid de praestandis a christifidelibus* ***post communionem?*** Post communionem, seclusa necessitate, statim et ipso momento abire, speciatim ad res profanas, maxime vero ad ludendum vel manducandum, certe non licet; sed in devota gratiarum actione, saltem per horae quadrantem, remanere oportet. Congruum est etiam, ut qui communicavit, dicto tempore ab expuendo, si possit, abstineat. Cf. Gury (*n. 333*).

ARTICULUS III.

De subiecto quoad obligationem suscipiendi eucharistiam.

1021. *Quo* ***praecepto*** *et* ***quandonam*** *obligantur fideles eucharistiam sumere?*

I. Adest certe *praeceptum divinum* eucharistiam sumendi, dicente Christo Domino (*Io. VI 54*): « Nisi « manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius « sanguinem, non habebitis vitam in vobis ».

Hoc autem praeceptum (tamquam divinum) obligare *identidem in vita,* necnon *ad modum viatici* in morte, theologi communiter fatentur. Cf. Ballerini (*Op. th. X 182*).

II. Adest insuper *praeceptum ecclesiasticum* de communione paschali promulgatum in Concil. Later. IV (cuius verba retuli supra *n. 83*), et confirmatum a Concilio Trid. (*XIII Can. IX*) dicente: « Si quis negaverit omnes « et singulos christifideles utriusque sexus, cum ad annos « discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in « paschate ad communicandum, iuxta praeceptum Sanctae « Matris Ecclesiae, anathema sit ». Docent autem theologi quod, satisfaciendo praecepto Ecclesiae, praecepto quoque divino (saltem ordinarie) satisfit.

An Eucharistiae susceptio necessaria sit necessitate medii pro perseverantia, disputant theologi. Vide Ballerini (*l. c. 180*).

III. Sumptio eucharistiae sub utraque specie non solum non est necessaria pro laicis, sed etiam est prohibita; idque etiam in casu (utique chimerico) quo sic et non aliter viaticum moribundo conferri posset. Cf. Bucceroni (*n. 69*).

1022. *Quaenam specialiter notanda sunt circa* ***communionem paschalem?*** De hac re satis egi supra (*n. 83 et seqq.*).

1023. *Quaenam specialiter notanda sunt circa* ***viaticum?*** De re ista agam paullo infra, ubi de communione infirmorum.

CAPUT V.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

1024. *Quisnam est* ***minister*** *eucharistiae?* Distinguendum est quoad eucharistiam 1° conficiendam; 2° distribuendam; 3° asservandam.

1025. *Quisnam est minister quoad eucharistiam* ***conficiendam?*** Solus sacerdos.

1026. *Quaenam debent esse (pro licito) personales sacerdotis eucharistiam conficientis (seu missam celebrantis) dispositiones?* De his casibus actum est partim mox supra (ubi de ieiunio) et partim *n. 476*.

1027. *Quisnam est minister quoad eucharistiam* ***distribuendam?*** Minister *ordinarius* est sacerdos curam animarum habens quoad subditos. *Delegatus* autem (delegatione expressa, aut tacita, aut praesumpta (1) potest esse quilibet sacerdos; imo etiam diaconus (cum stola transversa). Ad delegandum tamen diaconum, exigitur causa specialis et gravis (petentibus scilicet fidelibus, et sacerdote deficiente vel non commode accedere valente); sed non oportet ut urgeat necessitas extrema (scilicet viatici ministrandi). S. Lig. (*VI 236*). Praeter ministrum ordinarium et delegatum, sunt etiam ministri *ex privilegio*. Huiusmodi sunt regulares in suis ecclesiis. Attamen in dominica paschatis suis subditis tantummodo et familiaribus (iuxta dicta *n. 723 II*) ministrare possunt; non vero aliis, excepto casu praesumpti consensus parochi vel Ecclesiae, prout dicit Baller. (*Op. th. F 96*), et ego quoque innui (*n. 717*). Privilegium istud Regularibus concessum non extenditur ad delationem eucharistiae ad infirmos; imo, si ageretur de viatico, quod extra casum urgentis

(1) Delegatio *tacita* intervenit parocho vidente et non contradicente, vel stante consuetudine, quae (excepto casu viatici, et facile excepto etiam tempore paschali) generatim viget, ita ut iam quilibet in ecclesia eucharistiam ministrare possit. *Praesumpta* interveniret, si licentia a parocho (v. g. pro viatico) peti quidem deberet, sed in aliquo casu particulari parochus interpellari nequiret. Imo, reluctante quoque parocho, tunc eucharistia ministrari posset; eo enim irrationabiliter contradicente, consensus Ecclesiae praesumi deberet.

necessitatis sine licentia parochi administraretur, adesset excommunicatio Rom. Pontif. simpliciter reservata.

1028. *Quid de gradu culpae, si quis in peccato mortali eucharistiam ministret?* De hoc etiam vide supra dicta (*n. 819,* remissive ad *Vol. II n. 399*).

1029. *Qui celebrat missam in mortali, unicumne, an vero plura peccata committit?* In missa sacerdos consecrat, communicat, ministrat communionem sibi ipsi, et saepe saepius etiam aliis sive ex consecratis in missa ipsa, sive ex praeconsecratis. Hinc aliqui censent peccatum esse unicum, quia haec omnia ad modum unius perficiuntur (Cf. Diana *II Tr. I Res.* CXLIX); alii vero docent, peccata esse duo, vel tria, vel quatuor (Cf. Lugo *De sacr. in gen. D. VIII n. 161,* et S. Lig. *L. VI n. 35* v. *Hinc*). Sed in hac quaestione non refert immorari; et certe oportet et sufficit quod talis sacerdos in confessione dicat, se in peccato mortali missam celebrasse. Si autem distribuisset eucharistiam (speciatim ex praeconsecratis), hoc in huiusmodi confessione non subintelligeretur. At vero idipsum circumstantia mere aggravans, vel non graviter (saltem certe) speciem mutans, in casu esse videretur. Cf. Génicot (*II 115. 3*).

1030. 1° *An sacerdos extra missam possit se ipsum communicare?* 2° *An aliquando id permitti possit etiam simplici clerico vel laico?* 3° *An aliquando simplex clericus vel laicus deferre possit viaticum ad moribundum?*

Ad I. Deficiente sacerdote qui eucharistiam administret, sacerdos (qui nequeat celebrare) posse seipsum communicare, nedum ad modum viatici, sed etiam (maxime si secus longo tempore sine communione remanere cogeretur) ex devotione, secluso scandalo, admittunt plures cum S. Lig. (*VI 238*).

Ad II. Affirmative in casu rarissimo et vix practico, in quo ex una parte agatur de viatico, aliterque fieri nequeat, et ex alia absit scandalum. Quaesitum fuit a quibusdam missionariis tempore persecutionis: « An permitti possit, in persecutionis tempore, ut fidei confessores ad « mortem propter fidem damnati, et quibus in carcere defertur eucha- « ristiae sacramentum occulte, possint illud accipere suis manibus et sese « occulte communicare, ne sacerdos illos more ordinario communicans co- « gnoscatur et praehendatur? » S. C. P. O. (*10 Aug. 1841*) respondit: « Affirmative, dummodo nulli irreverentiae aut alii periculo tantum sacra- « mentum exponatur ».

Ad III. Affirmative; sed pariter solum in casu rarissimo et in conditionibus ut supra. Cf. S. Lig. *XI 237 pag. III)* et Baller. (*Op. th. X 91*).

1031. *Quid de ministro quoad obligationem conficiendi, distribuendi, et denegandi eucharistiam?* De hoc sufficiunt quae dixi supra (*n. 508. 824. 841*).

1032. *Quisnam est minister eucharistiae asservandae, custodiendae et exponendae?* Sunt rectores ecclesiarum, in quibus legitime asservatur SS.mum Sacramentum, qua de re vide supra (*n. 396 et seqq.*). Eorundem hoc in puncto obligationes praecipuas loco ipso indicavi. De expositionibus autem SS.mi Sacramenti et processionibus, vide (*n. cit. XIII et 398*).

CAPUT VI.

DE QUIBUSDAM NOTATU DIGNIS CIRCA RITUS IN EUCHARISTIA MINISTRANDA.

1033. *Quid de gradu culpae si eucharistia administretur vel de altari ad altare transferatur sine vestibus sacris, aut sine aliis requisitis quae sunt de ritu?* Secluso casu necessitatis (apud nos vix unquam practico; Cf. *Theologia pastor. n. 257*), grave est illam ministrare sine ulla veste sacra. At sine lumine, sine *Confiteor,* imo etiam sine stola (dummodo non sine superpelliceo), est leve. Sola translatio eucharistiae ab uno ad aliud altare sine ulla veste sacra (secluso scandalo) venialis censetur. S. Lig. (*VI 241*).

1034. *Quid de particulis vel hostiis maioribus in partes divisis, vel de detractione partis ab ipsa hostia missae, ad communionem faciendam?* Decisio pendet a necessitate. Vide dicta (*n. 397* v).

1035. *An eucharistia administrari possit in oratoriis privatis, ubi ex indulto apostolico missa celebrari valeat?* Negative, nisi de speciali Episcopi licentia. Vide S. Lig. (*VI 360* v *Quaeres*).

1036. *An quoad sacerdotem missam celebrantem sit quid indifferens sive intra missam, sive post, sive ante, eucharistiam christifidelibus distribuat?* Affirmative (iuxta supra dicta *n. 397* I) si communio petatur.

1037. *An administrari possit eucharistia in missis defunctorum ex praeconsecratis?* Affirmative, iuxta dicta (*n. 397* III) ex decreto generali (*23 Iul. 1868*) quod ait: « Posse in missis defunctorum cum paramentis nigris « sacram communionem fidelibus ministrari, etiam ex « particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a taber- « naculo. Posse item in paramentis nigris ministrari com- « munionem immediate post missam defunctorum; data « autem rationabili causa, immediate quoque ante eandem « missam; in utroque tamen casu omittendam esse bene- « dictionem ». Causa autem videtur esse satis rationabilis

si, attenta multitudine communionem petentium ante missam, verisimiliter adsint personae, quae a longo tempore sint in ecclesia, vel utcumque indigeant se ita cito expedire, ut usque ad finem missae cum mora convenienti pro gratiarum actione in ecclesia remanere nequeant.

1038. *Quibus horis in ecclesia ministrari potest communio christifidelibus?* De hoc habemus sequens decretum: « An die magni concursus ad indulgentiam ple-
« nariam vel iubilaeum, possit ministrari sacra eucharistia
« fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem?
« In casu, de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus,
« quo in illa ecclesia missae celebrantur vel ad formam
« rubricae, vel ad formam indulti eidem ecclesiae con-
« cessi ». Horis igitur quibus missae celebrare nequeunt, ne communio quidem ministrari potest. Nocte autem Nativitatis Domini, etsi missa celebretur, communio ministrari nequit. Vide dicta (*n. 397* IV).

1039. *An, postquam particulae consecratae fuerint, possit alius sacerdos eas christifidelibus distribuere, loco celebrantis, qui suam missam prosequatur?* Hoc est contra rubricam. Attamen accidere possunt circumstantiae extraordinariae quae id licitum reddant, dummodo celebrans iam se communicaverit; prius enim vix fingi potest casus in quo res huiusmodi licere possit. Vide Gury (*Cas. Consc. n. 262*).

1040. *An sacerdos, qui pollice vel indice vel utroque careat aut casu uti nequeat, aliis digitis eucharistiam ministrare possit?* Plures negant (apud S. Lig. *VI 244*); sed alii cum Ballerini (*Op. th. X 104*) affirmant. Ego sic dicerem: Si pollex non sit impeditus, et defectus sit in solo indice; tunc eucharistia pollice et alio digito ministrari poterit. Deficiente autem pollice indecentia interveniret, atque (ad excusandum) magna necessitas exigeretur, ut puta, si, deficiente alio sacerdote, parochus hoc solo modo viaticum moribundo administrare posset.

1041. *Quid si particula in terram, aut in tobaleam, aut in vestes communicantis, aut in sinum vel intra vestes mulieris, aut intra clausuram monialium (prout accidere potest eas ad fenestrellam communicando), caderet?*

I. Si lapsa fuisset in terram vel tobaleam, sumenda esset; et locus ubi cecidit purificari, scilicet abradi vel lavari, deberet, iuxta dicta (*n. 503 IV*). Haec abrasio vel lavatio melius fieri poterit postea, signato prius (ope purificatorii vel pallae vel aciculae) loco, ubi particula cecidit.

II. Si lapsa fuisset in vestes aut vultum aut barbam communicantis, dicta purificatio, ad vitandam admirationem et turbationem, omitti deberet. Bucceroni (*n. 48*).

III. Si lapsa fuisset intra plicaturas vestis aut sinum mulieris, ipsa mulier illam accipiat et sacerdoti tradat, a quo deinde communicetur (Bened. XIV *De Sacrif. Miss.*). Si autem (propter difficultatem illam inveniendi) decentia non sineret ut in ecclesia id praestaretur; tunc mulier in sacristiam recedere, ibique remotis arbitris particulam suis manibus extrahere, super paratam patenam collocare atque sacerdoti tradere deberet. Postea autem mulier digitos suos aqua purificet, et ablutio in sacrarium deiiciatur.

IV. Si lapsa fuisset intra clausuram, Quarti negat necessitatem illam ingrediendi; facile enim communicanda monialis, lingua sua particulam e terra levare et deglutire posset. Si tamen plures particulae intra clausurae cancellos prosiliissent, Clericatus (*Decis. 44*) omnino contendit, confessarium ingredi, easque reverenter colligere, aliaque (prout de ritu) praestare debere.

CAPUT VII.

DE COMMUNIONE INFIRMORUM.

1042. *Quibus in casibus administrari potest eucharistia infirmis?* 1° Ad modum viatici. 2° Ad satisfaciendum praecepto paschali. 3° Ex devotione.

N. B. De re ista, veniendo admodum ad particularia, egi in alio opere, cui titulus *Theologia pastoralis*; unde hic aliqua tantummodo superaddo vel magis declaro.

1043. *Communio* ***ad modum viatici*** *quomodo differt a communione ex devotione?* Differt a parte ieiunii, formae et obligationis.

Ieiunium quoad viaticum non exigitur (nisi forte moribundus commodissime ieiunus stare posset, qua de re practice non oportet verba facere, ne scrupuli et angustiae iniiciantur); bene vero exigitur in communione ex devotione, ut supra dixi (*n. 1005*).

In viatico, *forma* est: « Accipe, frater (*vel* soror) « viaticum corporis Domini Nostri Iesu Christi, qui te « custodiat ab hoste maligno et perducat te in vitam « aeternam. Amen ». In communione autem ex devotione, « adhibenda est forma consueta: « Corpus D. N. I. Christi « custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen ».

Quoad viaticum, *obligatio* gravis est in parocho et in infirmo (et quidem probabilius iure divino); in communione autem ex devotione, obligatio est in solo parocho, qui etiam tunc magis facile (ex aliquo impedimento) posset excusari et differre etc.

1044. *Quomodo cognoscitur an communio ad modum viatici administrari possit vel debeat?* Rituale dicit, viaticum administrandum esse *brevi morituris*, iis nempe qui in gravi versantur periculo (non enim exigitur certitudo) mortis vicinae, scilicet probabiliter secuturae sive intra unam sive inter duas tresve hebdomadas; cum hac tamen differentia quod in primo casu viaticum iam administrari debebit sine dilatione, et in secundo poterit quidem statim administrari, sed etiam (nisi speciales circumstantiae aliud exigant) paullisper differri.

Ad iudicandum autem de periculo mortis vicinae, prima regula erit si medicus sacramenta iam indixerit. Quum tamen medici in hac monitione danda saepe sint negligentes (imo subinde, ne infirmum aut familiam contristent, positive decipiant), non semper quietus in conscientia esse poterit parochus, si solum ex monitione ipsa regulam sumat. Hinc altera regula erit sequens. Supposito quod morbus sit suapte natura mortis periculosus, distinctio fiat inter morbos breves, et diuturnos aut chronicos. In primo casu viaticum statim ministrari poterit vel debebit; in secundo autem expectandum erit ut morbus ad ultimum stadium appropinquetur.

Advertendum, quosdam morbos esse fallaces; alii

enim horrorem incutiunt et nihilominus non sunt periculosi ; alii e contra blandi admodum esse videntur, aut melioramenta praesentant, et nihilominus (etsi infirmus et familiares sibi blandiantur quod res benevertant) mortis nedum vicinae sed proximae periculum includunt.

1045. *Quid in dubio an aegrotus in tali versetur statu ut iam ei viaticum ministrari valeat?* In re ista (maxime si infirmus ipse aut eius familia viatici desiderium ostendat) scrupulos parochus non habeat, et reminiscatur effati : *Melius est vivere cum sacramentis quam mori sine illis.*

1046. *Quaenam sunt vel possunt esse impedimenta viatici?* 1° Vomitus vel periculum eiectionis (per secessum) sacrarum specierum. 2° Delirium et destitutio sensuum. 3° Indignitas subiecti. 4° Indecentia loci. 5° Renuentia infirmi. 6° Si infirmus paullo ante (et maxime eodem die) ex devotione eucharistiam susceperisset. 7° Aetas puerilis.

Praeter dicta in *Theologia pastorali* circa impedimenta ista, de iisdem nonnulla hic adiicio.

1047. Circa casum in quo *quis non apparente vicinae mortis periculo communicaverit ex devotione, et post unum vel alterum diem in tali periculo versetur*, sententia communior dicit, illum ad viaticum recipiendum minime teneri ; et ratio adducitur quia ex una parte praeceptum viatici in substantia est ut unusquisque sumat communionem paullo ante mortem, ne scilicet aliquis ex hac vita migret sine proxima communionis receptione (quae in casu iam locum habuisset) ; et ex alia ad satisfaciendum praeceptis intentio non exigitur.

Ego censeo standum esse consuetudini, quae est optima legum interpres. Consuetudo autem apud nos distinguit inter personam sanam et infirmam sequenti modo.

Si quis sanus in ecclesia communicaverit, et postea in mortis periculum incidat, consuetudo est ut viaticum ei administretur, quamvis paucis diebus antea aut etiam die praecedenti communicaverit.

Si vero eucharistia hodie ad personam infirmam ex devotione delata fuerit, et cras mortis vicinae periculum insurgat, iterata eucharistiae delatio sub obligatione cadere non censetur. Si tamen infirmus illam desideraret, utique etiam non ieiunus communicare posset ; ut enim optime scripsit Lugo (*XVI 43*), « non dispensatur in ieiunio solum propter obli- « gationem divini praecepti : sed etiam propter maiorem necessitatem et « propter maiorem consolationem moribundi » ; et bene viaticum repeti potest. An autem parochus huic desiderio satisfacere teneatur, decisio pendet a circumstantiis, v. g. longitudinis itineris, admirationis populi, intensitatis desiderii ipsius etc.

1048. *Sed quid de eo qui mane eiusdem diei ex devotione communicavit, et intra eandem diem in mortis iam imminentis periculo versetur?*

Si mane sanus communicaverit, omnino concedi ei posse videtur, ut, ingruente postea mortis periculo, iterum communicet; quamvis enim bis in die communicare vetitum sit, non potest supponi quod pia mater ecclesia filium suum eucharistia, quam etiam tanto periculo ingruente recipere desiderat, privare velit. Si tamen illam non desideraret, contra praeceptum sumendi viaticum non peccaret, quia iam proxime ante mortem communicavit, et sic praecepto probabiliter satisfecit.

Si demum non sanus sed infirmus mane communicaverit, ita ut, populo comitante (aliud esset de monasterio) eucharistia ei delata fuerit, non videtur conveniens ut intra eandem diem populus iterum convocetur, ut eucharistia iterum ad eandem personam deferatur. Lugo (*l. c.*).

1049. *Quid de aetate puerili, quid scilicet de viatico quoad pueros non adhuc ad primam communionem admissos?*

Hoc in puncto non una est theologorum sententia. Communius dicunt, puerum doli capacem, urgente mortis periculo disponendum esse ad viaticum, quum ad illud tunc iure divino teneatur, neque in tali casu parochorum arbitrio relictam esse dilationem propter rationes quae, si puer sanus esset, iustae forent. Cf. Lugo (*XIII 34*). Alii e contra (v. g. Vasquez, Laymann, Navarrus, Hurtado, Tamburini, Diana etc.) censent, ad minus esse probabile quod talis obligatio non adsit; quatenus laudandus sit quidem parochus si huiusmodi pueros ad viaticum recipiendum disponere conetur; sed si id non faciat, non erit culpandus, quasi muneri suo deficiat atque vere peccet (et quidem graviter).

Ego sic dicerem. Parochi admissionem ad communionem pueris sanis differunt variis de causis. Prima est quia non statim ac pueri sunt doli capaces atque sacramentali absolutione donari possunt, sunt etiam dispositi ad eucharistiam suscipiendam, pro qua (ut supra dixi) maior iudicii maturitas exigitur. Secunda est, quia, etsi aliqui pueri sufficientem iudicii maturitatem haberent, tamen catechismum adhuc non didicerunt, quem ad communionem admissi neglecturi essent. Tertia, quia solum in quibusdam epochis primae communionis functionem parochi facere solent. Quarta denique potest esse incuria et negligentia.

His praenotatis, censeo inspiciendam esse causam cur puer moribundus ad communionem adhuc admissus non fuerit. Si fuisset negligentia, aut quia totum cathechismum adhuc non didicerit, aut quia epocha dictae functionis adhuc non advenerit; tunc his solis de causis sacro viatico privari non posset.

Si vero causa fuisset deficientia maturitatis iudicii (prout contingere solet si puer solum septem vel octo annos habeat), tunc adhuc subdistinguerem. Si propter iudicium nimis puerile de aliquo inconvenienti timendum sit, v. g. ne puer, videns sacerdotem eius cubiculum ingredientem aliosque lumina gestantes, timore corripiatur, fiere incipiat, caput abscondat etc., tunc certe parochus viaticum ad illum deferre nec debebit nec poterit. Quamvis autem haec non essent timenda, adhuc tamen iudicio parochi relinqui deberet decisio an puer cum sufficienti cognitione atque reverentia augustissimum sacramentum esset suscepturus. Benedictus XIV. (*De Synodo VII.* XII. *4*) dicit: « oportere ut parochi, diligenti praemisso exami-« ne, tanta compererint (puerum) pollere ingenii perspicacia, ut latentem « sub speciebus sacramentalibus Christum et firmiter credant et reverenter « adorent »; et sic concludit: « Ipsius prudentis parochi iudicio permittitur « definire, an moriturus puer, spectata eius indole, sit tanti sacramenti « capax ». Dicerem etiam quod, ad iudicandum an parochus vere obligetur indagines facere et puerum in hunc finem examinare, decisio pendeat a

circumstantiis, v. g. an puer (vel saltem eiusdem familia) viatici desiderium ostendat, an morbus permittat ut necessarium examen perficiatur, an pium et devotum se ostenderit etc. Et haec profecto generalis parochorum praxis esse videtur.

1050. *Quid de viatici repetitione?* Viaticum iterum administrari atque iterum recipi deberet 1° si infirmus ab illo morbo convaluisset sed illico in alium morbum pariter mortis vicinae periculosum incidisset; 2° Si aliquod melioramentum subsecutum longo tempore (v. g. ultra duos menses) perdurasset, sed ita ut vicinae mortis periculum semper subsisteret.

Si autem infirmus viatici repetitionem peteret etiam citius, tunc videndum an (attentis circumstantiis) discrete peteret; et (saltem si periculum mortis vicinae evanuisse videretur) ieiunium servare deberet.

1051. *Quid si periculum grave mortis vicinae non ex infirmitate oriretur, sed ex alia causa; v. g. operatione chirurgica, praelio, navigatione, naufragio, itinere valde periculoso, partu difficili, persecutione, aut si miles contra latrones ire deberet, maxime vero si quis ad mortem iam damnatus fuisset?*

Theologi de hoc strictam viatici recipiendi obligationem passim imponunt; idque quamvis ieiunium fractum fuisset, si aliter commode fieri nequiret. Sed doctrina ista cum exceptionibus et cum mica salis intelligi debet.

Quoad capite damnatos, in Hispania et Gallia consuetudo est (aut saltem erat non ita pridem) ut viaticum iisdem non concederetur, et Benedictus XIV (*De Syn. VII.* XI *3*) dicit: « In nostro tractatu de sacrificio missae, « indicatis variis locorum consuetudinibus, eam sequendam « esse insinuavimus, quae in unoquoque loco respective « obtinere dignoscitur ».

Quoad navigantes, S. C. S. O. (*13 Iul. 1660*) declaravit, sacramentum eucharistiae non posse in navibus deferri, ne nautae et vectores sine viatico decedant.

Practice autem, appropinquantibus dictis periculis, communionem recipere ad modum viatici non videtur considerari ut stricta obligatio, sed solum ut consilium, et quidem servato ieiunio. Quid enim si miles, qui contra latrones ire debet, post prandium ad ecclesiam veniret

communionem petens? Forsan autem ratio est quia periculum mortis tunc non solet esse adhuc adeo grave, ut sine dilatione viaticum omnino recipi debeat, et potest expectari ut in ipsa operatione chirurgica, in ipso partu, in ipso praelio vel occursu cum latronibus vulnere iam recepto, mortis periculum gravius evaserit.

Ego itaque dicerem quod, circa strictam obligationem viaticum recipiendi (in casibus istis) et circa ieiunium servandum vel non servandum, regula sumi debeat ex circumstantiis, atque etiam ex consuetudine, quae (ut pluries dixi) est optima legum interpres. Cf. Berengo (*n. 112*), Baruffaldi (*h. t. 24-44*), Lugo (*XVI 47*), Gousset (*II 227*) etc.

INDEX

TRACTATUS I. *De mandatis Ecclesiae* . . . . . *pag.* 5
Caput I. De abstinentia a carnibus diebus vetitis sine obligatione ieiunii . . . . . » ib.
Caput II. De ieiunio ecclesiastico . . . . . » 20
Articulus I. De ieiunantibus . . . . . » 21
Punctum I. De quantitate alimentorum . . . . . » ib.
Punctum II. De hora refectionis . . . . . » 26
Punctum III. De qualitate alimentorum . . . . . » ib.
Punctum IV. De gradu culpae in violatione ieiunii . . » 31
Punctum V. De numero peccatorum in violatione ieiunii . » 32
Articulus II. De non ieiunantibus . . . . . » 33
Punctum I. De personis quae a ieiunio excusantur semper . » ib.
Punctum II. De personis quae facile a diuturnis, non vero ab alicuius tantummodo diei ieiuniis, excusantur . . » 37
Punctum III. De non valentibus ieiunare modo perfecto . » 42
Punctum IV. De dubitantibus circa ieiunii vel abstinentiae a carnibus seu lacticiniis obligatione . . . . . » 44
Punctum V. Quid de dispensatione a ieiunio? . . . . » 46
Punctum VI. De casibus practice occurrentibus eo quod ieiunii obligatio in uno loco vigeat et non in alio . . . » 47
Punctum VII. Excusati a ieiunio, ad quid (diebus ieiunii) obligantur? . . . . . » 49
Caput III. De annua confessione . . . . . » 51
Caput IV. De communione paschali . . . . . » ib.
Caput V. De decimis et primitiis solvendis . . . . » 56
Caput VI. De nuptiis a prima dominica adventus usque ad epiphaniam et a prima die quadragesimae usque ad octavam paschatis interdictis . . . . . » 63
Caput VII. Quaedam alia ecclesiae praecepta indicantur . » 64
Articulus I. Praecepta de iure communi quoad omnes . . » ib.
Articulus II. Praecepta de iure communi quoad Clericos et Regulares . . . . . » 65
Articulus III. Praecepta de iure particulari quoad Clericos . » ib.
TRACTATUS II. *De statibus particularibus* . . . . » 67
Sectio I. De statibus particularibus quoad familiam . . » ib.

Caput I. De obligationibus parentum erga filios . . . *pag.* 67
Articulus I. De amore speciali parentum erga filios . . » ib.
Articulus II. De cura corporali . . . . . » 69
Articulus III. De cura spirituali . . . . . » 73
Appendix. De obligationibus rectoris familiae . . . » 80
Caput II. De obligationibus filiorum erga parentes . . » 81
Caput III. De obligationibus coniugum . . . . . » ib.
Caput IV. De obligationibus famulorum erga dominos . . » 82
Caput V. De obligationibus dominorum erga famulos . . » 83
Monitum. De superioribus et subditis in genere, nempe in societate sive civili sive ecclesiastica . . . . » 84
Sectio II. De statibus particularibus quoad societatem civilem » 85
Caput I. De obligationibus rectorum societatis civilis . . » ib.
Caput II. De obligationibus subditorum in societate civili . » 87
Articulus I. De obligatione obediendi legibus, solvendi tributa et praestandi servitium militare . . . . . » 88
Articulus II. De obligatione fidelitatis et reverentiae quae a subditis Principi praestari debet . . . . . » 89
Articulus III. De concursu ad officia gubernativa, et speciatim ad electionem Deputatorum sive politicorum sive municipalium . . . . . » 90
Caput III. De officiis forum iudiciale respicientibus . . » 93
Articulus I. De actore, accusatore et denuntiatore . . . » ib.
Articulus II. De reo . . . . . » 95
Articulus III. De testibus et peritis in iudicio . . . » 97
Articulus IV. De advocatis et procuratoribus . . . . » 99
Articulus V. De iudice, de arbitro, et de iuratis . . . » 101
Articulus VI. De apparitore . . . . . » 109
Articulus VII. De secretariis et referentibus iudicialibus . » 110
Articulus VIII. De iudice conciliatore . . . . . » 111
Articulus IX. De arbitris . . . . . » ib.
Caput IV. De quibusdam aliis officiis, quae ut plurimum ad personas saeculares pertinent . . . . . » 113
Articulus I. Exponuntur quaedam generalia . . . . » ib.
Articulus II. De officio notarii, seu tabellionis . . . » 115
Articulus III. De administratoribus . . . . . » 118
Articulus IV. De medicis, chirurgis, obstetricibus, et pharmacopolis . . . . . » 121
Articulus V. De custodibus . . . . . » 128
Articulus VI. De quibusdam aliis saecularium officiis . . » 129
Sectio III. De statibus particularibus quoad personas ecclesiasticas . . . . . » 134
Caput I. De iis quae clericis praecipiuntur . . . . » ib.
Articulus I. De habitu et tonsura . . . . . » ib.
Articulus II. De coelibatu . . . . . » 135
Articulus III. De officii divini, nempe horarum canonicarum, recitatione . . . . . » 136

Punctum I. De personis quae ad officium divinum recitandum obligantur . . . . . *pag.* 136
Punctum II. De culpa et poena quae contrahitur officium divinum non recitando . . . . . » ib.
Punctum III. De causis a recitatione officii excusantibus . » 138
Punctum IV. De breviario et kalendario quod pro recitatione divini officii adhiberi debet . . . . . » 145
Punctum V. De modo officium divinum bene recitandi . . » 152
§ I. Quomodo recitatio debet esse *integra* . . . . . » ib.
§ II. De tempore quo horae canonicae recitari debent . . » 156
§ III. Quomodo officium recitari debet *ordinatim* . . . » 158
§ IV. Quomodo singulae horae *sine interruptione* recitandae sint . . . . . » 159
§ V. De loco et situ . . . . . » 160
§ VI. Quomodo officium recitari debet *attente ac devote* . » ib.
Punctum VI. De recitatione cum socio vel in choro . . » 162
Articulus IV. De sacris functionibus rite et devote peragendis » 166
Punctum I. Notantur quaedam generalia . . . . » ib.
Punctum II. De rubricis magis momentosis et practicis quae prae oculis haberi debent . . . . . » 172
Circa SS.mum Sacramentum . . . . . » ib.
Circa communionem et viaticum . . . . . » 175
Circa processiones . . . . . » 176
Circa supellectiles et vasa sacra . . . . . » 177
Circa lumina in ecclesiis . . . . . » 180
Circa altare . . . . . » 184
Circa ecclesiam . . . . . » 185
Circa organum, cymbala, et harmonium . . . . . » 186
Circa cantum firmum . . . . . » 187
Circa musicam figuratam et alia similia notatu digna . . » 188
Circa sacras imagines . . . . . » 195
Circa reliquias . . . . . » ib.
Circa vexilla . . . . . » 196
Circa baptisterium . . . . . » ib.
Circa confessionem . . . . . » ib.
Circa oleum sanctum . . . . . » 197
Circa commendationem animae . . . . . » 198
Circa benedictionem in articulo mortis . . . . . » ib.
Circa benedictionem nuptialem et matrimonium . . . » 199
Circa alias benedictiones . . . . . » 200
Circa sepulturam ecclesiasticam . . . . . » 202
Circa coemeterium . . . . . » 204
Circa funera et alia officia mortuaria . . . . . » 205
Articulus V. De sacrosancto missae sacrificio . . . . » 211
Punctum I. De loco in quo missae celebrari possunt . . » ibi
§ I. De ecclesiis et oratoriis sive publicis sive semipublicis . » ib.

§ II. De oratoriis privatis et aliis locis in quibus exceptionaliter missa celebrari potest . . . . . *pag.* 217
Punctum II. De diebus et horis, in quibus missae celebrari possunt . . . . . » 219
Punctum III. De rebus ad missam celebrandam requisitis . » 220
Punctum IV. De personalibus sacerdotis celebrantis dispositionibus . . . . . » 222
§ I. De necessitate ieiunii naturalis . . . . . » ib.
§ II. De necessitate status gratiae per confessionem acquirendi » 223
§ III. De necessitate ut sacerdos celebraturus sit immunis a censuris et irregularitatibus . . . . . » 229
§ IV. De obligatione abstinendi a missae celebratione propter carnalem pollutionem antecedenter secutam . . . » 230
Punctum V. De kalendario sequendo et observando . . » 231
Punctum VI. De praestandis a sacerdote proxime ante missam » 232
Punctum VII. De quibusdam praecipue observandis tempore missae . . . . . » ib.
Punctum VIII. De praecipuis casibus fortuitis, qui in celebrationem missae accidere possunt, et de respectivis regulis » 234
Punctum IX. De fortuita impossibilitate servandi rubricas . » 238
Punctum X. De obligatione celebrandi missas, et servandi requisitas circumstantias particulares . . . . » 239
Punctum XI. De natura, fructibus et applicatione sacrificii missae . . . . . » 247
Punctum XII. De missae stipendio . . . . . » 253
Punctum XIII. Quid speciatim notandum circa illos, qui missas acceptant et postea aliis celebrandas tradunt . . . » 254
Punctum XIV. De missis quoad numerum, reductiones, suspensiones, translationes, commutationes et sanatorias . . » 263
Punctum XV. De binatione, scilicet iterata eodem die missae celebratione . . . . . » 269
Articulus VI. De servitio Ecclesiae praestando . . . » 275
Articulus VII. De sanctitate vitae, scientia et studio . . » 276
Appendix. De conferentiis moralibus et liturgicis coram Episcopo aut vicariis foraneis infra annum a clero habendis » 281
Articulus VIII. De muneribus cleri erga Episcopum . . » 288
Caput II. De iis quae clericis vetantur . . . . . » 297
Articulus I. De cohabitatione vel conversatione cum mulieribus » ib.
Articulus II. De negotiatione . . . . . » 306
Articulus III. De aliis negotiis saecularibus, quae clericis vetantur . . . . . » 308
Articulus IV. De ludo clericis prohibito . . . . . » 313
Articulus V. De venatione clericis vetita . . . . . » ib.
Articulus VI. De gestatione armorum . . . . . » 314
Articulus VII. De tabernis et thermopoliis vulgo *caffè* . . » ib.
Articulus VIII. De crapula, ebrietate et comessationibus . » ib.
Articulus IX. De luxu . . . . . » 315

Articulus X. De spectaculis et choreis . . . . . *pag.* 316
Articulus XI. De discessu a Dioecesi, Episcopi venia non obtenta . . . . . » ib.
Articulus XII. De obligatione servandi privilegium fori, et proinde etiam de vetito ferendi testimonium in iudicio sine licentia Episcopi . . . . . » 317
Caput III. De statu religioso . . . . . » 318
Articulus I. De natura status religiosi . . . . . » ib.
Articulus II. De voto castitatis . . . . . » 319
Articulus III. De voto obedientiae . . . . . » 320
Articulus IV. De propria regula a religiosis observanda . » 322
Articulus V. De clausura . . . . . » 324
Articulus VI. De voto paupertatis . . . . . » 328
Articulus VII. De religiosis quoad electionem confessarii . » 330
Articulus VIII. De monialibus in monasterio degentibus quoad confessarium . . . . . » 332
Punctum I. De confessario ordinario . . . . . » ib.
Punctum II. De confessario extraordinario . . . . » 333
Punctum III. De confessariis adiunctis seu extraordinariissimis » ib.
Punctum IV. De confessario quoad moniales veri nominis, quae casu aliquo extra monasterium legitime versentur . . » 335
Punctum V. De confessario quoad illas moniales aut piarum congregationum sorores, quae sola vota simplicia habent » ib.
Articulus IX. De manifestatione conscientiae non exigenda . » 338
Articulus X. De communione a superioribus vel superiorissis nec praecipienda nec prohibenda . . . . . » 339
Articulus XI. De monialibus quaestuantibus . . . . » 340
Articulus XII. De Regularibus circa sacramentorum administrationem et verbi Dei praedicationem . . . . » 341
Articulus XIII. Notantur aliqua in particulari circa religiosos ad episcopatum promotos, vel dispersos, vel saecularizatos » 342
Articulus XIV. De privilegiis Regularium . . . . » 344
Articulus XV. Notantur summatim differentiae inter ordines religiosos veri nominis et congregationes votorum simplicium . . . . . » 346
Caput IV. De rectoribus ecclesiarum . . . . . » 348
Caput V. De administratoribus bonorum ecclesiasticorum et speciatim de aedituis (it. *fabbricieri*) atque constituentibus commissiones capsarum ecclesiasticarum . . . » 352
Caput VI. De beneficiatis . . . . . » 354
Caput VII. De residentia cuius obligatio pluribus competit . » 356
Caput VIII. De Episcopo . . . . . » 360
Articulus I. Exponitur summatim ad quid per se ipsum Episcopus teneatur . . . . . » ib.
Articulus II. Exponitur summatim ad quid teneatur Episcopus ope cleri . . . . . » ib.
Punctum I. Det operam ut clerum sufficientem habeat . . » 361

Punctum II. Maximam quoad sacras ordinationes prudentiam Episcopus adhibeat . . . . . *pag.* 363
Punctum III. Episcopus totus erit in procurando ut in clero sanctitas, doctrina et unio semper conserventur atque florescant . . . . . » 364
Punctum IV. In electione parochorum aliorumque superiorum atque officialium et dignitariorum, maximam Episcopus prudentiam adhibebit . . . . . » 367
Punctum V. Agitur in particulari de concursu ad paroecias . » 369
Punctum VI. De vigilantia super clerum ab Episcopo adhibenda et de remediis apponendis . . . . . » 375
Punctum VII. De obligatione qua Episcopus detineri potest illis maioribus dioecesis necessitatibus providendi, quibus providere ad alios non spectet . . . . . » 376
Punctum VIII. De speciali necessitate ut Episcopus animadvertat ad ea quae in publicum malum, atque ad ea quae in publicum bonum redundant, ut (quantum fieri potest) illa impediat, et ista instituat vel iam instituta conservet atque meliora reddat . . . . . » ib.
Punctum IX. De obligatione qua tenetur Episcopus non solum ut bona instituta promoveat, ut supra, sed etiam efficiat ut bene dirigantur . . . . . » 377
Punctum X. Sacerdotes suos Episcopus bene cognoscat, atque satagat ut vires suas ita exerceant, ut ex iisdem in bonum dioecesis, quantum fieri potest, utilitatem capiat . » 378
Punctum XI. Sit homo sui temporis, et novis malis nova remedia apponat . . . . . » ib.
Punctum XII De quibusdam necessariis ut Episcopus obligationibus adeo multiplicibus atque adeo onerosis bene et congrue satisfacere possit . . . . . » ib.
Caput IX. De canonicis . . . . . » 379
Caput X. De parocho . . . . . » 390
Caput XI. De aliis qui parochi non sunt, sed pro cura et bono animarum plus vel minus laborant . . . . . » 391
TRACTATUS III. *De Sacramentis in genere* . . . . . » 393
Caput I. De natura sacramentorum scilicet de eorundem essentia, numero, materia, forma et effectibus . . . » ib.
Articulus I. De essentia et numero sacramentorum . . » ib.
Articulus II. De materia et forma sacramentorum . . . » 394
Articulus III. De effectibus sacramentorum . . . . » 398
Caput II. De ministro sacramentorum . . . . . » 400
Articulus I. De ministro quoad potestatem . . . . » ib.
Articulus II. De ministro quoad intentionem . . . . » 401
Articulus III. De ministro quoad attentionem . . . . » 407
Articulus IV. De ministro quoad fidem, statum gratiae et immunitatem a censuris et irregularitatibus . . . » 408

Articulus V. De ministro quoad obligationem sacramenta administrandi . . . . . *pag.* 409
Articulus VI. De ministro quoad iterationem sacramentorum » 413
Articulus VII. De ministro quoad obligationem non simulandi sacramenta . . . . . » 415
Articulus VIII. De ministro quoad obligationem interdum denegandi sacramenta . . . . . » 418
Articulus IX. De ministro quoad obligationem in sacramentorum administratione ritus servandi . . . . » 423
Caput III. De subiecto sacramentorum . . . . . » ib.
TRACTATUS IV. *De Baptismo* . . . . . » 429
Caput I. De baptismi natura et effectibus . . . . » ib.
Caput II. De materia baptismi . . . . . » 430
Articulus I. De materia remota . . . . . » ib.
Articulus II. De materia proxima . . . . . » 432
Caput III. De forma baptismi . . . . . » 434
Caput IV. De ministro baptismi . . . . . » 437
Caput V. De subiecto baptismi . . . . . » 438
Articulus I. De requisitis in subiecto pro valido . . . » ib.
Punctum I. De primo requisito, quod nempe sit homo vivus . » 439
Punctum II. De secundo requisito (saltem ad omnimodam securitatem), quoad nempe foetus sit natus . . . » 442
Punctum III. De tertio requisito, quod nempe baptismus alia vice collatus non fuerit . . . . . » 443
Punctum IV. De quarto requisito, quod scilicet baptizandus, si sit adultus, nec sit amens a nativitate, intentionem habeat . . . . . » 446
Articulus II. De requisitis in subiecto pro licito . . . » ib.
Caput. VI. De baptismo quoad ritus, et quaedam alia observanda, speciatim circa tempus et locum . . . . » 452
Caput VII. De patrinis . . . . . » 459
Caput VIII. De baptismo quoad obligationem . . . . » 465
TRACTATUS V. *De Confirmatione* . . . . . » 469
Caput I. De confirmationis natura, materia et forma . . » ib.
Caput II. De confirmationis ministro . . . . . » 470
Caput III. De confirmationis subiecto . . . . . » 471
Caput IV. De obligatione recipiendi et conferendi confirmationem . . . . . » 472
Caput V. De nonnullis aliis advertendis circa hoc sacramentum » 474
TRACTATUS VI. *De Eucharistia* . . . . . » 475
Caput I. De huius sacramenti natura . . . . . » ib.
Caput II. De materia eucharistiae . . . . . » 476
Articulus I. De materia remota quoad panem . . . . » ib.
Articulus II. De materia remota quoad vinum . . . » 479
Articulus III. De materia proxima et de intentione quoad eucharistiam . . . . . » 484
Caput II. De forma eucharistiae . . . . . » 493

Caput III. De effectibus huius sacramenti . . . . . *pag.* 494
Caput IV. De subiecto eucharistiae . . . . . » 497
Articulus I. De subiecto in genere . . . . . » ib.
Articulus II. De subiecto quoad requisita et dispositiones . » 498
Articulus III. De subiecto quoad obligationem suscipiendi eucharistiam . . . . . » 512
Caput V. De ministro eucharistiae . . . . . » 513
Caput VI. De quibusdam notatu dignis circa ritus in eucharistia ministranda . . . . . » 515
Caput VII. De communione infirmorum . . . . . » 517

FINIS QUARTI VOLUMINIS

Faventiae die XII Augusti MCMIV

Nihil obstat

IOSEPH Can. CALDERONI Revisor Episcopalis

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00100 2828

WITHDRAWN

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

43090

BX
1758
.B375
v.4

43090

Berardi, Emilio

AUTHOR

THEOLOGIA MORALIS THEORE-TICO-PRACTICO

TITLE

DATE LOANED

BORROW

13413

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

3 0311 00100